JUENGKEN

JOH. HELFRICI JUNGKEN,

Physici Reipubl. Francofurt. Ordinarii,

MANUALE

Sive

VADE MECUM PRAXEOS MEDICÆ MODERNÆ,

Pro

Memoria ſublevanda conſcriptum.

EDITIO SECUNDA,
Priori ſuperſtructa, atque Altera &
Tertia parte auctior reddita.

UBI PRIOR PARS
Continet utriusque Sexus corporis humani
morbos internos in genere.

PARS ALTERA,
Gravidarum ſive Prægnantium, nec non Puerperarum atque Infantum morbos in ſpecie pertractat.

TERTIA VERO,
Morbos Chirurgicæ Medicinæ Parti, partim relictos tradit, ut priores in Compendio.

FRANCOFURTI,
Impenſis JOANNIS ZIEGERI,
Bibliopol. Norimbergenſis.

Anno MDCCVII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRO
ILLUSTRI & GENEROSO,
DOMINO
ANTHONIO
DE BARTHELT,

Circuli Equestris Rhenani superioris *Nobili* Immediato; *Domino in Lispenhausen & Bromhoff.*
Eminentissimi Domini *Electoris Moguntini* in Consilio Aulico, & Summo Consilio Revisorio Consiliario.
Nec non
Serenissimi Domini *Landgravii Hasso-Homburgensis* Consiliario Intimo;
Ut &
Serenissimi *Ducis de Schonberg & Leinster* Supremo Præfecto, Meritissimo, Dignissimo.

Patrono suo & Fautori Colendissimo.



Illustris & Generose Vir.

TRedecim nunc præterlabuntur anni, cum *Manuale* hoc, ſub titulo *Vade Mecum*, aſpexerit lucem; ſed cum temporis ſucceſſu obſervarem, hoc cancellis nimis anguſtis eſſe comprehenſum, dum plura Medico Practico neceſſaria in eo deſiderabantur: Hinc opere pretium duxi, *ut Titulum Manualis & Vade Mecum* poti-

potiori jure mereretur, id minori typo paulo fusius sistere, *tam propriæ, quam aliorum*, cui hæc mea intentio & methodus placuerit, *commoditati*, & usui: Proptereaque *non tantum Alteram, sed & Tertiam adjeci partem.*

Cum enim Medicis vocatis & iter facientibus non semper commoditas se offerat majora volumina secum ducendi; hinc hoc in Manuali omnia Medico Practico *pro recordatione saltem necessaria*, atque propriæ non solum triginta & aliquot annorum, sed & tot recentio-

rum Practicorum magis rationalium experientiæ & observationibus suffulta, proximi in commodum, hâc in forma existere volui: spatio post singulos ferè morbos relicto, ut, cui id volupe sit, propria sua experimenta, vel circa hæc notatu digna brevibus adnotare & consignare, locus extet.

Quod verò *Tibi Generose Vir*, hunc meum laborem consecratum esse velim, laudabilis non tantum me jussit consuetudo, sed & more vulgari hoc omnino receptum est, *ut Benefactoribus atque*

Pa-

Patronis noſtros conſecremus labores; Quotieſcunq; enim prima recordor temporis momenta, quibus occaſionem dabas, *Te, cum Coſta Chariſſima*, valetudinis curandæ ergò videndi, tuumque favorem captandi, toties mihi gratulor, qui *munificentiam Tuam* ſemper perſentio benigniſſimam.

Sed cum nil habeam, quod debitæ meæ erga Te gratitudinis & obſervantiæ ſymbolū aliqualiter ſaltē ſufficiens eſſe poſſet: non deeſſe tamen debui, hunc meum exiguum laborem, *Illuſtri Tuo nomini*

dedi-

dedicare & inscribere. Deum T.O.M. desuper rogans, ut *Tibi Vir Generose*, post modò perpessas, & Deo Adjutore superatas Febrilis mali ærumnas & pericula, viridem confirmet & continuet Senectam, atque seros in annos conservet salvum & incolumem, prout hoc sincera mente vovet

Per-Illustris, Generose Vir,

Francof. ad Mœn. mense Aprili 1707.

Tuus paratissimus,

JOH. HELFFRICH JUNGKEN,
Reip. Francof. Physicus Ordin.

Alvi



Alvi Retentio.

I.



Uplicem agnoſcit cauſam, *vel in ingeſtis, vel inteſtinis ipſis*, delitescentem.

Contenta ſive ingeſta poſſunt eſſe in cauſa, quando ob paucitatem, ex alimentis parce aſſumtis, ad inteſtinum rectum haud rite perveniunt, ut hoc ſtimulare queant; vel quando ad motum inepta ſunt.

II. Et hoc quidem fieri ſolet 1. *per indurationem ſive exſiccationem*, prout fieri ſolet in febribus ardentibus; vel in illis qui multum ſudant, aut in convaleſcentibus, ubi uberior chyli fit diſtributio in corpus; vel in illis, qui ova ad duritiem cocta, ſpiras, cerasa cum nucleis &c. magna copia ingerunt.

2. Accidere ſolet alvi durities *propter excrementorum viſciditatem*, prout id conſuetum eſſe ſolet illis qui vitam ſedentariam agunt; vel qui viſcidis utuntur alimentis, aut quibus ex vitioſa digeſtione, alimenta in mucum viſcidum degenerant, uti hypochondriacis ſolet eſſe familiare; in quibus defectus bilis chyli debitam diſſolutionem ritè adjuvare haud poteſt.

III. *Inteſtinorum vitio alvi retentio accidere ſolet*,

1. quan-

1. quando propter inflammationem ,ulcus, vel excrescentiam , angustiora evadunt.

Vel 2. quando intestina paralysi affliguntur, ut in Apoplecticis. Vel

3. Quando doloribus convulsivis contrahuntur, ut in Colica, vel doloribus nephriticis.

IV. Eventum mali quod concernit, notandum est, induratas fæces, in angustiori coli parte, quæ in hypochondrio sinistro sita est, varia inferre symptomata: unde *in Hypochondriacis & Melancholicis alvus libera requiritur*; notetur tamen, purgantia, licet suum faciant officium in hoc malo, tenuem potius promovere materiam, crassiorem verò in colo relinquere.

V. Curam hujus Mali quod concernit; etsi in omnibus morbis meliùs sit alvo laxâ , quam præter modum adstrictâ, degere; tamen *in febribus malignis, pleuritide, variolis, ac puerperarum morbis, alvum* etiam per plures dies adstrictam *laxantibus sollicitare, periculo haud vacat*: cùm sæpè per se in his excitetur diarrhœa, periculi plena.

Si tamen in talismodi casu alvus tandem desideratur aperta, vel *per pessus aut clysteres* saltem simplices , *ex Decocto florum chamomillæ , cum sacharo acuato*, tentetur; vel & ♁ *diaphoret. non edulcoratum* ad ℨß vel ℨj propinetur.

VI. Si *in Febribus ardentibus* fœces nimium exarescunt, tunc *potus, cum nitro* sufficienter imprægnatus, vel *serum lactis*, rem optimè expediunt.

VII. Et, si *ex vita sedentaria*, aut nimis parco potu, alvus lenta existit, tum motus imperetur, & *liberalior potus* concedatur.

Aliàs Fœminis nonnullis alvus adeò rara esse solet,

let, ut aliquando intra quinque vel octo dies eam deponant, & hoc quidem plerumque à prava consuetudine contraxerunt, dum excretionis stimulos negligunt: *Hæc alvi tarditas per contrariam consuetudinem corrigi debet:* Sellam nimirum quærant, & conatum egerendi præstent, aliquoties de die, vel solitis antea horis. Sic hoc egerendi desiderio, juvante phantasia, natura ad laudabiliorem & valetudini magis proficuum habitum disponitur rursus; modò singularis recessus à statu naturali haud subsit.

IIX. *Si ex ruditatibus acidis,* quibus hypochondriaci abundare solent, *alvus lenta existit*, cave, ne rem purgantibus validis aggredi tentes, *sed lenioribus* hic milita; qualis est *Tartarus solubilis*, vel *Oleum amygdalarum dulcium recens, cum cremore* ♀i, *injusculo:* aut *Decoctum Passulatum Laxans* cedat in usum. v. g.

℞ *Passular. min.* ℥ij.
Crem. ♀i, ʒij.

In pastam contusa coquantur in Aquæ ℔. iij. in colaturæ ℔ ij. infunde

Fol. Senæ el. ℥ß.
Flor. violar. m. j.
Sem. anisi ʒij.

Stent loco calido per noctem, mane colentur & de colatura aliquando propinetur haustus.

IX. Si mucus viscidus colliquandus venit,

℞ *Gummi ammoniaci* ʒj.
in parum vini soluto adde
Extracti colocynth. gr. iij.
▽ *Loochsani* ℥j.
Syr. de cichor. cum Rh. ℥ß.
M. detur pro dosi.

X. Si humidum superfluum adest, Pilulæ stimulum addere possunt, & pro ordinario usu poterunt fieri sequentes.

℞. *Extracti Agarici* ℈j.
Troch. alhand. ℈ß.
Resin. Scammonii gr. xij.
⊖*is* ♂*is subdulcis*, sive
Acidularum mearum artific. ℈j.

Fiant Pilulæ grani pondere, de quibus propinentur aliquot, vel paulo ante cœnam, vel ipsa in cœna. Vel

℞. *Gummi ammoniaci* ℈j.
Extr. colocynth.
Res. jalapp. aa. ℈ß.
☿ *dulcis gr.* xv.

Fiant Pilulæ grani pondere, de quibus aliquot propinentur tempore somni.

In viscidis verò fœcibus colliquandis, nil magis expeditum se exhibet, ac *Extractum colocynthidis, mediante Aqua comm. sale* ♀*i acuata factum*; hoc purgantibus aliis stimuli loco additum, satis activum se gerit, & aliis palmam disputat.

Sic & *Aurum fulminans, haud adeò exacte edulcatum* à gr. v. ad ℈ß cum *Extr. colocynth.* in Pilulas redactum, omnibus aliis irritis, etiam in desperatissima alvi obstructione, mirabile quid obtinere, *Cl. Ettmüllerus* asserit.

XI. Sæpe verò *Clysteres* rem optimè expediunt, præcipuè *in nephriticis*, ubi plerumque spasmo intestina contracta, fœces longius remorantur: Non tamen delectus hic quærendus, qualem Veteres olim cantabant, sed sufficit *simplex saltem Clyster, vel ex aquâ calidâ sale communi acuatâ constans*, quicquid

quid enim intestino recto injicitur, necessariò, vi stimulantis intestini, rejicitur rursus; ut propterea nullo planè delectu hic sit opus. Ut tamen mulierculis, vel præconceptis opinionibus occœcatis, satis fiat, quæcunque ingredientia, à veteribus docta, concedi possunt.

Quo simpliciores tamen sunt, eo promptius admittuntur, ac retinentur, nam quò major ingredientium varietas, eo ingratior fit miscela, ut vel mox rejiciantur, vel retenti, & nervosis partibus infesti, ventriculum afficiant, vel fœminis uterum commoveant, atque anxietates concitent. Mihi semper sufficit *decoctum florum Chamomillæ salitum*, aut cum Sacharo edulcoratum, aliis circumstantiarum ratione placet *Jusculum carnis*, *Decoctum hordei*, *Lac*, *vel sola urina*, &c.

XII. Præter clysteres, alia dantur externa, quæ ad alvum laxandam, sæpe haud contemnendum præstant effectum, talia sunt *Unguentum de Arthanita*, cum *Oleo diacolocynthidos.* Vel Unguentum Jessenii hoc non contemnendum.

℞ *Fellis Tauri*
Butyri non saliti aa ℥iij
Extr. helleb. nigri
diacolocynthid. aa ℈j
Diagridii gr. vj
Croci gr. viij

Mixta coque leni igne, ut consistentiam melleam referant, tum dimidiæ nucis juglandis testæ indita, umbilico applicentur.

Angina.

I.

VEl *Maligna* eſt, *vel Benigna aut catarrhalis.* *In Maligna* Febris acuta, reſpirandi & deglutiendi difficultas ac alia omnia ſymptomata ſunt graviora, atque hæc per contagium plerumque in alios transfertur, ſecus ac benigna, & catarrhalis, quæ ex frigido aëre ſæpe dependent, nulla malignitate inquinato.

II. In Maligna, ſtatim primis horis, vel in momento quaſi invaſionis, dum cum horrore, vel Febre ingruit malum, *propinetur vomitorium*, antequàm deglutiendi difficultas, & dolor augeri incipiunt.

Vomitu prægreſſo mox *ſecetur Vena* in brachio, pro circumſtantiarum ratione ſatis largiter.

Et horis aliquot poſt ſectam venam ſubitò propinetur ſudoriferum ſat validum. v. g.

℞. ▽ *Flor. Sambuci* ℥iij
  ♁. *Bezoard. absque acido* ʒij
  Spir. C.C. vel ✱ci ℈j
M. detur pro doſi.

Reiteretur vero hoc ſudoriferum toties, donec ferocia mitigata obſervatur; ac omni ex parte tractetur malum, proût de Febre maligna doctum invenies.

III. Circa morbi ſtatum, paulo fixiora cedant in uſum, v. g.

℞. *Bezoardici min.*
  C.C. Phil. præp.

man-

Mandib. luciiprap.
Cinnab. ♁
⊖ *vol.C.C.* aa ℈j
Theriaca cœlest. gr. vj
M. & divide in 3. p. æq. de quibus ter de die propinetur dosis.

IV. Si malum, nimirum obstructio, vel inflammatio, musculorũ & glandularum faucium, præter omnem adhibitam diligentiam, dissipari haud potest, sed in abscessum migrat, tum ab initio quies concedatur, neque verò gargarismatibus plus irritentur partes inflammatæ, vel si talia adhibere conveniat, ea absque commotione saltem in ore contineantur, & ea quidem ab initio statim paulo adstrictoria sint, ut glandulas obfirment, ne tantopere se extendi patiantur: talia vero possunt esse, v. g.

℞. ▽ *Flor. Sambuci* ℥iij
Rob. Sambuci ℥ß
Nitri præp. ʒj
Mellis Rosati ʒiij
M. detur pro gargarismo.
Vel ℞ *Seri Lactis* ℥v.
Rob. Sambuci ℥ß
Spir. ⊕*i dulcis* ʒiß
Syr. Flor. ligustri ℥j
M. detur pro gargarismo.

Vel suasu Heide *in suis experimentis* fiat gargarismus, ex *Vitriolo albo, in aqua pluvia soluto.*

V. Ubi tamen tempus fuit neglectum, & obstructio nunc facta est, potius resolventes gargarismi in usum veniant. v. g.

℞ ▽ *Fl. Sambuci* ℥iij

Spir. vini camph. ℥iß
*ci ʒij
M. & in ore vel faucibus teneatur.

VI. Et, si etiam inflammatio, exteriores colli partes occupat, idquod externa rubedo prodit, & quod melius, quam si interiores saltem partes obstruuntur, tum etiam externa resolventia, sive epithemata, operam præstant, non contemnendam, v.g.

℞ *Myrrhæ,*
Thuris aa ℥j
Croci ʒj
Aceti ℥iij
▽ *Fl. Sambuci* ℥vj
Coquantur omnia ad gummatum solutionem, tum adde
Camphoræ in 🜄 *solut.* ʒj
Et linteis triplicatis &c. calidè applica. Vel
℞ *Spir. vini camphorati* ℥ij
*ci ℥ß
M & applicetur diligenter.

VII. Si Angina absque malignitate affligit, non minus instituatur Vomitus primis morbi horis, ac in maligna, ut primæ saltem viæ liberæ à saburra, aliis medicamentis obicem haud ponant, neque ea invertant.

Hoc facto si corpus haud adeò judicatur succis abundans, vel plethoricum, nec Febris adeò intensa, tum ranina sub lingua secta sufficiet.

Hoc vero transacto propinetur sudoriferum, v.g.

℞. ▽ *Fl. Sambuci* ℥iij
R. *Bezoard. absque acido* ʒj

℞. *Anod. Ludov.* gutt. xv.
⊖*is vol. CC. sive spir. C.C.* ℈ß
Rob Sambuci ℥ß.
M. & detur pro dosi.

VIII. Intermedietur etiam gargarismus seq.

℞ *Fl. Malvæ arbor.*
Rosar. r.
Ligustri aa. m. jß
Herb. Salviæ
veron. aa. m. j
Polipodii. q. ℥ß
Sem. Sinapi contus. ʒiß
Coquantur omnia *in Aquæ* ℔ ij. *&* *Aceti* ℥ij.
In fine adde *Mellis Rosarum* ℥iij
Et colatura detur pro gargarismo.

Vel ℞. ▽ *Flor. Sambuci*
Salviæ
Veronic. aa ℥ij
Theriacæ ʒij
⊕*i præp.* ʒj
Syr. flor. ligustri ℥j
Spir. ✱*ci* ʒij
M. detur calidè pro gargarismo.

IX. Externè, si tumor hoc indicat, applicetur Empl. de Meliloto, vel mucaginum.

Vel ℞. *Nidi hirundini*
Herb. meliloti pulv. aa. q. l.
Cum lacte fiat cataplasma, quod calidè applicetur.

Vel ℞ *Nidi hirundini* pulv. no. j
Sterc. canis albi m. j
Herb. meliloti pulv.
Farinæ Fab. aa ℥ij

Cum Lacte coquatur ut fiat cataplaſma, cui addatur *Mellis Roſarum*, &

Olei Roſarum aa. q. l.

Et applicetur calidè, ſed ſæpius renovetur & toties calidè applicetur, ne frigore plùs offendat quam proſit.

X. *Si Lingua* eſt aſpera, & arida, imponatur *fruſtum lardi*, vel *mucilago* applicetur ex *Sem. cydon. pſyllii: tragacanth. cum ▽a Roſar. extracta.* Aut *fricetur cum butyro caprillo, parum nitri remixto*; ſic facile cruſta emollita, removebitur, mediante ablutione, cum gargariſmo inſtituta.

XI. *Si Genæ intumeſcunt*, abſque notabili dolore, tum *reiterentur ſudorifera*, & ſuffitus adhibeantur, *ex thure, maſtiche &c.*

XII. *Diæta* in hoc malo *ad declinationem uſq; tenuis ſit*, & Potus ſit *Decoctum hordei cum liquiritia & paſſulis*, ac quidem calidus, cum frigida anginoſis inimiciſſima ſint: in Maligna angina addi poteſt *Nitrum depuratum.*

XIII. Quandoque accidit, ut *glanduloſæ colli partes* hoc malo ita invertantur, & diſponātur, ut poſtea ſæpè hoc malo corripi ſoleant, hoc in caſu *fonticulus in brachio* factus, præſervando, rem expediet.

Anore-

Anorexia.

SIve Inappetentia aut Ciborum fastidium.

I. Semper dependet *à solventis*, sive lymphæ stomachalis, *depravata dispositione*, & dissolutionem, & chylificationem ciborum ingestorum, male administrante.

II. *Depravatur verò* legitima lymphæ, sive solventis stomachalis dispositio, *vel à cruditate acida, austera, vel à nidorosa, aut biliosa*; Et hæc quidem

III. Vel à male ingestis, vel ab animi pathematibus, tam lymphæ stomachali, quam spiritibus sensibilem alterationem imprimentibus,

IV. Ab acida cruditate dependere malum, denotant, *ructus acidi, frigidi sensus, nausea* & visciditas lymphæ. Hoc ergo in casu absque vomitorio præmisso, malum non nisi *per inediam curatur*: Antè omnia vero, ut cito ac tuto malum corrigatur, *vomitorium propinetur.*

V. Hoc facto *acidum & viscidum* reliquum corrigantur *per absorbentia, acria, amara, aromatica, carminativa*, &c. quale est *Pulv. stomachalis* Birckmanni vel simile. v. g.

℞. *Radic. Aronis* præp. ℥ß.
Ocul. 69. præp. ʒij
Cinamomi ʒj
Cardamomi
Macis aa ʒß
⊖*is card. ben.* ʒiß
Sachari ℥j
M. & detur sæpius ʒj

VI. *Si*

VI. *Si viscidum* exsuperat acidum, abstergentia sint medicamenta v. g.

℞ *Elixir Propr. absque acido.*
Essent. absinthii comp. aa ℥ß
Spir. ✱*ci concentrati* ʒij
M. dentur sæpius gutt. 50. 60. pro dosi
cum ▽ *a mentha.*

VII. Si à Spirituum debilitate dependeat malum, in usum cedant *Essentiæ, Spiritus, & Tincturæ aromaticæ, Nux Indica condita, Zingiber conditum,* vel

℞ *Nucis in India condit.* ℥ß
Zingib. condit.
Acori conditi aa ʒij
Cinamomi
Cardamomi
Macis aa ʒß
Brodii Zingib. condit. q. s. ut fiat Elect. quod sæpius detur Nucis castaneæ quantitate.

IIX. Si cruditas biliosa sive nidorosa est anorexiæ causa, ante omnia mediante vomitu removeatur saburra biliosa, ore amarulento se prodens, &c.

Hoc peracto *Acidulæ* stomachum vel appetitum restituent, aut in horum defectu, *Elixir. Propr. cum acido* nimiam bilis tenuitatem temperabit.

Vel ℞. *Elixir.* ⊖*li Mins.* ℥j
Extr. Calami aromat.
Card. ben.
Absinth. aa. ʒß
M. & propinetur sæpius ad gutt. 30. 40

Sic & *cremor* ♀*i* sæpius in prandii initio, *cum*

juscu-

Jusculo propinatus, bilem temperat, & appetitum acuit.

Medicamenta vero ſtomacho ſint grata, alias ſæpe appetitum plus deſtruunt, quam acuunt; & tum melius à medicamentis plane abſtinetur.

IX. Cum etiam à depravatis ſtomachi contentis, ſæpe fibræ admodum laxantur, neque ad appetitum excitandum ſatis activæ exiſtunt, hinc & externe ſuccurratur, *blandis acidis & aromaticis*. v.g.

℞ *Cruſtæ panis toſtæ* ℥ij. in aceto maceratæ adde
Menthæ pulv. ℥ß
Maſtichis. ʒij
Macis ʒj
Caryophyll. ʒß
Fermenti ℥j

M. fiat cataplaſma calidè ventriculo applicandum.

Vitetur verò crebrior Tabaci, abſinthii, croci, vel opii uſus, utpote quæ activas particulas potius torpidas, & ſegnes reddunt.

Nec nimius ſit ſpirituoſiorum, ut Spir. Vini uſus, utpote cujus crebro uſu lympha ſtomachalis nimis attenuatur, & bilis acuitur, ut cibis ſolidioribus diſſolvendis inhabilis reddatur, ac cachexiæ fores pandantur.

X. Vel ſi *Spirituoſa* expetuntur, propinentur illa *ventriculo repleto*, & gravato.

Abſorbentia verò *ventriculo vacuo* exhibeantur, cautè tamen, & non niſi abſtergentibus, vel aromaticis, & ſalinis remixta, ſive ſint martialia, aut alia.

XI. Cum *poſt Febres* curatas, *appetitus ſæpe diu emanere*, nec ſtimulare ſoleat, in uſum veniat *vinum aromaticis, & amaris aromatiſatum*; vel *vinum Ca-*

nari-

narinum, aut *Hippocraticum*, sæpius cochleatim propinetur.

Vel ℞ *Aq. menthæ* ℥iiij
cinamomi ℥j,
Elix. Propr. dulc. ʒij.
Spir. ⊕*li* ℈j.
Sachari cand. ʒvj.

M. dentur mane & veſperi cochlearia aliquot.

Aphtæ.

I.

SUnt ulcuſcula, linguam, fauces, & nonnunquam œſophagi tractum, obſidentia, cum ardore atque ſiccitate, & viſciditate moleſtantia, deglutitionemque difficilem reddentia.

II. Non verò infantes ſolum, ſed & adultos aggrediuntur, & quidem critico quodam motu, dum febre laborant, admodum acuta, & æſtu maximo moleſta.

III. *Omnes vero aphtæ ſunt ſymptomaticæ, & conſequens lymphæ ſingulariter corruptæ, viſcidæ & magis minus corroſivæ*, ad glandulas linguæ & faucium, vi circulantis motus deportatæ, & in ulcuſcula ſive puſtulas elevatæ.

IV. In cura cauſæ ſive Febris habeatur reſpectus, quantum ad interna ſpectat.

Symptoma verò, ſive accidentes aphtæ, externis ſimul demulceantur, & extergantur: & quidem dum lingua incipit exaſperari, id quod aphtarum eſt initium, applicetur *mucilago ſem. cydon. cum Aquâ portulacæ extracta.*

V. Cum tamen rarò ſic inhibeantur, ſed ſenſim ſe exſerant, & in ulcuſcula attollantur, *humectantibus & abſtergentibus fortioribus* tam ardor, quam viſciditas demulceantur, ex quibus vulgò commendatur *Decoctum raparum*, & ex hoc expreſſus ſuccus, linguæ applicatus, præprimis ſi ei *parum Nitri* admiſceatur.

Si

Si hoc nimis debile reperitur,

℞. ▽ *Fl. Sambuci*
Plantag. aa ℥ij.
⦶ præp. ʒiß
Syr. flor. liguſtri ℥ß

M. dentur in ore tenenda.

Vel ℞. ▽ *Fl. Sambuci* ℥iij.
Theriacæ ʒj.
⦶i præp. ʒiß.
Oxymell. ſquillit. ʒvj.

Miſta dentur in ore tenenda.

℞. *Syrupi Diamoron*
Fl. liguſtri aa. ℥ß.
Spir. theriacal. camph. ʒij.
✱*ci* ʒß

M. ad linguam illinendam, vel *Aquâ Flor. Sambuci additâ*, in ore detinendum.

VI. Si aphtæ degenerant *in ulcera oris depaſcentia*, fiat *Decoctum ex Flor. liguſtri & herb. veronicæ*; quod *cum melle Roſarum*, *vel Syrupo Flor. liguſtri*, pro diligenti collutione oris adhibeatur, vel nodulo, bacillo alligato, os, lingua & fauces diligenter detergantur. Si ſordidi quid ſubſit, illinantur ulcuſcula poſt deterſionem, *Syrupo diamoro*, *dianucum*, *vel Flor. liguſtri*, *parum Spir.* ⊕*li remiſſe acuato.* &c.

VII. Aliter ſe res habet cum aphtis, quibus infantes plerumque primis ſeptem diebus, corripi, & moleſtari ſolent, ex lactis ſingulari corruptela, vel aceſcentia in ſtomacho.

In his vel *oxyſachari emetici parum*, vel ♀*i emet.* grano dimidio, ſaburra illa, & corruptela aceſcens exterminetur; vel *Syr. de cichor. cum Rhabarb.* ſ. q.

aut

aut *Jalappæ, cum C. C. Phil. pr. pulvere.* ſ. q. eliminetur.

Saburrâ ſic partim evacuatâ, quod reliquum eſt, abſorbentibus corrigatur, quale eſt *Pulv. Marchionis*, ex abſorbentibus potiſſimum conſtans, vel

℞ *Pulv. Marchion.* ʒj.
Unicorn. foſſ. ℈j.
Liquirit. raſ.
Sem. fœnic. aa ℈ß.

M. detur ſæpius cuſpis cultelli.

Vel ℞ ▽ *ceraſ. nigr.*
fœniculi aa ℥j.
Spir. vol. aniſ. ℈j.
Syr. rubi Idæi ʒij.

M. detur ſæpius aliquid.

VIII. *Inter externa* nil melius eſt; quam *lac ipſum maternum*, hoc enim emollit, humectat, & abſtergit, vel ſi hoc nimis debile reperitur,

℞. ▽ *Fl. Sambuci,*
Prunellæ aa ℥j.
Mellis Roſar.
Syr. Fl. liguſtri aa ʒij.
Spir. ⊖*li.* gutt. viij. vel ℈ß.

Miſce & penicilli ope, extergantur lingua, & fauces.

Poterunt etiam ea hic applicari quæ ſupra de adultorum aphtis commendata ſunt.

IX. Quod ſi aphtæ humidiores ſint, & quaſi cum ptialiſmo conjunctæ & moleſtæ, fiat *Decoctum ex Fl. balauſtiæ, Roſar. liguſtri cort. granat. ſem. cydon.* cui colato admiſceatur aliquid *Ræ laccæ Oxymell. ſquillit.* ac pro collutione & deterſione oris adhibeatur.

Apoplexia.

I.

APoplexia *est cerebri morbus primarius*, quo omnes ejus canales & tubuli ſubitò invertuntur, & omnes animales functiones ſubitò corruunt, & ſiſtuntur, *cum ſtertore*, *ſpuma oris*, & *ſenſuum omnium ſubitanea præciſione*.

Sicque *Apoplexia fortis eſt ipſa mors*, & *circulationis ſtagnatio*: dependens à ſanguine craſſo, viſcido, ſero deſtituto, dum huic vel lymphæ in cerebro redundanti, in venas ingreſſus præcluditur.

Sanguis propterea ſiccus, & ob lymphæ inopiam viſcidus, cum circulando à corde per venam arterioſam, in pulmones propellitur, atque ob tenacitatem & ſiccitatem, ab arteria venoſa recipi nequit, neceſſario ſtagnat & ſuffocat.

II. *Apoplexia verò imperfecta*, ſemper *in paralyſin* hujus aut illius lateris, terminatur.

III. Quoad curam, etſi fortis apoplexia, vel ipſa mors, rarò præveniri queat, tamen, ſi Medicus in ipſo quaſi invaſionis momento adeſſe poſſet, tentanda foret *ſtagnationis diſſolutio*, *per ſanguinis ſuffimiſſionem*, quo in vaſis ſanguivehis ſpatium ſufficiens efficiatur, ne verò una vice nimia copia detrahatur ſanguinis, potius interpoſito aliquo tempore, bis terve debita ſanguinis copia, venæ ſectione emittatur.

IV. Poſt ſanguinis citam detractionem inſtituantur *artuum dolorificæ contorſiones*, & quaſi mortuus, vel morti proximus, *à validis nonnullis hominibus huc illuc trahatur*, totius corporis agitatione, & concuſſione, inſtituta; vel ad minimum ita colloce-

locetur; ut corpore erecto vel ſtando vel ſedendo detineatur, tam ad liberiorem reſpirationem conſervandam, quam ad torporem, vel ſomnolentiam interpellandam, ſanguinisque remeatum à capite facilitandum.

Sic & *cucurbitulæ ampla, cum profundis ſcarificationibus*, numero auctiore, collo, ſcapulis, & dorſo applicentur, poſt primam ſtatim ſanguinis miſſionem.

V. Poterit etiam injici clyſter acris, v. g.

℞. *Herb. Rutæ,*
Nicotianæ aa m. j.
Rad. pyrethri ʒ iij.
Pulp. colocynth. in petia ʒ j.
Coquantur in ſ. q. Aquæ, colaturæ ℥ viij. adde
Elect. hieræ picr. ℥ j.
⊖is C. C. vol. ʒ j.
M. fiat Clyſter.

VI. Nec ſternutatorium omittatur, & *Sal C. C. volatile* ori immittatur, vel

℞. ▽ *Epilept.*
Serpill. comp. aa ℥ j.
Eſſent. caſtor. ʒ j.
Spir. ✻ci ʒ ß.
Mixta cochleatim ore ligno aperto infundantur.

VII. Nonnunquam etiam *vomitorium ſat validum* infuſum, ex commotione forti, ſtagnationem ſolvit; novi olim Medicum *in Helvetia* qui *Muria ſalina* ad ℔ j. vel ij. infuſa, ſubſequente vomitu, ſe aliquot Apoplecticos reſtituiſſe aſſerebat. Propinetur vero vomitorium in forma liquida, & quidem ſatis forte & validum, cum aliàs ob ſopitos ſpiritus difficulter actuetur, & quidem ſtatim poſt

venam ſectam infundatur prima invaſionis hora, modo ſubitò præſens ſit Medicus.

VIII. Ægroto ex mortis faucibus, ſi Deo placet, erepto, tum omnia adhibeántur, quæ quovis modo ad præſervationem, conducere poſſunt; *excitetur fonticulus in nucha, inſtituatur ſalivatio.*

Singulis menſibus aliquoties purgetur æger per *Pilulas. Magiſtrales Sylvij*, vel ſimiles ſimul reſolvendi vi præditas, vel

℞. *Extr. Troch. alhand.* ℈ ß.
Reſin. Scammon. gr. xv.
☿ *dulcis* ℈ j.
☍ *ſuccini* gtt. iij.
M. fiant Pilulæ num. xxx. pro duabus doſibus.

IX. Intermedio tempore ſæpius propinetur, *Sal. C. C. vol.* à ʒ ß. ad ʒ j. vel *Spir. C. C. cum* ▽ *ſerpilli comp.*

Vel ℞. *Tinct.* ♁ *ſuccinatæ.*
⊖ *is vol. oleoſi Balſam.* aa ʒ ij.
Spir. ✱ *ci concentrati* ʒ j.

M. dentur mane & veſperi guttæ 70. 80. cum ▽ quavis cephalica. Quo ſic ſpiritus rectificentur & roborentur, ac obſtructi cerebri & nervorum tubuli validè reſerentur, ac ubique viſcidum infringatur.

X. Ad verticem continuo geſtet *Empl.* ſeq.

℞. *Reſinæ ſtyracis* ʒ ij.
Ladani extr. ʒ j.
Olei Nuciſtæ ʒ iij.
His leni igne liquatis adde
Gummi animæ pulv.
Olibani pulv. aa ʒ i ß.
Et his ſolutis porro adde
Olei Ligni Rhod.

Majo-

Majorana.
Anthos aa ℈j.
Et cum parum refrixerint adde
Ambræ
Moschi aa gr.v.
Misce, fiat Empl.

Quo imposito desuper tegatur Caput *cucuphâ.*

XI. Ad loquelam restituendam & linguæ paralysin abigendam,

℞. ▽ *Serpilli compos.* ℥ij.
Spir. Vini camph. ℥ ß.
✱ci ʒj.

Mixta diligenter in ore detineantur.

XII. Si acidum observetur viscidi causa, ad id corrigendum, & absorbendum, diligenter propinetur *Specificum cephalicum*, *species contra Apoplexiam*, ex absorbentibus constantes vel similes.

Præter jam commendata plura alia ab autoribus laudata reperiuntur specifica: *ex cubebis*, *cardamomo*, *semine sinapi*, & alia ex aromatibus variis constantes *Aquæ Apoplecticæ*, item volatilia varia, *Liquor C. C. succinatus*, *Spiritus secundinæ humanæ*, *sanguinis humani* &c.

Non ineptè *absorbentia cephalica cum aromaticis* combinantur. v. g.

℞. *Ungul. alces* Phil. pr.
Smaragd. pr.
Succini albi pr.
Cinnab. nativ. pr. aa ℈j.
Extr. Rad. Valerian.
Calam. arom. aa ʒ ß.
Castor.
Ligni Aloes aa ℈j.
Olei Cubebar.

Anthos
Macis aa ℈ ß
Sachari ℥ j
Misce & propinetur sæpius ad ʒ j.

XIII. In Diæta ubique moderamen commendetur. Et pro potu ordinario ferè in usum cedat *Potus Theæ cum Salvia, Roremarino, Sarsaparilla, Ligno Sassafras* &c.

Ardor

Ardor Stomachi ſive *Soda.*

I.

CAuſa eſt *aceſcentia in ſtomacho*, occurrens oleoſo, ſive pingui & alcalino, unde efferveſcentia inducta, ſenſum ardoris inducit.

Hinc facile huic affectui *obnoxii ſunt bile acri abundantes*, quæ quando ad ſtomachum regurgitat, inde cum ingeſtis aceſcentibus, cibo & potu, cruditatem nidoroſam, ſive bilioſam, involvit, quæque efferveſcendo invicem, ardorem producunt.

II. Facile eliminatur talis ſaburra efferveſcens vomitu.

Poſtea acidum impugnetur, & corrigatur, abſorbentibus, inter quæ hic pro ſpecifico commendatur *creta cum aqua portulacæ* à ʒ ß. ad ʒ j. aſſumpta, hanc in momento præcipitare Sodam, *Ettmullerus* teſtatur. Et ex hac *Morſellos ſuos* laudat *Mynſichtus Diacretæ vocatos*. Neque tamen alia abſorbentia, minoris ſunt valoris, v. g.

℞. *Chriſtall. pr.*
Conchar. pr.
Ocul. ♋. pr. aa ʒ j.
Nuc. Moſchat. pl. ʒ ß.
☍ *Macis* gtt. v.
Miſceantur & exhibeantur à ʒ ß. ad ʒ j.

Vel ℞. *Unicorn. foſſ.*
Cretæ pr. aa ʒ ß.
Arcan. duplic. ʒ j.
Nuc. Moſch. pl. ℈ ij.
M. fiat pulvis.

Cl. Etmuller ſequentes laudat morſellos v. g.

℞. *Pulveris lateritii ad rubedinem probè uſti* ʒ ß.

Nuc. moſchat. pl. ʒ ij. *Sachari* q. ſ. ut fiant morſeli.

Alii in *ſiliquis dulcibus* diligenter comeſtis, ſingulare levamen ad Sodam inveniunt.

III. Aliquando etiam ſi bilis exſuperat, *blanda acida ardorem compeſcunt,* ut *Cremor* ♀*i. Tamarindi,* vel, ut tam acrimonia bilis, quam acidum ſimul infringantur,

℞. *Crem.* ♀. ʒ ij.
Corall. r. pr. ʒ j.
Nuc. moſcat. pl. ʒ ß.
M. pro duabus doſibus.

IV. Ad præcavendum malum, in diæta vitentur leviter aceſcentia, pinguia, ſacharata, vel dulcia, imò acria, ut *cœpæ, aromata* &c. quæ tam cum bile acri, quam cum acida ſtomachi cruditate, leviter efferveſcunt, & has moleſtias creant.

Arthri-

Arthritis Vaga.

I.

ARthritis vel Vaga est, vel Fixa.

Vaga ut plurimum *Scorbuti soboles* esse solet, & non tantum articulos, sed & musculosas partes sæpe excruciat, unde cum Rheumatismo convenit, & ferè idem est.

II. Aliquando tamen, quæ successu temporis fixum sibi locum invenit, primo invasionis tempore, vaga esse solet, sed raro extra articulos in partes musculosas suam tirannidem exercet, prout vaga. Sic & *Arthritis vaga vera*, sive Scorbutica, *curationem recipit*, ut postea nunquam vel rarò redeat; ubi *vaga, quæ in fixam terminatur*, statuto tempore redit, & sensim sensim, majori cum vehementia, hominem aggreditur, & *ad finem usque vitæ concomitatur*, ac vulgo Podagra vocatur.

III. Terminatur vero *Arthritis vaga*, vel *per sudores, vel per urinam*, nonnunquam etiam *per excretionem cutaneam*, instar purpuræ, cum rubore totius corporis, instar erysipelatis, & maximo pturitu.

IV. *Aggreditur hominem*, dum paroxismus recrudescit & ingruit, *cum gravissimis præcordiorum anxietatibus*, siti clamosa, & totius membri imbecillitate, ac doloribus lancinantibus.

V. Causa est *acrimonia scorbutica* lymphæ nerveæ, & crassities singularis, hinc inde spiritibus animalibus transitum denegans; unde horum impetu, & conatu, partes membranosæ extenduntur, & dolor excitatur.

VI. *In cura*, ad pressionem demulcendam, in initio & incremento, convenit Venam secare, vel hujus loco scarificationes instituere.

VII. Et si primæ viæ vel stomachus, sentitur saburra quâdam scatere, non inconsultò, vomitorium propinatur.

VIII. Dehinc *salina fixa, cum absorbentibus & opiatis* propinentur, inter quæ eminet *arcanum duplicatum*, v. gr.

℞. ♁ *Diaphoret.*
Ocul. ♋. pr.
Cinnab. ♁. aa ℈ j.
Arcani duplic. ℈ ij.
Theriacæ cœlest. gr. vj.
Misce, divide in 3. p. æq.

IX. Acrimonia scorbutica sic paulisper cicuratâ, procedente morbo, loco salis fixi, volatile combinetur, v. g.

℞. *Bezoard. min.* ʒ ß.
Unicorn. foss.
C. C. Phil. pr. aa ℈ j.
⊖ *is vol. C. C. vel lumbric.* gr. xv.
Camphoræ gr. vj.
Extr. op. gr. ij.
Misce, divide in 2. p. æq.

Vel ℞. *Spir. cochlear.*
Essent. Pini.
⊖ *is vol. oleos.* aa ʒ ij.
M. dentur sæpius gtt. 30. 40. pro dosi.

Potest propinari *cum decocto lignorum*, singulo mane, ad sudorem eliciendum, v. gr.

℞. *Rasur. Ligni Guajaci* ℔ j.
Radic. Sarsaparill. ℥ iiij.
Levistici ℥ j.
Herb. Chamædr. m. iij.
Cimarum resinosar. pinastri, vel abietis. ℥ iij.
Bacc. juniperi m. j.

Incisa

Incisa coquantur in *Aqua mens.* iij. ad remanentiam mensuræ unius: de quâ singulo mane, propinetur dosis, instillatis tot guttis, supra dicti spiritus.

X. Pro Potu non inconveniens erit, *serum lactis*, cui *cochlearia, becabunga, nastur. aquat. Flor. bellidis* incocta fuêre.

XI. Inter Externa, præ aliis, spirituosa volatilia conveniunt, v. g.

℞. ♈ *camphorati.*
Lumbricorum volatilis aa ℥ j.
✱ci ʒ ij.
M. detur pro externâ applicatione.

Vel ℞. *Olei Hyperici* ℔ ß. calefacto adde
Saponis albi rasi ℥ ij. *cui liquato admisce.*
Cerussæ &
Lithagyr. pl. *subtiliss.* aa ℥ ij.

Coquantur leni igne, pistillo ligneo continue movendo, donec acquirant consistentiam Emplastro vulgari paulo duriorem, tum ab igne remotis, & parum refrigeratis, sub continua agitatione, admisceantur *Camphoræ, Spir. vini solut.* ℥ ß. *Castorei* pl. & *Salis vol. lumbricorum* aa ʒ iij. ac fiat s. a. Emplastrum.

Sunt qui *in lumbricis terrestribus vivis* applicatis, singulare levamen inveniunt; Nonnulli etiam *eorundem succum* ad ℥ ß. *cum* ℞a *Bez. volatili,* & *aqua carduibenedicti*, propinant, ad eliciendum sudorem, singulari cum emolumento.

Arthri-

Arthritis Fixa five *Podagra.*

I.

QUi hoc malo ſunt obnoxii crania ut plurimum habent grandiuſcula, *habitu corporis plerumque ſunt pleniori, humido, & laxo*; & conſtitutionem habent omnes luxuriantem, viroſamque, ditiſſima atque optima vitæ ſtamina.

II. Aliquando tamen etiam *graciles, & macilentos*, invadit, non tantum *ſenes*, ſed *& ætate florentes, quando infœlicia morbi ſemina, â parentibus quaſi ex traduce, acceperunt.* Vel ſi immodicæ veneri, præmaturius indulſerunt, edaciores inſuper fuerunt, & liquores ſpirituoſiores, immoderatius hauſerunt, poſtea derepente ad liquores tenues, & refrigerantes, ſe contulerunt, & exercitiis omnino valedixerunt, quibus antea etiam vehementioribus utebantur.

III. *Si Senes adoritur*, non tam ſtatas habet periodos, nec tam immaniter ſævit, quam ſi juniores occupavit. Et licet in his ſedem nondum figat, neque eos ita male abinitio tractet, ſed incerta periodo, pro data anſa, ingruat, tamen ſenſim ſenſim, typum format, tam quoad anni tempus, quam quoad paroxiſmi durationem, & dolorem, immaniter ſævientem.

IV. Tandem illi, qui cum hoc morbo jam ad menſes aliquot conflictantur, non uno excruciantur paroxyſmo, ſed plurimis paroxyſmulis, quorum poſterior ſemper priore mitior, & contractior eſt, donec omnis materia peccans ſic ſenſim diſcutitur.

V. Si

V. Si ad interitum properat malum, paroxyſmi ægrum quoad dolorem clementius tractant, naturâ partim ab onere materiæ peccantis oppreſsâ, partim ob ſenium & virium debilitatem, materiam in corporis extremitates haud amplius ita valide propellere valentem, loco verò doloris conſueti, ægritudo quædam, cum dolore ventris; laſſitudo ſpontanea, nonnunquam etiam propenſio ad diarrhœam, ſuperveniunt: ſicque tandem patiens ægritudine potius conficitur, quam dolore, ſpiritibus animalibus per totum corpus ab heterogenearum partium colluvie potius oppreſſis, & quaſi ſuffocatis, quam alia ratione debilitatis.

VI. *Curam hujus mali quod attinet*, ſi illi, ut aliis morbis humoralibus, ſubveniri poſſet, ad tres ſe extenderet modos, *Venæ Sectionem* nimirum, *Catharſin*, & *Diaphoreſin*, ſive *per ſudorem*: Sed cum *hanc prærogativam ſibi natura arroget*, ſcil. *materiam peccantem, ſuo modo, in articulos deponere*, & per inſenſibilem tranſpirationem exterminare, hinc nullus ex illis modis ſcopum attingit.

VII. Etenim *quantum ad Venæ ſectionem ſpectat*, licet ſanguis qui educitur, pleuriticorum vel Rheumatiſmo laborantium ſanguinem plerumque referat; tamen Venæ ſectio hic plus nocebit, quam proderit in pleuritide, & Rheumatiſmo; niſi æger adhuc juvenis fuerit, & ab immodicâ potatione excalefactus, ubi initio paroxyſmi quidem ſanguis pauliſper detrahi poteſt; Si tamen quis paroxyſmis ſubſequentibus, in conſuetudinem velit trahere Venæ ſectionem; efficiet, ut intra paucos annos latius imperium & tyrannidem propaget Podagra, ac aliàs in multis annis extendere valuiſſet. Sanguis enim vigore ſuo, & robore, quibus alias morbi fo-

bi fomitem strenuè excutere debebat, sic multum retunditur, & spoliatur.

Et licet diu post paroxysmum extrahatur sanguis, tamen periculum est, ne ab agitatione humorum novus succrescat paroxysmus: Quod si verò paulo ante tempus consuetum, quo aliàs paroxysmi ingruere sunt soliti, vena secetur, tanto citius suscitabuntur illi. Et si mox à paroxysmis celebraretur Venæ sectio, periculum est, ne sanguine adhuc languido existente, *Hydropi aditus aperiatur.*

VIII. *Cathartica quod attinet*, cùm natura hujus morbi fomitem, semper in articulos protrudere soleat, nil aliud præstabunt, nisi ut materiam Podagricam, ab articulis avertant, & in sanguinis massam revocent, unde ventriculi ægritudine, alvi torminibus, lipothymiæ, & aliis funestis Symptomatibus, miseri quasi enecantur.

Nulla ergo purgantia hic sunt tuta; sive lenientia sint, sive fortiora, sive antè, vel in, aut in fine paroxysmorum, ad dissipandas morbi reliquias, fuerint propinata.

Noti sunt Podagrici qui non tantum vere & autumno, sed & singulis mensibus, præservationis ergò, catharsin celebrarunt & tamen Podagram haud effugerunt, quin potius immanioribus symptomatibus fuerunt excruciati. Dissoluto enim per purgans corporis tono, quem spirituum firmitas, dum in suo vigore persistunt, ritè compactum, & vegetum conservat, materia peccans, quasi diruptis repagulis, sui juris fit, unde paroxysmus statim exoritur.

Et *licet Podagrâ præsente, æger purgationem optimè ferat*, ita ut vel omnino non, vel remissè doleat, & si etiam catharsis ad plures dies protrahi posset, nullo re-

lo recente paroxyſmo ſuperveniente, æger ſtatim ab illo, quo jam tenetur convaleſcet; ſed *in poſterum pœnas luet diriſſimas*, ab ἀταξίᾳ, in quam dicta humorum exagitatio, naturam præcipitem egit.

Si tamen quis plenius veſcitur, illum cathartica, aut emetica interdum ſumere, neceſſe eſt, contra *Sydenhammi* mentem.

Imò hæc eadem ex mente *Liſteri*, inſigni Podagricorum beneficio, *tunc optimè exhibentur, quando in paroxyſmo, ſymptomatum remiſſionis, & concoctionis materiæ morbificæ ſigna apparent.* Cum aliàs reliquiæ materiæ podagricæ reliquæ ſanguinis maſſæ denuò commiſceri, & cum ea circulare incipiunt. Vel ne tunc reliquiæ diutius in articulis retineantur, & hi lædantur, aut ipſa oſſa in tophaceam materiam corrumpantur, *expulſionem* per cathartica, aut vomitoria, omnino *neceſſaria eſſe*, *Liſter.* contendit.

IX. *Quod evacuationem per ſudores concernit*, etſi prædictis minus nocere videatur, tamen, cum extra paroxyſmum humores adhuc crudos, & nondum ita ſubactos, ut ritè ſeparari queant, quaſi vi quâdam in artus protrudat, atque paroxyſmum ante tempus ſollicitet: in ipſo verò paroxyſmo, materiam morbificam, nimis violenter in affectum membrum adigat, & dolorem augeat; vel ſi major materiæ peccantis copia adſit, quam ut pars affecta eam admittere queat, illam in alios etiam artus deturbet, vel ingentem humorum ebullitionem excitet, hinc etiam malè hanc evacuationem commendari, experientiam quotidianam docere, *Sydenham.* vult.

Naturæ ergo relinquendum hoc excretionis opus, quæ ſæpe leni madore, qui ut plurimum mane ſua

ſponte

ſponte exoritur, dolorem & inquietudinem, quibus cum æger totâ nocte conflictabatur, mitigat, & optimè demulcet, ſingulari naturæ conveniente methodo.

X. Cùm ergo *Materiæ podagricæ eliminatio* ſit *naturæ opus*, ſuâ ipſius methodo peragendum, hinc *omnis curandi intentio ad indigeſtiones præcavendas*, & coctionem roborandam, redit. In paroxyſmis ſaltem evitando victum, & medicamenta calidiora, à quibus humores exagitantur.

XI. Medicamenta verò, quæ huc præſtant, ſint *moderatè calefacientia, & amaricantia*, quæ ventriculo ſunt grata, & quidem ad formam Theriacæ in Electuarium redacta, v. g.

℞. *Radic. Calam. aromat.* ℥ ß.
Helenii ʒ iij.
Herb. Card. bened.
Trifol. fibr.
Centaur. min.
Chamædr. aa ℥ ß.
Flav. cort. aurant. ʒ ij.
Nuc. moſchatæ.
Macis aa ʒ j.
Cort. Peruv. pl. ℥ vj.

Cum ſ. q. *Vini Canarini*, & *Brodii Nucis Indicæ condit.* fiat Elect. de quo mane & ſero ſumantur ʒ ij.

Vel loco hujus, etiam *Theriaca præceteris confert*; cum verò conſtet ex ſpeciebus plus calefacientibus, vel & opio abundet, hinc modo dictum Electuarium vel ſimile magis conveniens erit. *Cortex Peruvianus inter ſimplicia primas obtinet*, cum ſanguinem corroboret, & vegetum reddat.

Cum itaque *omnis curationis intentio, ad indigeſtiones præcavendas* debeat eſſe directa, hinc in ſpecie

Diæta

Diætæ hic maxima habeatur ratio, ac mediocritas probè menſuretur, ut neque plus alimenti ingeratur, quam ventriculus diſſolvere valet: neque etiam nimia abſtinentia partes ea proportione defraudentur, quâ earundem vigor debet ſuſtineri.

Palato verò ægri eſt conſulendum, & aliquando id concedendum, quod ventriculus vehementer appetit; licet enim tale quid aliàs difficilius diſſolvatur, tamen à natura citius vincitur, quam quod facilioris eſt coctionis, & tamen ventriculo nauſeam creat. In ſpecie tamen *exulet præ aliis aſellus*, utpote non tantum difficilioris digeſtionis, ſed & nutrimentum omnino viſcoſum ſuppeditans.

XII. Unicâ verò ciborum ſpecie, ſingulis paſtibus ſaltem veſcendum, præcipuè quod carnem attinet, cum varia carnium genera ſimul ingeſta, plus ventriculo noceant.

Aliàs, demptâ carne, æger comedat pro lubitu, quodcunque appetit, *modo non acria, nec aromatiſata, aut ſale condita.*

XIII. Non etiam cœnent Podagrici, cum enim lectus humoribus digerendis proprie ſit dicatus, id temporis in cibis concoquendis, non erit inſumendum. Hauſtus tamen cereviſiæ alicujus tenuioris liberalior, non denegandus, ut, quia Podagrici plerumque *calculo renum ſimul ſunt obnoxii*, ejus concretio, à liquore ejusmodi impediatur.

XIV. *Diætam lacteam, quod concernit*, profuit hæc quamplurimis, quamdiu ne latum unguem ab ea diſceſſerunt, quamprimum verò ad aliam Diætam ſe receperunt, podagra reverſa, ægrum pejus ac antea vexavit.

Qui ergo hâc methodo ſe tradidêre, per omnem

 vitam

vitam in ea perſiſtere oportet, modo natura haud reluctetur. *Hypochondriaci* enim, & *qui vino multum aſſuevêre, lactis uſum raro ferunt.*

XV. *Potum quod concernit*, ille præ aliis convenit, qui neque ad vini generoſitatem aſcendit, nec ad aquæ debilitatem deprimitur, qualis eſt *cerevisia tenuis.* Fœliciores tamen præ aliis ſunt, qui ab ineunte ætate, aquam potarunt.

Aliàs optimè conducit potus, ex ſequentibus ſpeciebus paratus, v. g.

℞. *Sarſaparillæ* ℥vj.
Raſ. ligni ſaſſafr.
C. Cervi.
Rad. Chinæ aa ℥ij.
Liquirit. raſ. ℥j.

Coquantur in *Aqua menſ.* iiij. per horam dimidiam, deinde ſtent ſuper cineres calidos horis 12. poſtea ebulliant ad tertiæ partis conſumtionem, & dum ab igne removetur, infundatur ſem. aniſi ℥ß. Poſt duas horas coletur, & poſtea per reſidentiam depuretur, ac liquor clarus ad uſum probe aſſervetur in lagenis vitreis.

Hic potus, ut eo aſſueſcat Patiens, *in uſum tum trahatur, quando à paroxyſmo convaluit*, & inde in ejus uſu perſeverare intendat, per omnem vitam.

Eodem etiam tempore Electuarium ſupradictum in uſum trahat, & id ipſum continuet, per vitam, quotidie doſin devorando.

XVI. *Somnum quod attinet, æger hyemis tempore maturè lectum petat.*

De die vero ſæpius, vel equo, vel curru, ſe moveat, in rure extra urbem, utpotè in aëre ſalubri.

XVII. *Qui Veneri indulget Podagricus, æquè improvi-*

providus videtur, ac ille, qui, cum longum iter ſuſcipere intendit, omne prius viaticum conſumit, quam ſe viæ committit: hoc enim dulci negotio *ſpiritus debilitantur atq; concoctionis directores abſumuntur.*

Loco hujus exercitii, & ſpiritus & concoctiones recreare intendat ſubinde, *hauſtulo vini canarini aſſumto.* Præterea *vel equo, vel curru frequenter ſe moveat*, ut ſupra dictum, aliàs nec ullum confortans opem feret.

XVIII. Quod ſi *materia podagrica* regurgitet, & *Diarrhœam inducat*, cum torminibus, ſive à potu aquæ frigidæ, vel alia ſimili dependeat, *unicum remedium eſt ut ſudor provocetur*, mane & veſperi, ad biduum vel triduum, per duas aut tres horas.

XIX. Nonnunquam per metaſtaſin, materia peccans, *in pulmones protruditur*, artubus ſalvis exeuntibus, in hoc caſu *Venæ ſectione repetita*, malum demulcendum, & tuſſis lenienda. Inter venæ ſectiones verò potionibus lenientibus, colluvies in pulmones illapſa detrahenda erit.

XX. Et ſi dolor in artubus admodum ſævit, æger *pauxillo laudani* veſperi aſſumto, eundē demulceat. *Aliâs inter Externa, pauca tuta reperta ſunt.* Præcipuè ea quæ poros plus occludunt, quam reſerant.

Aliquando tamen levamen ſibi imaginatur, hic ab illo, alius ab alio, v. g.

℞. *Radic. Althea* pl.
Farin. hordei.
Sem. lini.
Herb. meliloti pl.
Lumbric. ♁. pl. aa ℥ j.
Croci.
Camphoræ aa ʒ j.

Cum lacte coquendo fiat cataplaſma calidè applicandum.

Vel ℞. *Stercoris vaccæ,*
Micarum panis albi aa ℔ ß.
Herb. meliloti pl. ℥ij.
Croci ʒ iß.
Camphoræ ℥ j.
Cum ▽ *hyoſciami* fiat cataplaſma.

Vel ℞ *Saponis nigri* ℥ j.
Camphoræ ʒ j.
Miſce & applica.

Vel ℞. 🜄 *opt. camphorati* ℥ ij.
✱ci fortiſſ. ℥ ß.
Miſce.

Tackenius ſuum extollit Emplaſtrum, antipodagricum, ac *cineres roriſmarini* in ſoccis ad plantas pedum geſtandos.

Sunt etiam qui commendant *pedes imponere urinæ calidæ, & aquæ ſaponis.*

Thermas & Balnea quod attinet, cum tonum partium plus laxent, quam obfirment, rarò laudabilem præſtare ſolent effectum, niſi poſt paroxyſmos nunc diu emanentes, tumor pedum remaneat, quem ſæpe præ aliis, cedere faciunt.

Aſthma.

Asthma.

I.

D*Istinguitur hoc malum per gradus*, ubi adhuc tolerabiliter difficilis respiratio, sive cum, sive absque tussi primum gradum sive *incipiens asthma* constituit, & *Dyspnœa vocatur*.

Ubi vero respiratio difficilis eo increscit, ut *cum sibilo & sono, ac tussi* excruciet, constituit secundum respirationis difficilis gradum, qui in specie *vocatur asthma*.

Et si eo invalescit malum, ut æger non nisi erecta cervice, elevatoque thorace, ac collo extenso respirare queat, nec decumbere, nisi cum suffocationis metu queat, dicitur *Orthopnœa*.

II. Gradus hi difficilis respirationis, diversam agnoscunt causam, *vel enim à visciditate & acrimonia singulari lymphæ, in Pulmonibus subsistente*, originem ducunt, & *asthmatis humorosi* titulum assumunt.

Vel ex aliis dissitis, & ad respirationem aliàs necessariis partibus, *spasmo correptis*, dependent, & *asthmatis sicci convulsivi, sive spasmodici* nomine insigniuntur.

III. Ut plurimum tamen *infelici connubio combinantur, asthma humorosum cum sicco*, nam absque pulmonum irritatione neque asthma, nec tussis oriri possent. Si tamen cum tussi, excretio probè succedit, & inde difficilis respiratio imminuitur, *asthma humorosum* simpliciter audit.

IV. Si verò in hoc asthmate materia in pulmonibus subsistens, nimis crassa, viscida, acrisque existit, & à reliquis humoribus nondum secessum ta-

lem fecit, ut mediante excretione per tussim leviter excerni queat, tum in usum veniant evacuantia, resolventibus combinata sequentia, v. g.

℞ *Gummi ammon.* ʒ j.
Res. Jalapp.
Scammon aa ʒ ß.
Extr. colocynth. ℈ j.
☿ *dulcis* ℈ ij.
🜔 *amygd. d.* gtt. iij.

M. fiant Pilulæ pondere grani unius, de quibus dentur pro dosi num. xj. xiij.

Vel ℞. *Gummi ammon. depurati* ʒ ij.
Extr Rhabarb. ʒ j.
Res. Jalapp. ʒ ß.
Succi Rad. Aron. inspiss. ℈ ij.
Croci. Austr. ℈ j.
🜔 *fœnic.* gtt iiij.

M. fiant Pilulæ grani pondere, de quibus dentur ix. xi. vel xiij. pro dosi.

Vel si qui sint, qui pilulas assumere recusent.

℞. *Gummi ammon.* ℥ ß
in parum vini soluto, adde
▽ *Looch. sani* ℥ iiij.
🜄 *anis.* ℥ ij.
R *Jalappæ* ʒ ij.
Syr. de cichor. cum Rh. ʒ vj.

M. detur pro tribus vel quatuor dosibus.

V. Si his vel similibus visciditas, ex humoribus circulantibus adhuc, partim eliminata fuit, tunc & illud quod in pulmonibus nunc hæret, & circulationis dominio haud amplius subest, per expectorantia eliminetur, in hunc finem,

℞. *Rad. Aron.* pr.
Helen. pl.

Asel-

Asellor. pr. aa ʒ j.
Sem. nasturtii ℈ ij ß.
Flor. ♀.
Myrrhæ rubr. el. aa ℈ ij.
Croci ʒ ß.
☍ *anisi* gtt. vj.
Sachari candi albi ℥ j.
M. fiat pl. de quo bis de die dentur ℈ ij. cum oxymelle squillitico.
Vel ℞. *Mellis despumati* ℥ iiij.
Therebinth. Venet. ℥ j.
Sem. nasturtii pl.
Rad. Helen. pl.
Ireos florent. pl. aa ʒ ij.
M. & detur sæpius nucis castaneæ quantitas.
Vel ℞. *Vini malvatici* ℥ iij.
▽ *asthmat.*
Looch. sani aa ℥ ij.
▽ *anis.* ℥ j.
Aceti squillit. ℥ ii ß.
Syr. de liquirit.
nicotianæ.
Rosar. solutivi aa ℥ j.
M. detur sæpius unum aut alterum cochleare.

VI. Si tandem his & similibus exspectorantibus acidulis, viscidum satis attenuatum, & mediante tussi, & inde facta expectoratione, rejectum fuit, atque respiratio liberior fieri incipit, tum omittantur acidula, & sæpius exhibeatur sperma ceti, ad ʒ j. cum vehiculo satis calido.

Vel in usum veniat sequens *Pulvis pectoralis D. Michels*, quem omnibus & morsulis, & rotulis pectoralibus præfert,

℞. *Radic. aron: rec.* pl. ʒ ij.
Irid. flor. ʒ j.
△ *comm. opt.* ʒ ß.
Antihect. Pot. ℈ ij.
F'o: Bentzoi ℈ ß.
Sacchari ℥ j.
Misce.

Ubi vero viſciditas pulmonibus impacta, magis validum requirit diſſolvens.

℞. *Gummi ammon. in aceto ſquillit. ſoluti* ʒ j.
▽ *Looch ſani* ℥ i ß.
▽ *aniſati* ℥ ß.
Syr. de Nicotiana ʒ ij.
M. detur pro doſi aliquoties reiteranda.

Vel ℞. *Gummi ammon.*
Spec. Diaireos aa ʒ j.
Croci ℈ ß.
Elæoſach. aniſi ℈ iiij.
M. dentur ſæpius de die aliquot cuſpides cultelli.

VII. Si flatus incluſi in ventre inferiore fuerint Aſthmatis cauſa, præter *clyſteres carminativa opiatis combinata*, veniant in uſum, v. g.

℞. ▽ *Looch. ſani.*
Aſthmat.
Zedoar. aniſ. aa ℥ i ß.
Eſſ. carminativ. ʒ iij.
T. anod. Lud. ʒ j.
Syr. cortic. aurant. ℥ ß.
M. detur ſæpius cochleare.

Nec Theriaca omittatur.

VIII. Si tandem viſcidum cum acrimonia ſingulari, mixtum Aſthma induxit, ubi irritatio ſe manifeſte prodit, dum quis vel loquendo, vel validius reſpi-

respirando tussire cogitur, tum præmissa potiuncula laxante, ex gummi ammoniaco, sequentia veniant in usum v. g.

℞. ▽ *Hyssopi,*
Looch sani aa ℥ iij.
Spi. ✱*ci anisati* ʒ ij.
Milleped. pr. ʒ j.
Syr. de hyssopo ℥ ß.
M. dentur singulis tribus horis, tria cochlearia.

Vel ℞. ▽ *Looch sani* ℥ iij.
Asthmat. ℥ j.
Spir. vini anisat. ℥ ß.
✱*ci anisati* ʒ i ß.
℞ *anod. Lud.*
Croci aa ʒ j.
Syr. Diacodii sive è siliquis ʒ vj.
M. dentur sæpius cochlearia aliquot.

Vel ℞. *Milleped.* præp.
Sperm. ceti aa ʒ ij.
Cinnab. nativ. pr. ʒ j.
Spec. Diaireos ʒ iij,
Croci ℈ j.
M. Detur sæpius ʒ ß cum *syrupo de siliquis, vel de farfara.*

Vel ℞. *Milleped.* ℥ j. abluantur cum *Vino Malvatico*, & cum vini malvatici **unciis** quatuor contusis & expressis adde
Spir. ✱*ci anisati* ʒ ij.
Syr. de Hyssopo ℥ ß.
M. Detur sæpius cochleare unum aut alterum.

IX. Si *Cachecticus asthmate laborat*, tunc ne in Hydropem pectoris malum degeneret, detur sæpius *Radicis Bryoniæ infusum.* Radicis nimirum

Bryoniæ ℥ß, infundatur in *Aquæ Veron. Hyssopi, vel Hederæ terr.* ℥ iij dehinc expressus liquor propinetur, qui dissolvendo & laxando, in pectore subsistens serum, simul successive evacuat.

Hæc, quæ jam diximus, semper respectum habent ad paroxysmum præsentem, & respiciunt in genere Asthma Pulmonale, sive humorosum sit, aut magis siccum.

X. *Asthma verò in specie siccum sive convulsivum quod attinet*, hoc ex improviso ingruit, absque vel cum tussi, sine materiæ peccantis rejectione, & excretione manifesta à causâ in inferiore ventre delitescente, unde partes illæ respirationi dicatæ, contrahuntur & respirationem interturbant.

Hoc malo præ aliis *obnoxiæ solent esse fœminæ Hystericæ* aut hypochondriacæ, vel *viri malo hypochondriaco vexati*.

Ubi verò Spasmus talis Pulmones ad continuam tussim, sed siccam concitat, omnem paginam absolvit *Opium*, & inde quidem legitimè parata *Tinctura anodina, cum vino Malvatico, vel aquâ Looch sani*, propinata &c.

Conveniunt etiam hoc in casu *Vesicatoria Scapulis aut Brachiis applicata*, nec *cucurbitulæ* negligantur *cum clysteribus*, his etenim spiritus quasi stagnantes non tantum divertuntur, sed & serum acre educitur, atque paroxysmus avertitur.

Æger verò detineatur simul erectâ cervice, Aër ambiens ventiletur, alvus subducatur, & si æger est plethoricus vena secetur.

Alias Asthma hoc, dum inveterascit, raro ita curatur, quin levi diætæ errore recurrat, vel sub contumacia mali Cachexiam, aut Hydropem inducat.

XI. Ubi

XI. Ubi vero *Asthma hoc siccum, absque tussi*, sive ex singulari aëris dispositione sive singulari animi motu periodice, vel certo suo tempore, ex spasmis hypochondriacis, aggreditur, tunc nec opiata, nec resolventia alia, rem expediunt, sed laxantibus opus; id quod ipse expertus loquor; malo etenim hoc olim obnoxius, præcipuè circa initium veris sæpè orthopnœa me ambulantem prehendit, ut subsistere & erecta cervice respirare cogerer, absque omni tussi, & cum noctu lectum peterem, & vix oculos clauderem, me tanta anxietas, cum sufflaminata respiratione prehendebat, ut è lecto surgere, & solamen quærere necessitarer, id quod præstabant *Pilulæ mihi Panchrestæ* dictæ, de quibus statim aliquot deglutiendo, brevi post, cessabat omnis anxius tumultus, ut blande dormirem, certo sic indicio, asthma hoc non in pectore, sed in inferiore ventre, delituisse.

XII. Plures Medici practici, *Asthmaticis vomitoria* admodum *conducibilia esse* prædicant, & quidem *Willis* etiam medio in paroxismo ea data prodesse ait; Sed cum materia respirationis difficilis vel in Pectore vel inferiore ventre hæreat, meritò distinguendum erit; etenim quod proficua possint esse vomitoria, causâ in pectore delitescente, rationi consentaneum haud est, cum vomitoria ex Pectore sive Pulmonibus nil exprimant; ex primis viis vero saburram rejiciendo, sæpe levamen non contemnendum adferant.

XIII. *Venæ Sectionem verò admodum esse necessariam plethoricis*, ac his sæpe subitaneum attulisse levamen, multiplici experientia confirmatum existit.

Audi-

Auditus Difficilis, Gravis.

I.

AB aliis Obauditio, Barycoia &c. vocatur, & à ſurditate differt, ratione magis aut minus.

Originem ducit à catarrhis organa auditus obſtruentibus ſenſim, & ſpiritibus nerveis liberum tranſitum denegantibus, vel & externè ſaltem, aëri vel ſonoris objectis, ad tympanum, appulſum arcentibus; dum cerumine craſſo, tympanum quaſi Emplaſtro, occluſum tenetur &c.

Sic & Bombardarum ſonitus gravis, vel caſus ab alto in cauſa ſunt, &c.

II. Si à Catarrhis, tum purgantibus, ruditates ſuperfluæ eliminentur v. g.

℞. *Extract. Cathol.* ℈ß.
Agarici gr. vj.
☿ *dulcis* gr. vij.
Troch. alhand. pl. gr. iij.
℗ *Macis* gtt. j.
M. fiant Pilulæ no. XXI. Pro doſi.

Vel ℞. *Extr. Panchym:* ℈ß.
Reſ. Jalapp. gr. v.
Diagridii pr. gr. iij.
☿ *dulcis* gr. vij.
℗ *Amygd. d.* gtt. ij.
M. fiant Pilulæ no. XXI. pro doſi.

Vel: *Pilulæ catarrhales* hæ, tantopere laudatæ, *Loneri* veniant in uſum. v. g.

℞. *M. Pil. de Succino* ℈ß.
Extr. Ladani gr. iiij.
Reſ. Jalapp. gr. iij.

Dia-

Diagrid. ♀ gr. ij.
Laud. Op.
⊖*is vol. succini* āā. gr. j.
M. fiant Pilulæ no. XXI. pro dosi.

III. His præmissis, *Externis* simul *resolventibus* tentetur catarrhalis materiæ resolutio, & discussio; v. g.

℞. ▽æ *Magnanimitatis* gtt. iij.
 ℴℴ *Camphoræ* gtt. j.
 Misc. & cum Gossypio immittatur auri.

Vel ℞. ▽æ *Hystericæ vel Anhaltinæ*
 Spir. Vini camph. āā gtt. iij.
 ℞ *Castor.* gtt. ij.
 M. applicetur cum Gossypio in aurem.

Vel ℞. *Ess succini.*
 castor.
 *Spir. *ii* āā. gtt. ij. m.
 Applicetur, ut prius.

Vel ℞. ℴℴ *Amygd. amar.* gtt. iij.
 Zibethi gr. j.
 M. applicetur in aurem cum gossypio.

Vel ℞. *Pingued. Viperar.*
 castor.
 ℴℴ *Succini* āā gtt. ij.
 Applicetur in aurem.

Vel ℞. *Fol. Tabaci viride*, vel si siccum, maceretur in aqua Solani & in forma turundæ auri immittatur.

Vel ℞. *Bacc. Juniperi.*
 Lauri āā. ʒ ij.
 Sem. coriandri ʒ j.
 Croci ℈ß. mista & quassata.
 Impastentur pani, qui tum in clibano coctus &

per

per medium diſſectus, ac *Spir. vini camphor. aut Spir. acoviſtico* irroratus, applicetur auri, interjecto circulo linteo, ne auris externe aduratur. Vapor Decocti Caffe quàm calide derivetur in aurem ope infundibuli.

Vel ℞. *Fl. chamom.* p. ij.
Sem. fœn. gr. p. j.
cumini.
aniſi ā ā ℥ß.
Aquæ chamom. ℔ j.
Aceti ℥ ij.

Ebulliant hæc & vapor inde exſurgens per infundibulum derivetur in aurem. Dum verò hoc fit patiens interea maſticet aliquid cinamomi.

Et poſt ſuffitum factum inſtilletur hoc vel illud modo commendatum. Si quis ad ſuffitum plura deſideret.

℞. *Herb. Roriſmar.*
Serpilli.
Majoran.
Meliſſi.
Salviæ ā ā m. ß.
Flor. Lavend.
Anthos.
Lil. convall. ā ā. p. j.
Rad. Imperator.
Enulæ.
Zedoar.
Irid. flor. ā ā ℥ ij.
Bacc. Lauri.
Juniperi ā ā. ℥ iß.
Sem. aniſi.
fœnic.

carvi.

carvi.
cumini.
fœnugræc. ā ā ʒj.

Incisa & contusa grossè coquantur in Aq. fontan. & exsurgens vapor in aurem derivetur.

IV. *Masticatoria* etiam & *Sternutatoria* adhibeantur, & Auris semper teneatur occlusa cum bombace moschato; ne aer irruat.

Si masticatorium è re esse videtur,

℞. *Rad. pyrethri* pl.
mastichis ā ā ʒ ij.
cubebar.
cardamomi ā ā. ℈j.

Pulverisata cum *mellis anthosati* q. s. redigantur in Pilulas majores, quorum una post aliam in ore masticetur.

V. Si ex casu ab alto auditus difficilis originem trahit, applicetur hoc *Plateri*, v. g.

℞. *Aq. vitæ cochlear.*
Succi cæpar. cochl. ß.
☍ *dest. spicæ* gtt. iiij.
M. & instilletur auri.

Vel ex commendatione singulari *Cl. Ettmulleri*; *Aqua cyclaminis* per alembicum destillata, auri immittatur & *Empl. ex Tacamahaca, & cerat: de Betonica*, capiti raso applicetur.

VI. Si spiritibus animalibus succurrendum, prout in Senibus plerumque necessum est, præter spirituosa supra præscripta, auri immissa simul *interna cephalica*, sive spiritus roborantia succinata veniant in usum &c. Caput tegatur cucuphá, postquam vel *Balf. Apoplecticum*, vel *Essentia succini*, prius probè fuit infricata.

Pro

Pro Cucupha.

℞. *Rad. Irid. flor.*
ciperi rot. ā ā. ʒ ij.
Fol. Rorismarini.
majoran.
serpilli.
Salviæ.
Flor. lavendulæ.
anthos.
Rosar. r.
Summit. thymi.
Verbenæ ā ā. p. j.
Gummi animæ.
Storac. calam.
Labdani de Barba.
Benzoi.
succini.
cinamomi ā ā. ʒ ß.
caryophyll. ℈ j.
Ambræ gr. iij.

Incisa dentur.

Auris Dolor.

I.

DOlor hic non raró adeo vehemens esse solet, ut Deliria lipothymias, convulsiones, febrem acutam, cum insomniis, inducere valeat, ob membranam tympani tenerrimam, & admodum nervosam; ab acrimonia namque singulari humoris stagnantis, & nervosas auris partes distendentis trahere solet originem, hinc in usum veniant, quæ acrimoniam obtundunt vel demulcent, qualia sunt sequentia:

℞. ℴ℩ *amygd. amar.* ℥ j.
Petræ,
succini aa ℈ ß.
M. applicetur cum bombace.

Vel ℞. ℴ℩ *chamomillæ cœrul.* & de hoc guttulæ aliquot immittantur auri.

Aut vapor ex speciebus supra descriptis, & decoctis, auribus excipiatur.

Errhinon naribus intrudatur. Sal etiam *tostum, & sacculo inclusum* calide auri applicetur.

II. Ubi verò acris humor stagnans, & inde excitatus dolor tantum incrementum assumit, ut periculum exulcerationis metuatur, *cave ab externis tam, quam internis opiatis*, sed purgans aliquod, ex supra descriptis detur, & reiteretur aliquoties, donec purulenta materia ex aure fluere incipit; tali etenim materiæ effluxu, per plures dies durante, salvatur æger. Infantibus namque fluxus talis materiæ purulentæ, sæpius familiaris esse solet, absque noxa.

III. Si *ab inflammatione*, dolor excruciat, ſicut hoc ardor cum dolore pulſatili indicat, in uſum veniant talia ad Eryſipelas commendata, ex *myrrha, thure, croco, camphora* &c. cum aqua & vino pro epithemate decocta, & applicata calide.

IV. Et ſi *ad ſuppurationem* obſervatur abire pars obſtructa, vel inflammata, applicetur cataplaſma ſequens:

℞. *Medullæ panis albi* ℔ j.
cum ſ. q. *lactis caprini* in pultem coctæ, adde
Caparum ſub ciner. aſſat. ℥ iij.
🜖. *roſacei* ℥ ij.
Vitelli ovor. num. ij.
Croci ʒ j.

M. & quam calidè applica, donec ulcus rumpatur, quod deinde diutius ſervetur apertum, præcipuè in temperamento humidiori, vel ſi infanti accipidit; utpote quibus aliàs effluxus talis materiæ purulentæ ſæpe diu durare ſolet, ſingulari cum emolumento, propterea nunquam impediendus.

Meatus tamen auditorius, durante tali effluxu ſemper mundificetur, per *phlegma urinæ* cum *melle roſato* tepide inſtillatum, vel & *Eſſ. myrrhæ* & *aloes* remiſceantur. *Rulandus* commendat *Balſamum ſuum ſulfuris*, quo mane & veſperi tepide inſtillato, tam dolorem quam ulcus curari aſſerit.

Si verò *ulcus ſordidum* fieri incipiat, modice remiſceatur *Unguentum Ægyptiacum*,

Vel ℞. *Vini generoſ.* ℥ iij.
Myrrhæ ℈ ij.
Viride æris.

Croci

Croci aa ℈ß.
M. pro collutione auris.

Æger interea ſemper decumbat in partem affectam, ut pus, vel materia commodè effluere queat.

Aliàs in immani dolore *ſecetur vena*, & ex omni parte procedatur, ut in aliis inflammationibus ſolet.

V. Nonnunquam *Vermes*, vel extranea, utpote *fabæ*, *piſa*, *nuclei* &c. auribus altè intruſa doloris cauſa exiſtunt. Sic & *parotides in febribus malignis* non raro dolores aurium graves inducere valent &c.

Auris Tinnitus sive *Sonus Peregrinus qui non existit.*

I.

ORtum ferè trahere solet à vaporibus, spiritibus nerveis implicatis, & tympanum vellicantibus, vel & à singulari humorum pressorum ebullitione, prout in febribus ardentibus non raró accidit.

II. Malum hoc difficulter sæpe cedit, & non raró surditatis præcursor fit.

Conducunt tamen ea quæ supra ad auditus difficultatem fuerunt commendata, & quidem *præ oleis destillatis, spirituosa*, qualia suppeditant, *Aq. Anhaltina, Magnanimitatis, Spiritus acovisticus, Ess. succini, Ess. sive Spiritus apoplecticus* &c. tam auri cum gossypio immissa, quam & vertici inuncta.

III. Si post Apoplexiam remanserit tinnitus, vel susurrus, instituantur *capitis frictiones*, applicentur *vesicatoria*, & *sternutatoria* cedant in usum. Potus afflicti sit *Decoctum ex Sarsaparilla, China, Sassafras, Betonica, Majorana, Salvia* &c. instar Thee potum.

IV. Ad Flatus discutiendos,

℞. *Ess. carminativ*, W. ℥ß.
Succini ℨ ij.
M. dentur 50. 60. guttulæ pro dosi.

Nec alia carminativa, stomachica, cephalica &c. negligantur.

Cache-

Cachexia.

I.

ETsi in genere depravatam corpis, & partium subcutanearum nutritionem innuat, in specie tamen Cachexiæ nomine venit vitium hoc, *quando corpus à nativo colore in pallidum, subtumidum, & flaccidum degenerat*, & sub ascensu in altum, dispnœam, cum cordis palpitatione, crurum lassitudine &c. juncta habet; ac ferè primum hydropis gradum constituit.

II. Et cum *acidum quasi fixum in primis viis* causam foveat, bilis particulas, salino-volatiles destruens, & pessundans, sicque *chylum crudum vel semidigestum* relinquens, symptomatum modò enumeratorum, & similium causam, hinc non mirum, ni in tempore succurratur, hydropem enasci.

III. *Frequentius verò fœmininum genus*, hoc malum corripit, tam ob vitam sedentariam, quam menstruorum vitia, utpotè menses suppressos, tam quàm immodice fluentes, unde spirituum vigor perit, & depravationi succi chylosi ansa datur &c.

Hinc ne *Barbette* prognosticon verum sit, qui rarò Cachecticos restitui asserit, in tempore malum aggrediendum, & quidem non tam purgantibus, quā acidum primarum viarum invertentibus, & bilis vigorem restaurantibus, vel leniter saltem, si opus, laxantibus, quo lenius namque ægri hi tractantur, eo facilius curari observarunt Practici magis cauti.

IV. *Ad acidum primarum viarum invertendum*, præ aliis palmam obtinent *martialia*, & ad bilis vigorem restaurandum, *aromatica amara*, ad leniter

verò evacuandum non tantum, sed ad utrumque scopum obtinendum, acidum nimirum corrigendum, & bilem acuandam, *in specie Rhabarbarum.*

Si itaque lene evacuans vel laxans è re esse videtur,

℞. *Pulp. Passular. min.* ℥ iij.
Rhabarb. el. pulv. ℥ iij.
▽ *cinamomi* ℥ ij.
Misce.

Vel ℞ *Rob. Juniperi* ℥ iij,
Rhabarb. el. pulv. ʒ iij. vel ℥ ß.
Cinamomi acuti ʒ j.
Misc.

Vel ℞. *Pulp. Passul. min.* ℥ iij.
Rhabarb. el. pl. ʒ iij.
Limatur. & subtiliss. ʒ j ß.
Cinam. acut. ʒ j.
M. & singulo mane assumat æger bonam dosin.

V. *Si acidum primarum viarum invertendum*, ac bilis vigor restaurari vel conservari debet,

℞. *Herb. absinth.*
card. ben.
Flor. cent. min. aa m. j.
Rhabarb. el. ℥ ß.
Cortic. aurant. ʒ iij.
Cinamomi ʒ j.
Macis ʒ ß.
Croci ℈ j.
Limatur. & subtiliss. ℥ j.

Infundantur in *vini generosi* mens. j. postea singulo mane bibat æger ℥ v. vel vj. subsequente motu.

Vel ℞. *Limatur. & subtiliss.* ℥ ß.
Nuc. moschat. pl. ʒ j ß.
Cinamomi ʒ j.

Croci

Croci ʒ ß.
Sachari ʒ iij.
M. detur ſæpius cuſpis cultelli.
Vel ℞. *Limatur.* ♂ *ſubtiliſſ.* ʒ ß.
Extr. Rhabarb. ʒ j ß.
Succi abſinth. inſpiſſ.
card. ben. inſpiſſ. q. ſ.
Ut fiant Pilulæ de quibus bis vel ter de die dentur aliquot.
Vel & ℞. *Salis abſinth.*
card. ben. aa ℈ j.
M. detur pro doſi ſæpius reiteranda.
Vel ℞. *Eſſent. card. ben.*
abſinth. comp.
Salis volat. ol. aa ʒ ij.
M. dentur ſæpius gtt. 60. vel 80. pro doſi cum vino herbis amaricantibus imprægnato, quale vinum aliàs ſemper pro potu quaſi ordinario ſit in uſu.

Cæliaca Passio.

I.

E*St affectus*, *sive vitium digestionis primæ*, & alterationis legitimæ chyli in duodeno, ubi alimenta in chylum quidem mutantur, sed cum excrementis unà per alvum egeruntur rursus.

II. *Et fieri solet duplici modo*, quando nimirum chylus à fæcibus in intestinis haud secernitur, unde excreta apparent invicem permista, grysea, plus minus albicantia, *vel quando chylus* cum excrementis confusus excernitur, licet à bile satis tincta existant.

Prius accidit *ob bilis defectum* sive inertiam; Posterius *ex obstructione vasorum lacteorum*, à pituita viscida, chylum non secernentium.

III. In priori casu, *bilis inertia acuanda erit per stomachica amara*, & *sale volatili acri prædita*; In altera specie, pituita viscida, parietibus intestinorum adhærens, & lacteorum orificia occludens, abstergenda est.

IV. Uterque scopus obtinetur usu amaricantium, v. g. *Absinthii, card. ben. cent, min. helenii, trifol. fibrin.* & in specie *cichorii*, amarore abstersivo singulari præditi, & ex his parato vino medicato.

Præterea conducunt *Tinctura antimonii acris*, vel *Tinct.* ♀*i optima*, cum *Spir.* ✱*ci* ♂*iali* concentrato &c.

Calcu-

Calculus.

I.

ETsi nulla pars corporis à coagulo lapidifico sit immunis, quin aliquando in hac vel illa, lapides generentur, tamen præ aliis corporis partibus hoc coagulo infestantur renes, & vesica, & in renibus si excruciat, Nephritis vulgo audit.

II. Generatio ut plurimum in renibus inchoatur, & successu temporis in vesica incrementum accipit ex urina, *quando acidum manifestum occurrit alcali volatili*, & partibus terreis viscidis intermixtis, in coagulum abeunt.

III. Acidum ideoque vitiosum urinam magis minus impraegnans, & viscido occurrens, cum potiorem coaguli causam foveat, ante omnia invertendum est.

Fieri hoc solet, acidum in primis viis absorbentibus, & sic à calculo præservantibus, id quod *egregiè* etiam præstant *vomitoria*.

IV. Si calculus nunc concretus existit, & certo suo tempore excruciat, cum sensibili dolore renis vel dextri vel sinistri gravante, & dum in ureteres propellitur, magis urgente & lancinante, cum urina vel suppressa, vel pauca, & instar stranguriæ urente, præsente simul vomitu, & torminibus sive colica, lateris dolentis &c. tunc potissimum eò respiciendum, *ut contractiones spasmodicæ sistantur*, ut id quod excerni debet, haud diutius retineatur, sed liberius promoveatur.

V. Ad sistendos dolores, & contractiones spa-

ſmodicas, viarum urinariarum demulcendas, præ aliis efficacia inveni ſequentia, v. g.

℞. ▽ *Petroſel.* ℥ iij.
Diuret. è nucl.
Zedoar. aniſ. aa ℥ j ß.
R ♀*i vel* ♉*nii* ʒ ij.
anod. Lud. ʒ j ß.
Eſſ. ſuccini ʒ j.
Lapid. Jud. pr.
Ocul. ♋ pr. aa ℈ ij.
Syr. de alth. ℥ ß.
M. & dentur ſæpius cochlearia aliquot.

Vel ℞. R *meæ Neph.* ʒ ß.
anod. ʒ j.
M. dentur ſæpius gtt. 50. 60. cum *Aq. Petroſel. Zedoar. aniſ. cort. aurant.* &c.

Clyſteres etiam optimum addunt levamen, non laxantes, ſed inſtar fotus ſaltem, contractas vias urinarias demulcentes, v. g.

℞, *Herb. malv.*
alth.
parietar.
verbaſci aa m. j.
Flor. chamomillæ.
meliloti.
lilior. alb. aa p. iij.
Bacc. Lauri.
juniperi aa ʒ iij.
Sem. aniſi.
cumini.
fœnugræci aa ʒ ij.

Inciſa groſſe ſufficiunt pro menſura aquæ & aliquot Clyſteribus. Decoctum ſaltem ſale acuitur & conve-

convenientedosi applicatur sæpiusin die. Herbæ verò coctæ calidè regioni renum applicantur vel umbilico.

Postea*regio renis dolens inungatur* sequenti oleo vel linimento.

℞. *Unguent. anodini* ℥ ß.
 ℅ *chamomill.*
 Scorpion. aa ℥ j.
 juniperi ℨ j ß.
 succini ℈ ij.
 Bals. 🜍 *anisati* ℈ß.
 Misce.

Vel ℞. ℅ *Scorpion.*
 laterit. aa ℥ ij.
 juniperi.
 petræ aa ℨ j.
 Camphoræ ℈ß.
 Misce.

Et si commodè fieri queat, æger prius *Balneo insideat*, v. g.

℞. *Herb. & flor. malvæ,*
 meliloti.
 altheæ.
 Flor. chamomill. aa m. iij.
 Sem. fœnugræci,
 lini,
 Bacc. juniperi aa ℥ iij.
 Incisa dentur pro conficiendo Balneo.

VI. Dolore mitigato paulisper, & quidem, ubi in forma arenularum, vel calculi minoris, coagulum existit adhucdum, tum simul magis pellentia adhibeantur vel lenientia v. g.

℞. ℅

℞. 🜇 *Amygd. dulc.* ℥j.
Spir. therebinth. gtt. vj.
M. detur pro dosi.

℞. *M. Pil. de Thereb.* ℈ß.
milleped. pr. gr. viij,
⊖*is succini vol.* gr. v,
🜇 *succini* gtt. ij.
M. fiant Pilulæ no. 22. dentur pro duabus dosibus.

VII. Paroxysmo dolorifico, modo traditis tam internis quàm externis profligato; *dolore namque durante durat contractura & angustia viarum ut nec urina liberè excerni queat*; accessus fiat extra paroxysmum ad ea, quæ partim primas vias evacuant, & acidum præternaturale coagulans enervant.

Ex evacuantibus verò optimè *præservant vomitoria* autumno vel vere, vel ubi alvus libera requiritur, & laxandum est,

℞ *Cassia cum Aq. Parietar. extr.*
Pulpæ tamarind. āā ℥ iß.
M. detur sæpius vel singulo mane quantitas nucis castaneæ. *Semper verò alvus libera sit*, tam in, quam extra paroxysmum; etenim *nephritici* hoc in passu *cum hypochondriacis pari passu ambulant*, & ambo alvum liberam requirunt.

VIII. De hinc tam ad *calculum* relictum sensim *diffringendum*, quam *coagulum destruendum*, propinentur Diuretica acidum destruentia, & renes abstergentia v.g. si Diureticum simul & absorbens desideras;

℞. *Lapidis Judaici* pr.
Ocul. ♋ pr. aa. ʒj.
milleped. pr. ʒij.
Salis genistæ.
fabarum aa. ʒß.

M. de-

M. detur sæpius cultelli cuspis.

Vel ℞. *Tinct. millepedum.*
antimon. opt. aa. ℥ iij.
M. dentur pro dosi gt. XXX. & ultra.

Sylvius propinat *Spiritum Nitricum Aqua graminis*, tanquam specificum solvens calculi.

Ammanus hoc suum extollit specificum v. g.

℞. *Nitri antimon.*
⊖*is vol. succini* aa. ℈ß.
M. detur pro dosi.

Alii laudant *Tincturam Nephriticam Amelungi*: cui tamen *Ettmullerus* præfert *Clyssum*, *ex Nitri & Tartari* aa. per retortam tubulatam destillatum, posito in recipiente parum *Spiritus vini tartarisati*. Spiritum verò, sive Clyssum, exhibet cum *Aq. Fragar.* ad gtt. 60.

V. ℞. *Caparum allii* no. X.
Raphani maj. incisi, cochl. iij.
Baccar. Juniperi m. ij.
Vini Malvat. ℔
Spir. Juniperi ℔ß.

Stent invicem incisa & contusa, & de vino propinentur mane & vesperi cochlearia aliquot.

Vel & pro abstersione viarum urinariarum, & præcavendam concretionem calculosam, multum præstat *Semen Dauci*, tam in substantia, quàm *cerevisiæ fermentandæ* infusum.

Nec minoris momenti est *Liquor Betulæ, primo vere collectus*, & per septimanas aliquot bibitus.

Vel ℞. *Sem. hyperici.*
Dauci.
Sal. succini vol.
☍ *Juniperi.*
Syr. fragor. q. s.
Ut fiat Elect. quod sæpius detur.

Capi-

Capitis Dolor.

I.

A Doctoribus Medicis diversis distinguitur nominibus, alias nil nisi vel doloris locum, vel affligendi modum significantibus: etenim si tota illa capitis regio dolet quæ ossibus cranii circumscribitur *Cephalalgia* audit: Et si dolor hic diutius excruciat & contumaciter sævit, *Cephalæa* vocatur: Si verò dimidia capitis pars, hæc vel illa, tantum dolet, *Hemicrania* dicitur: Et ubi unica saltem illa capitis pars inter sagittalem, & temporalem aliquando intensior, aliquando remissior affligitur, *Ovum* appellatur: Si autem dolor hic fixus, & contumax in uno parvo loco excruciat, dicitur *Clavus*.

II. *Cephalalgia* tamen *vel calida dicitur*, ubi simul circa frontem calor præternaturalis sentitur: *vel frigida*, quando cum frigoris sensu, aut saltem gravedine capitis, affligit.

III. Affligit porro dolor hic vel *per Consensum*, ex communicatione aliarum partium cum membranis capitis, & quidem tensivus aut pulsatorius.

Vel *per Essentiam*; accidentaliter, post vulnus Capitis, aut habitualiter, si curato vulnere redit, vel remanet Cephalalgia.

Uterque dolor verò, vel à sanguine, vel à lympha fovetur; sic in febribus sanguis turgescens, hunc dolorem causatur; vel & sanguinis evacuationes consuetæ, utpote mensium, narium &c. suppressæ, vel ultra tempus emanentes eundem effectum præstant &c.

Ubi verò *lympha* viscida est & stagnat, velut *in scor-*

ſcorbuto ſingulari acrimonia inquinatur, tum membranas capitis affligendo, hæmicranias aut cephalæas infert, & quidem *pro majori vel minori acrimonia*, dolore lacerante, aut lancinante vel gravante ſaltem, cum ſenſuum torpore, ut in coryza incipiente.

Et ſi lympha hæc viſcida, ſe intra ſuturas cranii inſinuat, & eas ſenſim diſcedere facit, tunc intenſiſſimꝰ dolor, aliquando cum manifeſto ſonitu ſentitur.

Si verò *cranii nutrimentum ab acore maligno*, in materiam viſcidam & corroſivam corrumpitur, tum hoc ſub cranio coacervata, tumores, & cariem cranii infert, *ut in Lue Venerea*, & quidem cum doloribus capitis horrendis, in ſpecie nocturnis.

Aliquando abſceſſus interiores capitis, item vermes, vel calculi, in cerebro geniti, graves inferunt dolores.

IV. Si dolor, per eſſentiam, ex lympha viſcida plus minus acri originem ducit, tum hoc deſignat, aut gravamen capitis, vel frigus, ſomnolentia, aut ætas ſenilis; & quidem aliquando affligit per periodos determinatos, vel ſolis motum, vel lunæ phaſes, obſervantes.

V. *Cephalalgia quæ per conſenſum affligit*, non aliter curatur niſi parte primaria reſtituta, & quidem *per propinatum vomitorium*, ubi ſtomachus vel cauſam fovet, viſcidam aut bilioſam.

Ubi verò Uterus cauſam continet doloris, id quod aliquando dolor in nucha cum frigoris ſenſu indicat, tum cura ad eum dirigatur, & ad humores viſcidos, in vaſis uteri lente circulantes, colliquandos, & partim evacuandos.

℞. *Gummi ammon. vel M.P. de ſuccino* ℈ß.

Reſ.

Res. Jalapp. gr. vij.
Extr. troch. alband. gr. ij.
Castorei gr. v.
⊖*is succini vol.* gr. iij.
🜔*, succini* gtt. ij.
M. fiant Pilulæ no. 15. pro dosi.

Nuchæ & occipiti, ad dolorem cum frigoris sensu molestum sacculum *succino pulv.* repletum & *Essentia piperis*, vel *sale volatili oleoso* irroratum applica: vel *piper pulv. cum album. ovi* superimpone, aut *vesicatorium* adhibe.

Si à vermibus cephalalgia juniores excruciat, præmissis universalibus; syncipiti applicetur *Empl. ex Aloes & lumbric.* pl. aa. ℥ij. *fellis tauri* ℥j *olei absynth. & ceræ* q. s. &c. Ubi vero *ex carioso dente* dolor traxerit ortum, is vel extrahendus, vel idoneis aliis corrigendus.

VI. *Per Essentiam ita dictus dolor*, ubi ipsa doloris causa, lymphæ nimirum aut seri vitium, in hac vel illa parte, aut lente circulans, vel planè subsistens, & quidem pro majori vel minori acrimonia, dolorem magis minus tolerabilem infert: *demulceatur & plane auferatur* mediantibus illis quæ lympham viscidam attenuant, & sanguinis circulum liberum restituunt.

Hoc in negotio, si dolor ex causa frigida originem traxit, aliis prævalent *Diaphoretica succinata*, partim volatilia qualis mihi est *Tinctura C.C. succinata* quæ omnibus aliis medicaminibus planè palmam præripit.

Et si cachectica dispositio adest, *ex limatura ♂ cum extracto absynthii* & aliis similibus fiant Pilulæ, quales vide de cachexia.

Et si

Et si quis, simul externè demulcentium vel reserantium interne adhibitorum effectum, efficaciorem reddere velit, simul *locum doloris, sale vol. oleoso probe inungat*, vel ♁, *camphora* optime fricet; desuper posito *sacculo calido, milio vel sale communi* vel & *Radice Rhodia & Fl. Chamomilla, ac herb. beton. repleto.*

Alias & *cura per ligna sudorifera* præcipuè in Cephalalgia senum, ex causa frigida non absque effectu olim instituebatur: illito vertici *Balsamo succini*, vel & capiti raso imposito *Empl. de ranis cum* ☿*io.*

Id quod Empl. *in doloribus inveteratis venereis*, aliis omnibus præfertur.

Et si *dolor à discussione suturarum cranii* oriri videtur præter capitis ligaturam, capillis derasis, loco affecto applicetur *Ceratum de pelle arietina, cum gummi elemi, & pauco cerato de Betonica.*

Porro *in Cephalalgia ex causa frigida*, vel cum frigoris sensu juncta, admodum laudatur *Rad. Rhodia* vel *Rad. zedoariæ*, cum pistillo ligneo contrita, & *Aqu. verben. & sambuci* irrorata & instar cataplasmatis fronti applicata, vel & *verbena ipsa contusa*, cum linteis duplicatis fronti & temporibus admota.

VII. *Si calor Febrilis* Cephalalgiam induxit, fronti & temporibus applicetur epithema hoc vel simile.

℞. *Nucl. persicor.* ℥ß.
Sem. papav. alb. ʒ ij. & cum
Aq. verbenæ q. s. fiat Emulsio.

Vel *succus sempervivi maj. aut portulacæ, cum pauco aceto*, vel item *succus ex contusis cancris fluviatilibus*, vel *cataplasma ex ipsis cancris contusis* applicatum, aliquando optimum præstat levamen.

Sic & Ung. de Alabaſtro hoc in caſu multum valet:

Vel ℞. *Ung. Alabaſtrini.*
Populi.
Anodyni. aa. ℥ß.
Balſ. rutæ.
🜕 *Nymph.*
nucl. perſic. aa. ʒj.
ſuccini ℈j.
M. fiat linimentum.

VIII. *In Hæmicrania*, Clavo vel alio contumaciori capitis dolore ex vitio ſanguinis præter ſupra ad lympham viſcidam, acrem &c. commendata, multi etiam uſus & effectus ſunt, *inciſio venæ, præcipuè frontis*, vel ſi formidetur hæc inciſio, *adponantur hirudines* utrinque ad tempora, vel & plurimorum Practicorum experimento, *ſecetur vena inter pollicem & indicem manus*, tanquam præſens remedium.

Nec Arteriotomia omittatur circa tempora, aliis nil juvantibus, & ad præcavendum aneuriſma, *terra vitrioli dulcis, cum terra ſigillata, & album. ovi,* applicata, intra triduum arteriam rurſus conſolidat.

IX. *Ex ſeri vitio originem ſi ducit Hæmicrania, Clavus* &c. *Fonticulus fiat in brachio vel nucha, veſicatoria ponantur* vel pone aures vel prope nucham, vel in graviori malo capiti raſo applicentur; *nec ſetaceum, vel & trepanum*, præcipue in dolore poſt luem veneream relicto, formidandum.

Aliquando etiam *Cauſticum potentiale*, ad ciceris quantitatem applicatum, dolorem capitis periodicum profligavit.

Nec

Nec Errhina minori cum emolumento in usum vocantur, præcipue *in dolore catarrhali*, ubi præ aliis hoc laudatur admodum in observationibus Spindleri p. 24. v. g.

℞. *Euphorbii grosse concis.* q. v.

Frixetur in sartagine ferrea & fiat pulvis, *hujus pulveris*, *& pulv. rad. iridis flor.* sumatur medius cultri mucro, *humectetur salivâ*, & utrique narium foramini intrudatur, sic ex naribus & faucibus copiosissimus effluet mucus.

Vel ℞. *Rad. Helleb. albi* ʒj.
Pyrethri.
Euphorbii aa. ʒß.

Grosse contusis affundantur *Spir. vini* ℥ij. tinctura colata filtretur, & penna, ei imersa, illinantur nares, sic copiosa educetur blenna, *& præmisso purgante ex* ☿ *dulci*, etiam cephalæa pertinax haud perstabit.

Pro purgante autem

℞. *Extr. Rhabarb.*
Agar. aa. gr. vj.
☿ *dulcis* ℈ß.
Diagridii ♀*ati* gr. vij.
trochisc. alhand. gr. iij.
☍ *succini* gtt. ij.

M. fiant Pilulæ no. 15. pro dosi.

Alias & *clysteres* aliquando optimè alleviant dolores, dum pro consuetudine alvus requiritur libera.

Externe ad tempora simul poterit applicari hoc vel simile.

℞. *Gummi Tacamah.* ℥j. *Balsam. Peruv.* ℈ß. ☍ *succini* gtt. iij. M. fiat Empl.

X. *Si à spasmis* dolor videtur trahere originem, ut hystericis &c. non inconsuetum, præ omnibus aliis *Opiata* sunt appropriata doloris hujus remedia.

Cardialgia.

I.

EST dolor maxime sensibilis, sinistri orificii ventriculi, unde se plerumque extendit ad ultimas pectoris vertebras in dorso, vel & sursum, versus scapulas ascendit; aut in collo compressionis sensum infert. Et est dolor fixus, à convulsiva adstrictione ortus, aliquando cum lypothymiis, sudoribus frigidis, *etsi cor immediate haud afficiatur*, â quo interim nomen sortitum est malum hoc.

II. Causatur autem à læsione quâdam orificii sinistti ventriculi, & quidem *per consensum nerveum*, ut in Nephritide, vel vertebrarum dorsi contorsione.

Vel per Essentiam, ex contentis stomachi viscidis, & inde ortis, in specie flatibus, unde Hypochondriacis, & Hystericis. familiare est hoc malum.

Bilis tamen æruginosa, magis familiaris, & pessima, est hujus doloris causa: nec aliæ minoris sunt effectus, utpote, si ulcus orificium ventriculi occùpat, aut mesenterium scyrrho laborat, &c.

III. Distinguenda verò Cardialgia est, à dolore colicò, utpote qui versus lumbos & renes descendit, ubi illa sursum potius vergit, & non raró convulsiva, infert symptomata.

IV. *Causâ* verò remota, cessat effectus: hinc si Dolor hic, *vel ex assumtorum vitio, vel contentis aliis viscidis & acrioribus*, videtur enasci, tum propinetur vomitorium conveniens: Et si dolor paulo mitior, admiserit purgans.

℞. *M. P. Aloephangin. cum scammon.* ℈j.

Extr.

Extr. trochisc. alhand. gr. iij.
Opii gr. ß.
Absynth. q. s.
M. fiant Pilulæ no. XXIII. pro dosi.

Ratione opii additi, ne dolor exasperetur, requiritur paulo major purgantium dosis.

V. Post operationem debitam purgantis exhibiti, si flatus causam viscidam produnt; propinentur carminativa v. g. cum blandis acidis remixta, ubi ardor in regione stomachi percipitur simul. e. g.

℞. *Aqu. menthæ cum galanga dest.*
Zedoar. anis.
Ess. carminativ. W.
R. *anodina. Lud.*
Spir. ⊕ *i dulcis.*
Syr. cortic. aurant.
M. detur cochleatim sæpius.

Theriaca etiam non erit absque effectu.

Vel ℞. *Spir. Vini anisati* ℥ ij.
⊕ *dulcis.* ʒ ij.
M. dentur sæpius gutt. 60. 70. & ultra.

Decoctum item flor. Chamomill. Roman. vel & *oleum ejus saphyrinum*, ut & ☍ *dest. carvi & succini*, hic commendantur tanquam specifica.

Nec clysteres carminativi hic omittantur. Ubi vero dolor adeo crudelis excruciat, ut *convulsiones* metuantur: ante omnia *opiatis* prius demulceatur ille, antequam vel ad purgans aut vomitorium, vel & carminativa alia fiat accessus.

VI. Cum etiam *Bilis æruginosa*, doloris atrocioris nonnunquam sit causa, absorbentia specifica sæpius exhibeantur v. g.

℞. *Cryst all. mont.* pr. ℈j.

conchar. vel matris perl. pr.
corall. r. pr. āā ʒß.
arcani duplic. ℈j.
Extr. opii. gr. j.

M. detur pro dosi mane & sero reiteranda.

Et si nullus præternaturalis calor combinatus est, addatur aliquid *olei carvi, succini* &c.

Hoc vero in casu, *Hermanni in sua mat. med.* admodum commendat *Radicis Aristol.* pl, quem miracula hic præstare asserit.

VII. Si *Dolor ex assumto ☿io sublimato* fuerit enatus, *Butyrum* deglutiatur vel *Theriaca cum crystallis* pr. exhibeatur.

Et si *ex deglutitis frustulis vitri, vel aciculis*, ortus fuerit, propinetur *Oleum amygd. dulc. ad* ℥ ijß. vel ultra, *cum jure galli.*

VIII. Nonnunquam etiam *Externa* fiunt optima doloris stomachici demulcentia v. g.

Tacamahacæ ʒ iij. *cum Bals. Peruv.* ʒj. subactæ & applicatæ, plurimis aliis præferuntur.

Nec absque effectu erit *Ol. stomach. Cratonis.*

Vel ℞. ℅ *Chamomill. dest.* ʒj.
macis ℈j.
garyophyll. ℈ß.
mastichini ʒ ißs.

M. inungatur ventriculus, & desuper applicetur *sacculus calidus herbis, & speciebus carminativis repletus* v. g.

℞. *Herb. menthæ.*
summ. anethi.
Flor. chamomill. āā. m. j.
Rad. galang. ʒ ij.
Macis ʒj.

garyo-

garyophyll. ℥ß.
semen. anisi, fœnic.
cumini ā ā ℥j.
Incisa dentur pro sacculo.

Hyeme præterita consilium meum implorat virgo viginti aliquot annorum, cardialgia gravissime excruciata, postquam diebus aliquot absque medicaminibus tempus transegerat. *Commendo* ▽*am menthæ*, sed absque effectu. Præscribo *pulv. absorb.* cum *pulv. aristol. rot.*, sed itidem absque effectu: Hinc præscribo *Extr. Zedoar. calam. arom.* ā ā ℨß. *cum Extr. Op.* gr. v. fiant Pil.. no. 60. de quibus sumere jussi singulis tribus horis, septem, novem. Sic paulisper incipit mitescere malum intra 24. horas hinc Pilulas reitero. Post has rursus deglutitas præscribo *Elect. Diacori. Philon. Rom.* ā ā. ℥ij. singulis tribus horis quantitate cusp. cultelli sumendum intermediata *Aq. Mastichin. Zedoar. anis. cinamomi menth.* &c. stomachi regioni applicari curo *Empl. stomachale Reg.* tandem corripitur diarrhæa cum maximis torminibus hinc *clysteribus* quotidie exhibitis mucus admodum viscidus excernitur: atque medicamentis diligenter continuatis opiatis restituitur ægra.

Catarrhus.

I.

DEfluit, & originem ſumit, *à lympha vel copioſa, vel lenta, craſſa*, plus minus acri, ex glandulis præcipue conglomeratis *circa caput, fauces, collum, laryngem, aſperam arteriam*, & alias aeris injuriis maxime expoſitas partes, &c.

Et pro majori vel minori acrimonia, vel mitis, & frigidus, vel acrior, ſive calidus, cum dolore & aliquali inflammatione, exiſtit:

Ab initio verò plerumque tenuis, in incremento verò & ſtatu demum craſſior evadit lympha, lente circulans, vel planè ſtagnans.

II. In genere autem *catarrhum imminentem, præcedunt* capitis gravitas, ſenſuum torpor, artuum laſſitudo, horripilatio levis dorſi, & ſi majus fit vitium lymphæ, veſpertino tempore febricula ſe jungit. Et æqualiter omni tempore affligit, ſi lympha craſſa eſt, & catarrhus frigidus dicitur. Si autem catarrhus adhuc tenuis eſt, tum effectus doloroſi, veſperi & noctu magis affligunt, & tuſſis, ac raucedo cum ſputo junguntur.

III. A cauſa verò vel externa, nimirum frigore externo, & inde contracta pororum obſtructione, aut fibrarum ſtrictura, lymphæ circulum remorante, vel & ex maſſæ ſanguineæ depravata mixtura & textura, omnes oriuntur catarrhi.

IV. *Si ventriculus* videtur cauſam tranſmiſiſſe, & contumax fuerit catarrhus, ad vomitoria, vel purgantia fiat acceſſus, v. g.

℞. *M. P. de ſuccino* ℈ʃʃ.

Reſ.

Ref. Jalapp. gr. v.
Extr. troch. alband. gr. iij.
Ladani gr. iiij.
Opii gr. j.
Salis succini vol. gr. ij.
M. fiant Pilulæ pro dosi num. xv.
Vel ℞. *M. P. de succino* ℈ß.
Ref. Jalapp. gr. iiij.
Diagrid. ♃.
Troch. alband. pl. aa gr. iij.
☿ *dulcis* gr. vij.
☍ *succini* gtt. ij.
M. fiant Pilulæ num. xv. pro dosi, Luna decrescente sumendæ præservationis gratia.

V. Ubi vero lymphæ lentæ acrimonia, quocunque vitio contracta, mediante purgante partim evacuata fuit, modo in stomacho delituerit partim, *tum ad sudorifera, opiatis remixta, in catarrho tenui,* noctu fiat accessus, expectando levem sudorem.

Et hoc in negotio præ omnibus aliis inveni efficacem *Tincturam meam C. Cervi succinatam*, cum guttis nonnullis *Tincturæ anodinæ* remixtam, & ad guttulas 60. vel 80. cum liquore quovis sub introitum lecti propinatam: Quantum effectum mihi ipsi præstiterit Tinctura hæc in gravioribus artuum doloribus catarrhalibus, satis prædicare haud possum.

In catarrho autem frigido, sola Tinctura modo dicta, absque opio omnem mihi absolvit paginam, ut nec tot aliis à Practicis commendatis habuerim opus; & dum alii sua cinnabarina, succinata, cum opio, aut Theriaca cœlesti, vel & volatilia oleosa extollunt, mihi hoc unum sufficit.

VI. Aliàs *in catarrhis sæpius recidivantibus & contumacioribus*, etiam palliativa remedia in usum sunt vocanda, qualia sunt *Fonticuli* & *Vesicatoria*, utpote quæ productum morbosum cum sero & sanguine laudabili emungunt, & licet causam haud attingant, tamen insultus mitiores præstant.

Aliis *Fumus Tabaci non inutile est lymphæ corrigens*, & tam attenuans quam evacuans, sic & vi narcotica motus catarrhales sistit. Poterit vero misceri cum aliis simul attenuantibus, vel lympham corrigentibus; utpotè *succino, corriandro, aniso, Thea, schacharilla, serpillo*, &c.

VII. Si catarrhi tenues ad pectus ruunt, cum tussi.

℞. *Extr. Liquirit.*
Stirac: calamit.
Croci aa ℈ j.
Opii .gr. vij.

M. fiant Pilulæ num. 60. de quibus aliquoties de die dentur 7. vel 9. pro dosi.

VIII. Si membrum aliquod externum, ex catarrho dolet, apponatur Empl. seq.

℞. *Gummi Tacamahac* ℥ j.
in mortario calido liquefacto, adde
Bals. Peruviani ʒ iij.
☍ *macis*,
succini aa ℈ j.
garyophyll. ℈ß.
M. fiat Empl.

Vel & *Sal volatile oleoso balsamicum* infricetur sæpius, desuper applicatis linteis calidis, *suffitu ex succino, thure, mastiche* &c. *imbutis*.

IX. Catarrhus si ad nares defluit, dicitur *Coryza*, quando

quando lympha tenuis & acris, poſtea & ſucceſſive ſpiſſior, ac variè aliquando colorata, interiora narium lædit, & inſpirationem diffilem reddit.

Cavendum hic *ne interiora narium exulcerentur* & in ozænam degeneret malum.

Hinc irritatio in principio ſiſtenda, & mucus productus, in incremento abſtergendus.

Pro conditione vero catarrhi, vel laxantia, vel ſudorifera, ſupra laudata ſimul ſocientur.

Ad ſiſtendam irritationem illinatur ℴℴ *aniſi.* Et ſi nares nunc cum rubedine dolent, & excoriari incipiunt, applicetur *Elixir Balſamicum* externe, vel ex *gummi animæ, thure, maſtiche, ſuccino, Benzoi,* &c. ſuffitus excipiatur ore & naribus. Excoriatæ vero nares inunganţur *Ung. pomato vel oleo amygd. dulc.*

Poſtea ad mucum coacervatum evacuandum,

℞. *Fol. majoran.* p. iij.
Sem. nigellæ contuſ. ʒ ij.
ℴℴ *majoran. deſt.* gtt. ij.
ſuccini,
aniſi aa gtt. vj.
M. fiant nodulus ad nares.

Vel ℞. *Vitrioli ad albed. calcin.* gr. xij.
Aq. Majoran. ℥ ij.
M. & liquor filtratus attrahatur naribus.

Si caput grave, & obnubilatum ſimul exiſtit, vertici inungatur, *Balſamus, Albus*, vel *Succini*, vel & ℴℴ *ſuccini.*

Si fauces dolent & phlogoſibus afficiuntur, guſtus aboletur, raucedo & tuſſis, coryzæ graviori ſe aſſociant, *præter ſuffitus* modo dictos, veſperi exhibeantur *opiata*, lympham acrem incraſſantia.

Et ſi mucus viſcidus pectus & fauces obſideat, in uſum

uſum veniant incidentia, & expectorantia: *Ficus in fruſtula conciſa, Spir. vini infundantur,* & tunc deflagret ſpiritus accenſus, fruſtula vero comedantur ſemiaſſata, veſpertino tempore.

Paſſulæ etiam majores in ſpir. aniſi macerata, & jejuno ſtomacho maſticatæ, præſervant aſperam arteriam à læſionibus aëris.

Ad expectorandam lympham viſcidam, bronchia pulmonum occupantem, propinetur *Aqua Aſthmatica cum oxymelle ſquillitico*, & detur item *ſpermaceti* ad ʒ j. &c.

Chlo-

Chlorosis.

I.

Est affectus virginibus aut viduis, vel quibus non satisfaciunt mariti, proprius. Et hæ *pallent, cum colore nonnihil sublivido*, & corona quasi sub oculis subrubescente: easque vexat sæpe anxietas absque manifesta causa, cum tristitia, pulsu inæquali & vario, febre lenta inordinata, sed vix sensibili. *In progressu verò mali* & menses supprimuntur.

II. Causa est liquor seminalis corruptus, & suppressus, qui sanguini communicatus symptomata hysterica, cum tetanis convulsivis, vomitum &c. accersit: Nec mirum, *viduas aut virgines petulantes*, vita sedentariâ, Diæta lautâ, potu generosiori, ac aliis liquorem seminalem augentibus, hoc malo tentari, *produnt* vero id *tristitia, anxietas*, &c. quando citra diætæ errorem adveniunt.

III. Cura nulla facilior excogitari potest, aut magis in promtu est, quam congressus validus: sic enim excernitur semen corruptum, unde de novo effervescit sanguis, ac spiritibus recreatis color corporis fit floridus: hinc est quod virgines pallentes, sæpe evadant mulieres pulcherrimæ.

IV. In cura respectus habeatur liquoris seminalis, cujus *vitium corrigi debet*, & sanguinis dyscrasia emendari, *per camphorata, succinata, castorina, myrrhata, therebinthinata, saturnina, nitrata*, &c.

Chole-

Cholera.

I.

EST *summus quasi Diarrhœa gradus*, ubi cum impetu quodam recrementa, vel corruptela, sursum & deorsum rejicitur.

Et *Cholera humida* dicitur, ubi simul ventris & intestinorum dolor excruciat, cum inflatione cardialgia, pulsu celeri, aliquando debili, præterea adsunt præcordiorum anxietates, inquietudo, jectigatio, imminentia animi deliquia, externarum partium refrigeratio, sudor circa frontem, & tandem convulsiones.

Sicca autem cholera vocatur, quando saltem flatus sursum & deorsum eructantur, & est malum Hypochondriacis vel Hystericis familiare.

II. Excitatur cholera humida *ab acido quodam & acri fermento*, irritationem tantam non solum instituente, sed & *Massam sang. quasi colliquante*, prout id saburra copiose excreta, & ex corruptis assumptis vix enata, docet. Non raro etiam acidum illud acre bilem invertit, & æruginosam dispositionem ei imprimit, unde licet frequentius, tamen parum excernitur.

III. Quod autem excrementorum quantitas in hoc malo quævis assumpta longè superet, in causa est *colliquatio humorum*, dum hi partes à fermento acri corruptas, per vasa pancreatica & cholodocha in intestina copiosè amandant. Et inde est quod aliquando *purgantia in Hystericis* & Scorbuticis choleram inducant, & *fructus horarii* in chylum fermentescentem abeuntes, ac Mass. sang. turbantes, aut colliquefacientes, choleram excitent.

Fer-

Fermentum tale aliquando adeo acre, & partibus nervis adeo investum existit, ut non aliter ac venenum pessima symptomata inducat, præcipuè à bile æruginosa dependens malum.

Recidiva sæpius solet esse lethalis, & pessimum est signum, si livida vel nigra & fœtida rejiciuntur. Aliàs *in principio quarundam febrium solet esse critica & salutaris.*

IV. In hoc malo *Medicus ab initio spectatorem agere oportet*, ne si magna corruptorum humorum saburra adest, hæc reprimentibus figatur. Ubi autem æger nunc ad decem vel plures horas satis materiæ rejecit, & debilitari incipit cum extremarum frigore; tunc quavis semihora propinentur, *Laudani liquidi* gtt. triginta, *cum Aq. cinamomi opt. cochleari*, & hoc continuetur usquedum gravissima symptomata mitigari incipiunt.

Tunc verò *æger per aliquot dies quieti indulgeat*, ac ei subinde propinetur dicti Laudani dosis, etiam postquam reconvaluit, ita commendante *Sydenhammo*,

Aliis placet seq. mixtura, v. g.

℞. *Aq. menthæ spirituosæ* ℥ ij.
cinam. cydon.
mastichin. aa ℥ ß.
Elect. Diascord. vel Ther. ʒ j.
Theriaca cœl. gr. iij.
Syr. corall. ʒ ij.
M. detur pro dosi aliquoties si opus reiteranda.

V. Si Bilis æruginosa causa esse observatur,

℞. *Crystalli mont.* pr. ʒ ß.
Corall. r. pr. ℈ j.
Extr. op. gr. j.
M. detur sæpius pro dosi.

VI. *Si*

VI. *Si à veneno* oriatur cholera, dentur *oleosa pinguia, & absorbentia.*

Si à corrosivo, ut Aqua Forti haustâ, detur *Lac chalybeatum* cum tantillo *ceræ flavæ.*

Si ex Hypercatharsi detur *Theriaca cum vino absinth. aut theriaca cœlestis.*

Si fructus horarii fuerint in causa, exhibeantur *absorbentia terrea,* & *salia lixivialia,* utpote quæ non aliter, ac cerevisia vel mustum effervescentia, impetum illum humorum colliquari incipientium reprimunt.

VII. Externè, *regioni epigastricæ* cum linteis multiplicatis *applicetur Spir. vini camph.* quam calide ferre potest æger. Vel *panis tostus, vino generoso intinctus & pulveribus arom. aspersus,* imponatur.

Vel *Theriacæ* ℥ j. cum *Terra sigillata, Nuce moschata* &c. ac *Spir. vini camph.* humectata, in forma cataplasmatis adhibeantur.

Potus sit parcissimus. Bibat autem æger pro siti urgente, *Decoctum C. Cervi cum Galanga factum.*

Colica.

I.

ETsi in genere omnis Inteſtinorum dolor, Colica appellari ſoleat; *differt* tamen admodum, *ratione partis* in ſpecie *affectæ, & ſitus doloris.*

In ſpecie verò *dolor ille inteſtinorum, Colica dicitur,* qui in inteſtino Colo, vel partim in Jejuno juxta ductum iſtius inteſtini, excruciat; ſuperiorem & anteriorem abdominis partem, circuli ad inſtar ambiens, & uſque ad umbilicum, vel & aliquando uſque ad veſicam ſe extendens.

Quando vero *tenuia afficiuntur inteſtina*, ilium præcipuè, *dicitur Dolor Iliacus* & pro inteſtini hujus ſitu, in, & circa, & infra umbilicum, percipitur.

Si in ſiniſtro hypochondrio dolor excruciat punctorius, & terebrans, poteſt vocari *Colica hypochondriaca,* prout *Lumbaris* vel *Nephritica, Meſenterica* aut *Pancreatica.*

Dolor vero ille ſiniſtri hypochondrii, ſi eſt punctorius &c. *non eſt à liene*, utpote qui non niſi gravativo, vel tenſivo dolore, affligere poteſt, & cum profundè ſituatus ſit, ad tactum intumeſcere nequit, prout id in dolore ſiniſtri hypochondrii, ſæpe familiare eſt, ex colica.

Neque ille dolor, qui in dextro hypochondrio aliquando ſentitur, eſt ex Hepate; ſed ex inteſtino, colicâ affecto.

Nec dolor ille lumbaris, qui in duodeno, circa principium jejuni, ſubinde exoritur, eſt nephriticus, niſi alia colicam nephriticam indicantia adſint, ſed eſt colicus. Sic & Pancreas ob-

ſtructum, & transverſim lumbis incumbens, obſcurum ſaltem & profundum dolorem ſubinde infert.

Et *Meſenterium* lumborum vertebris annexum, non niſi *lancinantem dolorem excitat, circa lumbos*; adeoque *non omnes dolores regionem abdominis infeſtantes, poſſunt dici dolores colici.*

II. *Colica* autem vel *humoroſa* eſt, vel *convulſiva.*

Humoroſa, dolore fixo, ac terebrante, ac ſi uno quodam loco inteſtina terebrarentur, ſe prodit, & ille eſt qui nonnunquam hypochondriacos vexat, & ſæpe algore in abdomine perceptibili, ex ſpaſmis membranarum, ab acido vellicatarum, moleſtus eſt. *Aliquando vero diſtendens & quaſi diſrumpens apparet, vel & gravativus aut rodens* &c. ſentitur; pro diſpoſitione lymphæ caſtratæ, viſcidæ, plus minus acris, in flatus degenerantis, & ſpaſmum inſtituentis.

Sic aliquando dolor ſimul pulſans adeſt, vel ex inflammatione quadam, aut arteriarum ſpaſmo.

III. *Convulſiva Colica* abſque humorum interventu oritur, & contorſionis, aut vagæ lancinationis ſenſu, à convulſionibus in abdomine ſe prodit, & quidem *accidentaliter per conſenſum*, ut in nephritide & parturientibus.

Vel habitualiter, ut in Hyſtericis vel Scorbuticis, aut poſt Febres male curatas. Sic talibus torminibus meſenterii, & nervoſorum plexuum, non rarò illæ tentantur ſive mulieres aut virgines, quæ ſuffocatione Hyſterica, ita dicta, cum contractura quaſi faucium anguntur. Imò ex hoc cenſu ſunt illi dolores, qui ſub difficili menſium fluxu nonnullas excruciant, vel poſt partum eveniunt.

Nec

Nec melioris indolis ille *convulsivus dolor colicus* est, *qui aliquando morbos chronicos* male curatos insequitur, & *ex metastasi humoris morbosi*, glandulas & nervos mesenterii occupat; unde sequitur dolor contumacissimus, qui inchoat in dorso, ubi annectitur mesenterium, & ad umbilicum usque versus interiora se extendit: quo in casu propter intestini recti spasmum, alvus ita clauditur, ut nil, neque clyster intromitti possit, nec alvi solutio quid juvet.

Non raro etiam umbilicus introrsum retrahitur, sed vagus est dolor, mox abdomen, mox artus occupans, aliquando cum vomitu molestus, in fine verò vel paræsin, vel convulsiones &c. relinquens.

Humorosæ Colicæ causæ variæ sunt, & vel ab assumtis vitiosis, vel malè digestis, & acescentibus enascuntur: aut ex pancreate transmissum acido austerum in causa est:

Aliàs dolores colici crebrius oriuntur à flatibus, vel stercoribus, in intestini coli cellulis induratis, & diutius commorantibus, aut ex assumtis fructibus horariis, cerevisia novella, pinguibus, &c. superbibito potu frigido, vel acidulo, &c.

Non raro vermes, vel & calculi, in intestinis geniti, sunt doloris causa &c.

V. In Colica humorosa ergo causa materialis corrigenda, & per alvum educenda venit purgante idoneo, modo dolor non adeo urgeat, *ubi prius sistendus erit per opiata, vel dicta anodina.*

Et si alvus simul pertinax est, & fomes hæret in intestinis crassis, nec purgantibus respondere vult, *applicetur Clyster acris stimulans, vel ex fumo Tabaci* vel addito infuso antimonii.

Ubi vero colica est ex *pituita acida*, tum hæc ocius erit evacuanda, *mediantibus purgantibus*, *attenuantibus* combinatis, ex ☿io *dulc. scammon.* & *Gummi ammoniaco* &c. nisi urgente summa necessitate anodinum præmitti necesse sit.

Vomitoria etiam aliquando sunt necessaria, si ventriculus, & intestinorum partes superiores repletæ esse hariolantur; aliàs caute usurpentur ne in ileum transeat colica.

Ubi vero vomituritio ventriculi antea molestat, *detur prius anodinum*, & paucis horis post, *subjungatur catharticum*, & hujus operatione finita ingeratur anodinum, utpote *Laudan. hystericum*, *theriaca cœlest.* vel *Tinct. opii.*

Et si catharticum desideretur.

℞. *Gummi ammon.* ℈ß

Diagrid. per decoct. liquirit. corr. gr. vj.

Extr. trochisc. alhand. gr. iij.

castorei gr. v.

☿ *dulcis* gr. xij.

🜍 *succini* gtt. iij.

M. fiant Pilulæ num. xxij. pro dosi.

Postea si alvus pro consuetudine, singulis vel alternis diebus haud respondet, detur *decoctum passulatum laxans*: vel & *decoctum Florum chamomillæ*, *cum infuso croci metallorum*, & *sale communi* acuatum, pro Clystere.

Vel ℞. 🜍 *amygd. dulc.* ℥ ij.

Sperm. ceti ʒ j.

M. detur *cum jusculo calido vel vino malvatico.*

VI. His præmissis vel omissis, accessus fiat, ad appropriata hujus doloris, qualia sunt sequentia, v. g.

℞. *Aq. menthæ cum galanga dest.* ℥ v.

cort.

cort. aurant. cum vino malvat. dest. ℥ ij.
⊖ *is vol. ol. balsamici* ʒ ij.
Spir. ✱ *ci anis.* ℈ ij.
℞ *anod.* ʒ j.
Syr. è nuce moschata ℥ ß.
M. detur sæpius cochleatim.
Vel ℞. ▽ *menthæ cum galanga dest.*
Zedoar. anisatæ aa ℥ ij.
Mastichinæ,
Cinamomi cydon. aa ℥ j.
℞ *anod.* ʒ i ß.
Syr. cort. aurant. ℥ ß.
M. detur sæpius cochleare.

Ubi simul flatus copiosi adsunt, & colica flatulenta dici potest, ac simul æstus febrilis percipitur.

℞. *Aq. menth. compos.* ℥ vj.
Ess. cortic. aurant. ℥ ß.
Spir. ⊕ *i dulcis* ʒ i ß.
℞ *anod. Lud.* ʒ j.
Syr. cortic. aurant. ℥ ß.
M. detur sæpius cochleatim.

Si bilis æruginosa concurrere hariolatur.

℞. *Crystalli mont.* pr. ʒ ij.
Arcani duplic. ʒ j.
Extr. opii gr. iij.
M. & detur pro tribus dosibus toties reiterandis, donec malum mitigatum sentitur.

VII. *Colicam convulsivam quod attinet*, in hac purgantia propinata contracturas efficiunt, hinc nulla nisi blande laxantia conveniunt, quale est *oleum amygd. dulc. cum vino malvatico, spermate ceti, vel passulatum aliquod.*

Ubi vero inflammatio subesse videtur, etjam levissima exulent purgantia, vel lenientia,

Præ omnibus verò aliis *in Colica convulsiva specicifica sunt optata*, præcipuè si alvus libera existit.

Vel si alvo laxa, dolores tamen persistunt, propinentur ea quæ acidum corrigunt, vel & hysterica audiunt.

Hinc instar omnium erit hoc in casu *Decoctum Flor. chamomillæ cum Aqua menthæ*, vel cerevisia factum, additis, si ad manus, *olei chamom. dest.* gtt. aliquot.

Vel ℞. *Decocti Flor. chamomill.* ℥ vj.
Theriacæ ʒ ß.
Cort. aurant. pl. ℈ ij.
Castor. pl. ℈ß.
☍ *cort. aurant.* gtt. ij.
M. detur pro dosi.

Vel ℞. *Cort. aurant.* pl.
Zedoar. pl. aa ℈ j.
Ther. cœlest. gr. iij.
M. pro dosi.

Vel ℞. *Stercoris equini recentis ab equo avena pasto* m. j. misce cum *decocto Flor. chamomillæ*, vel *Aquâ menthæ*, & expressus liquor propinetur pro dosi.

Vel ℞. *Extr. Zedoar.* ℈ j.
Castor. pl. gr. xv.
Theriacæ cœl. gr. vj.
M. fiant Pilulæ num. xxx. dentur sæpius 5. 6. 7. pro dosi.

VIII. *In Colica scorbutica* ex bile acri *detur serum lactis caprini*, vel *acidulæ bibantur*, & si laxandum, cum *seri lactis caprini* haustu propinentur, *Syrupi de cichor.*

cichor. cum Rhab. ℥ ij vel *Decoctum Passulatum laxans* detur.

Et si bilis æruginosa subesse videtur, exhibeatur supra dictus pulvis ex crystallis mont. præparatis.

IX. Præterea *in nulla colica omittantur externa*, spasmo tensas partes dolorificas demulcentia, v. g.

℞. *Ung. spasmat. Myns.* ℥ ß.
℅ Philosophor. ʒ j.
Macis dest.
Succini aa ʒ j.
🜄 *camphorati* ʒ iij.
M. fiat linimentum.

Vel ℞. *℅ Galbaneti* ℥ ß.
juniperi,
succini,
carvi aa ʒ j.
garyophyll.
macis aa ℈ j.
M. ad inunguendum umbilicum.

Desuper vero ponatur *sacculus calidus*, repletus *Floribus chamomillæ*, *Baccis lauri ac sale communi*. Vel & *later calefactus* desuper imponatur.

Ubi verò colicus dolor frigoris sensum junctum habet, conducit simul *Balneum cui flores chamomillæ, meliloti, mentha, origanum*, *baccæ juniperi* & similia incocta sunt.

X. Pro potu ordinario fiat decoctum seq. v.g.

℞. *Rasur. C. Cervi* ℥ j.
Cort. aurant. ℥ ß.
Sem. anis. ℥ ij.

Incisa coquantur in mensuris ij. Aquæ, & decoctum propinetur pro potu ordinario.

Convulsio & Epilepsia.

I.

OMnis corporis & ejus partium motus, fit per fibras, vel in musculos collectas, vel membranis intertextas, & per spiritus dictos animales motas, concurrente & adjuvante, humorum circulantium motu progressivo.

Si vero musculi cum insigni violentia involuntariè moventur, & cum dolore & molestia, sive internè sive externè contrahuntur; *tum Convulsio dicitur malum, sive spasmus.*

Hæ vero *Convulsiones*, pro vario contractionis modo, distingui solent, *in Clonicas & Tonicas.*

Sic ubi membrum aliquod, ultro citroque invite contrahitur, & extenditur, vocatur Convulsio Clonica.

Si autem membrum contractum rigidum manet absque motu, Tonica Convulsio appellatur.

Et hæc rursus, pro diversa musculorum capitis contractura, vel *Tetanus audit, ubi anteriores & posteriores musculi, ita spasmo afficiuntur,* ut caput rigidum maneat & in neutrum latus flecti possit.

Vel Emprosthotanos dicitur, ubi musculi mastoidæi Convulsione Tonica ita affliguntur, ut mentum pectori affigatur; vel & caput adeo circumducitur, ut aspera arteria comprimatur

Aut Opisthotanos vocatur, ubi musculi occipitis convulsi, occiput versus dorsum trahunt.

Ad Convulsionem Tonicam pertinent Priapismus, Satyriasis, Spasmus Cynicus, Risus Sardonius &c.

Ad Clonicam vero, Spasmus flatulentus der Krampff/ *& in specie Epilepsia.*

Hujus

Hujus autem horrendi mali tres sunt gradus.

Primus est Vertigo caduca, ubi ægri subito concidunt quasi somno sepulti, sed absque spasmo aut convulsione.

Secundus Gradus est & motuum convulsivorum nomine venit, quando variis motibus corpus agitatur, saltando, currendo, pectus percutiendo, ridendo, ridicula narrando &c. vel sensibus magis integris, aut in delirium abreptis.

Tertius gradus omnium pessimus, ex prioribus conflatibus dicitur Epilepsia, ubi omnis & sensus & rationis usus perit, & corpus variis motibus agitatur, cum stridore dentium, jactatione brachiorum, tremore pedum, rejectione spumæ ex ore, pollicis arctâ clausurâ in manu: &c. quibus tunc sensim remittentibus æger tanquam somno oppressus jacet, & ad se rediens, nescit quid actum; vel saltem de perturbatione capitis, & omnium artuum lassitudine conqueritur.

II. Pro Fibrarum motricium in diversis partibus, spasmo, vel convulsione, afflictorum motu; *vel Externæ variæ, vel Internæ occupantur partes.*

Externæ partes convulsæ oculis, Internæ autem, judicio Medici patent, uti apparet in *Colica convulsiva, Nephritide, Hysterica passione* &c.

In causa Spiritus animales sunt, quando à naturali suo statu deflectunt, & magis elastici fiunt, ut cum impetu fibras partium commoveant; vel retrogrado motu, se extricare intendant.

Pro diversitate vero causarum, Spiritus ad tantos impetuosos motus & turbas agitantium, *Epilepsia affligit vel per Essentiam.* Ubi aliquid præternaturale in Cerebro existit, quod certis intervallis Spi-

rituum blandum motum interturbat & tantum effectum inducit, ac Lunæ motibus utplurimum auscultat; nullis aliis signis paroxysmum præcedentibus.

Secus fit in Epilepsia vel & Convulsionibus per Consensum, ubi focus est in partibus remotioribus, & nonnunquam aura quasi sursum ascendens, paroxysmum prænunciat. Vel & ex irritamento quodam, vario modo, excitatur: prout hoc fit in vulneribus gravioribus cerebri, in Casu ab alto &c. Spectant & huc motus convulsivi excitati, ex vitio stomachi, lumbricis, variolis ante sui eruptionem, ex Colica, Scorbuto, &c.

Aura verò ascendens sensus fallacia est, & fit à successiva fibrarum nervearum contractura, dum hæc cum formicationis vel explosionis quodam sensu auram sursum repentem, vel impetuosè ascendentem, repræsentat, & ad principium nervorum usque continuatur.

Alias *causa occasionalis irritans* & nervos afficiens, Externe, utplurimum *sunt festuca cranii*; Internæ sunt imprimis *acidum singulare nervis inimicum, vel à sanguine* intra cranium stagnante & acescente, *vel & lympha* acri in ventriculis cerebri collectâ, & irritante, &c.

III. *In cura ante omnia observandum, an per Essentiam, an per consensum, & an à causa Externa vel Interna, ortum traxerit malum.*

Cum vero in genere *Convulsiones, vel Epilepsia chronica, ex acido singulari vitioso*, originem ducat, & hujus incunabula plerumque *circa primas vias* lateant, hinc in genere ratio habenda erit destruendi acidi, & primarum viarum evacuandarum, & quidem

dem *Extra Paroxysmum* ante omnia præmittantur Universalia, Vomitoria præcipuè si malum in primis viis videtur stabulari, vel & *Purgantia ex scammon. &c. cum* ☿*io dulci*, ante Novi- & Plenilunia. Sic ubi ex viscida causa dependere videtur malum, quod flatus produnt.

℞. *Extr. Helleb. nigri* ℈ß.
troch. alhand. gr. iij,
Diagrid. ♁*rati* gr. vij.
Res. Jalappæ gr. v,
☿ *dulcis.* gr. viij,
Cum *Ess. myrrhæ* fiant Pilulæ pro dosi.

Vel & *clysteres* adhibeantur *ex Decocto Rutæ* vel *croci metall.* infuso, aut *Sale vol. CC.* acuato, &c.

Præmissis his ad *Antepileptica appropriata* deveniatur; Cum vero pauca famam sustineant, selectus instituatur.

Thomas Bartholinus seq. Pulverem pro secreto & specifico habuit.

℞. *Cran. human.* pr,
Sem. pœon. āā. ℈ß.
Succini albi pr. gr. viij.
margarit. pr.
corall. r. pr. āā gr. v,
cortic. sambuci salici innati ℈ß.
castorei pulv. gr. iij.
Flor. calend. pulv. gr. jx,
Fol. Auri puri gr. ij.
M. fiat pulvis pro dosi *cum Aqua Lavendulæ* sumendus,

℞. *Radic. Valerianæ pulv.* ℥ß.
Rasur. ungulæ Alces subtiliss. ʒ ij.
castorei pulv. ʒj.

cam-

camphoræ ʒß.

M. divide in 8. p. æq. & detur singulo mane dosis.

In Ephemeridibus Nat. cur. Dec. 1. *anno* 1. admodum commendatur ut specificum, *corpore prius per vomitum præparato*; *Saponis Hispan. albiss.* ʒ ß. *in lactis vaccini* ℥iij. soluta & singulo mane jejuno ventriculo assumta, vitando acida omnia.

infantem, Epilepsia ad singulas Lunæ quadras correptum *Cl. Wed.* curavit per *spir.* ✱*ci* videntur quidem ægri hoc medicamine plus agitari, sed cum optimo effectu, postmodum cedit malum.

Vel ℞. *Rasur. subtiliss. cran. human.* ʒj.
Smaragdi pr.
Cinnab. ☿. *vel nativ.* pr. āā. ℈j.
Theriacæ cœlest. gr. ij.

M. divide in 5. p. æq. de quibus singulis tribus horis infanti propinetur dosis.

Alii *secundinam humanam lotam*, concisam, cum farina secalina mixtam, & in clibano torrefactam, ac ad ʒß al quoties exhibitam, cum *T. de Mayerne* pro summo habent specifico.

Vel ℞. *Secundinæ human. ritè* pr. *& pulv.* ℥ß.
Rasur. subtiliss. cran. humani ℥ij.
Smaragd. pr.
Cinnab. nativ. pr.
Castor. āā. ʒj.
Camphoræ ʒß.
Elæosach. macis q. s. pro gratia.

M. detur sæpius ʒß. pro dosi cum *Aq. Epil. Lang. Flor. Thiliæ, hyrund. cum castor.* &c.

Si convulsiones *Febribus malignis* superveniunt.

℞. *Ra-*

℞. *Rasur. subtiliss. cran. humani,*
♂ *Diaphoret.* āā gr. xv.
Cornu alces phil. pr.
Cervi phil. pr. āā. ℈ß.
⊖ *succini volat.* gr. xij.
camphoræ gr. iij.
Extr. op. gr. j.
M. fiat pulvis pro dosi.

In chronicis convulsionibus, si ante traditis specificis nil efficitur, *instituatur salivatio mercurialis*, vel & cura *sudorifera per Decoctum Lignorum* veniat in usum. Ac *bibantur Acidulæ*, & quivis animi motus fortiores fugiantur & exulent tristitia, ira, venus, &c.

IV. In Paroxysmo, spirituum inordinatæ commotiones, quovis modo compescantur, & æger excitetur, hinc naribus admoveatur *spir.* ✱*ci fortis*, *cum Essentia castor. Asa fœtida* &c.

Et *si gravius sit malum*, nec æger excitari, vel ad se redire nequit, aperiatur os admoto pollice cum minimo digito ad oris latera fortiter comprimendo, & *infundatur vomitorium forte. Vel acris Clyster injiciatur Sale Vol. CC. acuatus.* &c.

Et ne lingua morsibus lædatur, ab initio paroxysmi *baculus liquiritiæ satis crassus inferatur.* Vel si lingua inde sauciata nunc sit, inspergatur *pulv. ocul.* 69. vel *syrupus vulnerarius illinatur.*

Non tamen etiam in paroxysmo omittantur supra commendata specifica, & quidem in forma liquida *spir.* ✱*ci, Tinct. CC. succinata, anodina &c. fortificata.*

V. Si post convulsiones Contractura relinquitur, infricetur *Oleum Galbanetum : Axungia huma-*

humana, *cum Oleò Petræ*, *Succini*, *Camphoræ*, &c.

Et Nucha inungatur *Oleo ſuccini*, *caſtorei*, *vel ſale vol. ol. Balſamico* &c.

Si ex inepta venæ ſectione, & inde facta punctura nervi, ſpaſmus aut convulſiones, oriuntur, vulneri inſtilletur *Ol. de lateribus*, *therebinth. ceræ* &c. & imponatur Emplaſtrum hoc. v. g.

℞. *Therebinth.* ℥ß. *Euphorbii* ℈j *ceræ parum.* M.

Vel ſi Tumor, dolor, ac livor adſint

℞. *Herb. agrimon.*
chærefol.
Flor. chamomillæ ā ā. m. j.
Rad. Symphyti maj. ℥ iij.
Sigilli Salom. ℥ jß.
Sem. lini.
fœnugræci ā ā. ℥ß.

Coquantur cum Aqua ad conſiſtentiam cataplaſmatis & calide applicetur.

Vel ℞. *Pingued. vulp.*
Taxi ā ā. ℥ jß.
Olei ſpicæ deſt. ʒ ij.
maſtichin. ʒ j.
Spir. vini camph. ʒ iß.

M. & calidè inungatur.

Si Spaſmus flatulentus, partem quandam prehendit, cum *ſpir. juniperi*, *vel theriacali*, calidè fricetur pars.

Vel ℞. *Axung. Anſerinæ recent.* ℥ j.
ol. garyophyllor. ℈ß.
cinamomi gtt. v.

M. & calide infricetur.

Si ex gravi vulnere ſpaſmus oritur, illinatur

Oleum

Oleum lumbricorum cum ♉ *thereb.* vel *Balſ.* ♀ *therebinth.* vulneri inſtilletur.

Si ex ictu animalis venenati vel morſu oriuntur convulſiones, in leviori malo illinatur *Oleum ſcorpionum.* In graviori autem *applicentur cucurbitulæ cum ſcarificatione*, vel *cauterium actuale*, aut *Empl. magneticum arſenicale cum Oleo ſcorpion. malaxatum*, ſupra partem læſam imponatur, interne propinando *Theriacam cum Gentiana mixtam*, ad ſudorem ciendum &c.

Dentium

Dentium Caries & Corrosio.

I.

ACcidit à ſingulari acrimonia lymphæ, dentes nutrientis, vel ab extra ſaltem alluentis, unde fruſtillatim excidere ſolent ; *talismodi acrimoniæ causa, nonnunquam ſacharum eſſe ſolet*, unde illi, quibus hoc in uſu ſæpe eſſe ſolet, ut plurimum dentres nigredine infectos & corruptos habere ſolent. Facillimè etiam corrumpi ſolent dentes, *quando poſt nimis calida aſſumta, ſtatim potus frigidus aſſumitur.*

II. Non rarò etiam ex acrimonia dentibus nociva fiſtulæ oriuntur, aliquando per dentium radices, & illa foramina maxillæ, per quæ vaſa illas ſubeunt, ſe exerunt, unde tubercula excitantur in malis, & his ſenſim exulceratis pus effluit. *Aliquando vermes in dentibus generantur*, qui hos erodunt.

III. In Curatione Cariei, ab acri lympha, hæc ante omnia demulceatur, vel ne dentes corrodat, diligenter extrahatur, fit hoc *diligenti oris collutione, poſt cibum*, ſimplici ſaltem aquâ, *in qua ſal armoniacum* fuit ſolutum, vel cui *guttulæ nonnullæ Spir. *ci* inſtillatæ fuerunt.

Si Fiſtula oriri incipit occaſione dentis cujusdam corroſi, unde tuberculum in maxilla apperere incipit, non alia magis promta medela adeſt, quam *dentis illius extractio*, quâ neglecta fruſtra ſuſcipitur exulcerationis taliſmodi curatio.

Den-

Dentium Dolor, Odontalgia dictus.

I.

ORtum trahere solet vel *per Essentiam, ex acore vitioso ad dentem deposito*, mei mediante lympha nutritia advecto, & dentium membranam intimam, ab expansione nervi ortam, vellicante & rodente. Vel *per Consensum*, quando gingivæ malè se habent.

II. Causæ remotæ ut plurimum sunt *nimis dulcia vel sacharata crebrius assumta, vel nimis fervida*, & quidem subitò desuper nimis frigidis assumtis, *vel & vermes in dentibus cavis geniti*, aut *acor scorbuticus vel venereus* seri vehiculo advectus &c.

III. Si Limpha crassa & acris, doloris causa esse hariolatur, optimè conducit *Spir. vini camphoratus in ore detentus*, vel una aut altera guttula *olei ligni buxi*, gossipio excepta, dentique dolenti admota, aut hujus loco

℞. *Spir. thereb.* ʒ j.
 ♂o *garyophyll.* gtt. vj.
 Camphoræ gr. iij.
 M.

Vel ℞. *Ess. succini* ʒ j.
 Camphor. gr. ij.
 Syr. papav. err. ʒ ß.
 M. & applicetur mediante bombace.

Vel ℞. *Rad. Pyrethri* ʒ i ß.
 Cort. radic. mandrag. ʒ ß.
 Herb. salviæ,
  serpilli,
  lavend. aa m. j.

Caryophyll. ℥j.
Olibani ʒ iij.
Croci ʒ j.
Camphoræ ʒ vj. *Opii* ℈j.

Omnibus incisis & contusis affundantur *Spir. vini opt.* ℔ ij. & fiat Tinctura in ore detinenda.

Vel ℞. *Rasur. Ligni Guajac.*
Rad. Pyrethri aa ʒ ij.
Herb. Savinæ.
persicar.
serpilli,
rorismarini,
Fol. Nicotian. aa m. ß.
garyophyll. ℈j.
Camphoræ ℈ ß.

Incisa coquantur *in vini & aquæ* aa, & decoctum sæpius calidè detineatur in ore.

In defectu aliorum saltem *Nicotianæ folia in aceto* coquantur, & decoctum in ore detineatur.

Vel *Fol. Nicotianæ & Flor. chamomillæ* ana coquantur in aqua & decoctum in ore detineatur calide.

IV. Si *Lympha acris, sed nimis tenuis*, dolorem inducere observetur.

℞. *Rad. Tormentill.*
Pyrethri aa ʒ ij.
Cortic. granator. ʒ iij.
Flor. balaust.
Rosar. r.
Herb. serpilli aa m. ß.
Mastichis ʒ iij.
Camphor. ʒ ß.
Alum. ʒ j.

Incisa coquantur in *aceti & vini* ana, & decoctum calide detineatur in ore.

V. Si *Acrimonia ſcorbutica* fuerit doloris cauſa, fiat *decoctum ex ſummitatibus pini*, & *cum ſpir. cochleariæ* remixtum teneatur in ore, vel & *ipſum lignum pini cum cereviſia decoctum* in ore, detineatur.

VI. Si *Dens cavus dolet*, immittatur cavitati pilula ex ſequentibus parata, v. g.

℞. *Theriacæ cœleſtis* gr. iij.
Camphoræ gr. ij.
M. fiat Pilula vel paſta, quæ immittatur aut admoveatur denti dolenti.

Vel ℞. *Extr. opii* ℈ß.
croci gr. v.
olei ligni buxi,
garyophyll. aa gtt. iij.
Camphoræ gr. iij.
M. fiant pilulæ num. iij vel plures.

Vel & dentis cavitas obturetur maſtiche emollita.

VII. *Si Vermes in dentibus cavis geniti*, fuerint doloris cauſa, *ex fructu halicacabi, cum cera fiat paſta*, de qua aliquid injiciatur ferro candenti, & vapor inde exſurgens, per infundibulum ore excipiatur.

Præter ſupra ad dentium dolorem laudata, ſunt, qui admodum commendant *ſolutionem euphorbii cum ſpiritu vini factam*, & naribus attractam.

Vel ℞. ▽ *ſimpl. cochl.*
piperis gr. iij.
Supra ignem calefacta auri lateris affecti infunde. Vide *Amœn. Mater. Med. Wed.*

Vel ℞. *Zingiber. pulv. affuſo ſpiritu vini rectificato fiat extractio*, atque hæc, ſemper recenti ſpir. vini aliquoties reiteretur; tunc verò ſiccetur Zingiber & pulveriſetur. De hoc verò pul-

vere attrahatur aliquid naribus, & subitò dolor cessabit.

VIII. Sæpe *per magnetismum* institutum, Dentium dolor levatur & cessat, v. g. Si *Persicaria paulisper in aqua maceratur*, tunc vero denti dolenti applicatur, ac tum, ut cito putrescat in fimum sepelitur, dolor certò cessat.

Ephemerides Curios. Anno nono Dec. II. p. 409. admodum laudant *Asperulam muralem minimam*, recentem, in fasciculum collectam, & inter scapulas de collo suspensam.

Heide in suis experimentis, *laudat pelliculam talpæ*, supra caput gestatam.

IX. *In Odontalgiis habitualibus* non rarò etiam *cura Transplantatoria*, optimum edunt effectum, sic *ex corylo, salice, vel sambuco, cortice separatò, exscindatur festuca*, quâ pungantur gingivæ, donec sanguine imbuatur festuca, tunc verò hæc, cruore tincta, immittatur loco, unde exscissa fuit, ac cortice denuo tegatur, lutoque probe circumdetur, sic dolor cessabit omnino.

Vel *pungantur gingivæ*, ut sanguinem fundant, tum sanguini admisceatur aliquid *vitrioli Cyprii*, atque fluenti aquæ injiciatur.

X. *In Odontalgiis gravidarum*, *Empl. ex Gummi Tacamahaca*, aut *Caranna, cum Balsamo Peruviano malaxetur*, & si maxilla superior doleat, temporibus, ubi fero inferior, prope aures, applicetur.

Vel ℞. *Gummi Elemi* ℥j. intra digitos terendo mollescat, tunc extendatur in holoserico nigro, & temporibus applicetur.

XI. *Aliâs si alios contumaciter excruciat dolor*, ut gravioris mali metus adsit, tum æger purgetur mediante Jalappa.

Vel

Vel & *Venæ sectio largior administretur*, aut *cucurbitulæ cervici, cubito, scapulis, vel & maxillæ applicentur.*

XII. Non leve etiam auxilium adferunt *Vesicatoria*, v. gr.

℞. *Cantharidum* num. ij. pl.
Theriacæ ℥ ß.
Apicum allii num. iij.

Contusa in formam linimenti, illinantur linteo, & flexuræ cubiti, ubi vena secari solet, applicetur, & quidem illo in brachio ubi in latere dens dolet, sic vesicâ factâ, dolor cessabit.

Vel ℞. *Extracti Savinæ* ℥ ß.
Rad. pyrethri pl.
Piperis longi,
Cantharidum aa ℈ ß.
Euphorbii gr. vj.
Therebinth. Venet. ℥ j.
Ceræ fl. & picis navalis aa ℈ ij.

M. ut fiat Empl. retro aures ponendum.

XIII. *Si accedit Tumor maxillæ*, fiat suffitus ex *thure, mastiche*, vel *succino, aut* ⊖: *vel milium, saculo inclusum*, calide admoveatur,

Vel ubi cum inflammatione *tumor junctus* est, applicetur *Theriaca recens, cum Rob sambuci & parum Spir. vini camph.*

Empl. verò de meliloto tunc male applicatur, cum ad abscessum deducat tumorem.

Ubi in ore circa dentis radicem tumor intensè dolens enascitur, *frusto ficus parum assato*, & applicato, ad subitam suppurationem deducitur.

XIV. *Quando infantes*, tantâ gingivarum duritie, & densitate, præditi sunt, ut dentes erumpentes eas

difficulter penetrent, tanto dolore non rarò affliguntur, ut convulsionibus obnoxii fiant.

Ut hoc evitetur, & dentes eo facilius penetrent, & erumpant, *gingivæ emolliendæ sunt*; fieri hoc solet *pinguedine gallinæ vel anatis recenti*, vel *butyro non salito*, eoque vel solo, *vel melle admixto* & diligenter inuncto.

Mulierculæ ex commendatione *Avicennæ*, pro specifico commendant *cerebrum leporinum coctum, & melle permistum.*

Alii *ex mucilagine sem. lini & althææ*, cum *pinguedine gallinæ* &c. conficiunt linimentum haud contemnendum,

Vel ℞. *Butyri majal. non saliti* ℥ j.
Pingued. gallin. ʒ ij.
Succi cancror. fluv. expressi,
sedi majoris aa ʒ j.

Hisce ad humiditatis consumptionem in diplomate coctis adde *Sanguinis è crysta galli* ℥ j. & post unam & alteram ebullitionem exprimantur, tunc verò admisceatur *aliquid sachari*, & eo diligenter inungantur gingivæ.

Dentes si Nigredine vel alio fœdo colore inquinantur.

I.

PRout hoc plerumque accidit, *ab humorum vitio*, quando in superficie illorum hæret lympha viscida, vel & ipsa lympha nutritia depravata, colore fœdo tingit etiam ipsam dentis substantiam.

Ad has dentium sordes tollendas, optimè conducunt *pulveres dentifricii*, ex *ossibus sæpiæ, pumice, alabastro, testis ovorum, coralliis*, &c. constantes, & ad anhelitum conciliandum, *radic. irid. flor. pulv.* aut *cinamomi* pulv. &c. parum aromatisati.

Hisce & similibus prævalet *Spiritus dentifricius Doct. Fausii, olim Prof. Heidelberg.* qui fit,

℞. *Nitri* ℔ ß.
Vitrioli ℥ jß
Salis armoniaci ℥ j.
Aluminis ℥ iij.

Cum *arena lota & siccata* duplo per retortam destillando, tunc per MB. rectificando, & ad usum reponendo.

Tempore usus sumatur charta tenuissima, huic in particulas scissæ & vitro commissæ, affunde spiritus prædicti tantum, ut mediante baculo subigendo abeat in linimentum quasi album, quo fricentur dentes, ita tamen ne labia attingantur.

Vel si spiritus hic desit, ejus loco sumatur *spiritus salis*, & cum charta tenuissima fiat pulticula, cui adde *succi citri*, & *sperm. ceti aliquid cum aliquot granis* *ci, ac ita veniat in usum.

Sumitur autem charta bibula, ex hac formantur

globuli, qui aqua prius paulisper humectati, tum spiritu, vel linimento imbuuntur, atque eis dentes fricantur, ea cum cautela, ne labia attingantur.

II. Si præter dentium nigredinem, *gingivæ simul laxæ* existunt.

℞. *Oss. sepiæ* pl.
Lap. pumicis aa ℥ j.
Sang. dracon.
Terræ catechu aa ʒ ij.
Alum. usti ʒ j.
Ireos flor. ʒ j ß.
Caryophyll. num. 10.
Syr. de rosis siccis. q. s.

Ut fiat Elect. ad fricandos dentes utilissimum.

Vel ℞. *Ossis sepiæ* ℥ ß.
Rad. irid. fl. pulv.
Mastichis aa ʒ ij.
Salis armoniaci ʒ j.

M. fiat pulvis dentifricius.

Sunt qui *Cineres Nicotianæ* saltem pro certissimo commendant experimento, si quis tamen solo *sale armoniaco aquâ soluto*, ab omni pastu dentes abluit, is certè & dentes, ac gingivas, ab omni fœtore, nigredine, & carie, præservabit.

Si

Si vacillare Dentes incipiunt.

I.

PRout accidit vel *ab externa, aut interna causa*, & quidem ab interna; quando superflua humiditas radices dentium laxat; præcipue singulari acrimonia imbuta, *ut in scorbuto, lue venerea* &c. tunc cura huc dirigatur.

II. Si externa causa, uti *casus vel ictus*, in causa fuerunt, vel & *Gingivarum laxitas*, ansam addidit, *fiat astringens aliquod Decoctum*, quod diligenter in ore teneatur calidè v. g.

℞. *Flor. malv. arbor.* m. j.
Rosar. r.
balaust.
Herb. salviæ.
cochlear. āā. m. ß.
Rad. pyrethri.
polipod. q. aa. ʒiß.
Mastich.
myrrhæ.
thuris aa. ʒj.
garyophyllor. ℈j.
Alum. crudi ʒj.
Aq. Fontan. ℔j.
Aceti ℥iij.

Dum hæc ad casum duorum digitorum decocta sunt, adde *mellis rosacei* ℥ij. & cedat in usum.

Vel ℞. *Aceti optimi* ℥vj.
Mellis rosar. ℥ij.

Et

Et ad aceti consumtionem coctis adde

Aluminis crudi ℥ij.

tunc verò ulterius coquantur ad consistentiam, & eo fricentur gingivæ laxæ.

III. *Ubi verò putredine gingivæ afficiuntur*, & gravem odorem spirant,

℞. *Ung. Ægypt.* ℥vj.

Mellis rosati ℥ß.

Spir. cochl. ℥j.

M. ac hoc fricentur gingivæ.

Porro ad gingivarum laxitatem optimi usus & effectus est, *Tinctura Gummi Laccæ*, hæc vel similis,

℞. *Lapidis medicam. Croll.* ℥ij.

Solve in *Aq. Cochleariæ* ℥jv. Solutioni filtratæ adde

Gummi Laccæ grossè pulv. ℥ij.

myrrhæ el. ℥j.

Alum. usti ℥jß.

Stent ad extractionem Tincturæ, quâ tum sæpius laventur gingivæ.

Vel ℞. *Aq. Salviæ.*

Cochlear. aa. ℔ß.

Lapid. medicament.

His calore leni solutis & filtratis adde

Gummi Laccæ ℥ß.

mastich. elect.

terræ catechu aa. ℥ij.

Rad. Cyperi rot.

ireos flor. aa. ℥j.

Per tempus calore leni detenta, filtrentur & ad usum serventur.

IV. Alias *ad simplicem Gingivarum laxitatem*,

& dum

& dum facile sanguinem attactæ fundunt, vel consumuntur.
℞. *Oxymell. squillit.* ℥ij.
myrrhæ elect. ʒiß.
Alum. crudi ʒj.
M. & diligenter fricentur gingivæ, ac sæpius sequenti aquâ abluantur rursus,
℞. ▽ *Cochleariæ,*
Salviæ.
R. *Gummi Laceæ* aa. ℥ij.
M.
Vel ℞. *Fol. salviæ pulv.* ʒij.
mastichis.
myrrhæ,
thuris aa. ʒj.
gummi Laccæ.
Nuch. mosch.
Alum. usti aa. ℈ij.
Mellis rosar. colati q. s.
Ut fiat Elect. sive linimentum, gingivis sæpius affricandum.

V. Ubi *Gingivarum caro simul luxuriare incipit* præter laxitatem
℞. *Mellis rosar. aut simpl. opt.* ℥ij.
Aceti vini ℥j.
Fl. virid. æris. ʒj.
Alum. ℈j.
Bulliant, donec rubefiant, tunc adde
Savinæ pulv.
Nuc. moschat. aa. ʒß.
M. fiat linimentum, quo penicillum linteo molli obvolutum intingatur, & gingivæ illinantur, possunt addi *myrrha & thus.*

VI. *Si*

VI. *Si Gingivæ consumuntur*, aut carne denudantur.

℞. *Syrupi myrtini* ℥ij.
mastich. pulv.
myrrhæ
thuris
Nuc. Mosch. aa. ʒj.
M. Fiat linimentum, quo gingivæ inungantur.

Ante omnia in gingivarum affectibus, *medicamenta asperitatis & mordacitatis sint expertia*, unde etiam non semper acetum conducit, cum caro gingivarum mollis & rara, Medicamenta acriora haud toleret.

Diabetes, die Harnruhr.

I.

Est affectus admodum rarus, quem ipse *Galenus* in suâ prax. *tantum bis vidit.*

Insensibiliter verò, & paulatim, incrementum sumit malum hoc, ita ut initium ferè negligatur, cum ipsa naturâ sæpe copiosiorem excretionem, bona cum ægri re, moliatur.

Ubi verò copiosa urina excernitur, absque aliquo levamine, ac æger sensim ac sensim majorem urinæ copiam reddere incipit, ita ut quantitatem potus superet, *atque urina tenuis, aquosa, cruda, sine sedimento excernitur, cum oris continuâ siccitate & siti*, tunc Diabetem adesse certum est.

Et si amplius incrementum sumit malum, tum sitis augeri incipit, ac æstus in visceribus mordax sentitur, cum admodum aucto urinæ profluvio.

Ubi verò tandem malum confirmatum adest, non tantum humores, *sed & ipsæ partes solidæ colliquescunt, sitis intolerabilis adest*, & licet potum copiose ingurgitent, non tamen lotii magnitudini respondet, utpote quod longè copiosius excernitur. *& ubi vel parvo tempore à potu arcentur, viscera sua quasi conflagrare opinantur*, siquidem ab ipso potu os siccatur & corpus exarescit.

Dantur Practici, qui se observasse dicunt, urinam in hoc malo redditam adeo dulcescere, ut sachari ferè saporem referat.

II. Practici moderni *Diabeten* distinguunt *in veram*, vel *notham*.

Ve-

Veram vocant illam, in qua assumta potulenta vel parum vel planè non immutata, subitò rursus excernuntur.

Notham vero dicunt, in qua plus semper lotii excernitur, quam vel potus assumtus, vel serum sanguinis fundere possunt, cum siti interim insatiabili, febre lenta, ardore & anxietate circa præcordia &c. & est malum utplurimum lethale.

III. Causa consistit *in singulari quodam Diuretico acri, sive veneno colliquefaciente cantharidum instar*, unde ille ardor, ac si viscera conflagrarentur, ortum trahit.

IV. *In cura* ante omnia *stomachi, utpote sitis fonti, respectus habeatur*, à siti namque mejendi provocatio potissimum excitatur, & ni siti medetur, frustra bibitur, nec ullus potus, quantus etiam fuerit, sufficiens erit.

Ante omnia *colliquefacienti, vel acri tali veneno subigendo & cicurando, conducit Lac.*

Conducit item *potus ex pomis granatis, Limoniis, cerasis acidulis* &c. aquæ incoctis.

Præ aliis verò hic laudatur *Hiera Pachii* ad ʒß. vel ʒj. ex aquæ frigidæ cyathis aliquot propinata hanc etenim sitim adeo compescere ajunt, ut ab aliquot diebus facile quis à potu abstinere queat.

Alias etiam *conducunt Emulsiones ex amygdalis & seminibus frig. cum decocto hordei & Corn. Cervi facta.*

V. Præterea non negligantur absorbentia acido-austera. & ex his præcipuè constans *mixtura Sylvii*, quæ

℞. *Aquæ plantag.* ℥vj.

Aceti

Aceti vini dest. ℥ iij.
Corall. r. pr. ʒ ij.
Extr. opii gr. iij.
Syr. Corall. ℥ j.

M. & de hac mixtra ſæpius propinentur aliquot cochlearia.

Nec *Tinctura dicta Antiphthiſica* hic minoris eſt valoris.

Ab initio etiam vomitus excitetur, ſingulis quatuor diebus, ex frigida copiosè deglutita.

Diæta eadem obſervetur ac in febre Hectica.

Diar-

Diarrhœa.

I.

DIcitur illud alvi profluvium, *ubi absque insigni dolore* vel intestinorum exulceratione, *immoderata, frequens ac copiosa*, humoris alicujus corrupti excretio accidit.

Ratione verò humoris corrupti dependet, vel *à chylo, quando venæ lacteæ obstructæ eum haud transmittunt*, id quod prodit ipsa Diarrhœæ materia, dum absque singulari fœtore instar cremoris hordei excernitur.

II. Atque *hoc malo præ aliis laborare solent infantes*, dum obstructas habent mesenterii glandulas plures, cum vasis lacteis.

Ad vias has reserandas diligenter inungatur venter hocce linimento *Barbette*.

℞. *Ung. de althea comp.* ℥ß.
martiat. ʒ ij.
☍ *Philosophor.* ʒj.
M. detur.

Porro ℞. *Limaturæ ferri subtiliss.*
Ocul. 69. pr. an. ʒj.
Lapid. prunellæ ʒß.
Spec. arom. rosat. ℈ij.
M. detur sæpius de die cuspis cultelli.

III. *Si in febribus ardentibus Diarrhœa accidit, ea vel critica, vel symtomatica erit.*

Critica si est, cum levamine fieri solet, & absque virium dejectione, eamque sequi solet morbi solutio.

Ubi vero Diarrhœa in principio morborum acutorum accidere incipit, cum virium prostratione

tione, & humorum colliquatione, id quod excretorum fœtor prodit, *tum symptomatica est*, & citam medelam requirit; ac institui debet, per *Bezoardica & sudorifera.*

IV. *Si phthisi supervenit*, non nisi morbo sublato curatur, ac semper ferè tam malo, quam vitæ finem ponit.

V. *Si à cibis*; in specie, fructibus hortariis, fungis, melonibus, lacte &c. *in primis viis corruptis accidit*, tum decoctis his, & à natura devictis, facile fluxus sedatur rursus.

Si verò natura in hisce crudis subigendis haud sufficiens esse velit, securiori via exturbanda venit talis cruditas, *convenienti vomitorio*, vel, si quid sit, quod vomitum prohibet, fiat id *Rhabarbarino* quodam, vel *Pilulis aloephanginis, mastichinis* &c. aut si quis etiam ab his abhorreat, inedia, quiete, & somno cruditates tales superet, & à potu abstineat.

VI. *Si à Vermibus Diarrhœa ortum trahit*, id quod signa vermium, utpote Cardialgia, dolor ventris, narium pruritus, dentium stridor in somno, &c. patefaciunt.

Curatur remediis vermes necantibus, & per alvum expellentibus.

VII. *Si biliosa saburra* Diarrhœam fovet, quam ab Hepate veteres esse credunt, & quidem ab hujus intemperie calida, utpote acrium humorum causa, tum ad evacuandam talem saburram, *Rhabarbarum veniat in usum.*

Et si adhuc dum post purgatas primas vias fluxus alvi perseveret, *alterantibus & adstringentibus*, ei erit resistendum.

Id quod & intelligendum erit de Diarrhœa, quam

veteres Lieni adſcriptam eſſe volebant, & ex ſignis lienis affecti, tenſione nimirum & gravitate in ſiniſtro hypochondriaco, cum dejectionibus nigris, concludendam eſſe autumabant: per experientiam tamen docti, Diarrhœam talem, modo non excedat modum, ſæpe à multis morbis præſervare, præcipuè ſi materia excreta fœtorem nullum habeat, nec ab atro colore in viriditatem vergat.

Ubi tamen malum hoc contumax exiſtit, ab initio etenim fluxus hic alvi non ſtatim ſiſtendus, ne ſaburra retenta majorem acrimoniam concipiat; *Clyſteres* hic optimi ſunt effectus, *ex Decocto hordei, lacte, cum melle roſaceo* &c. quibus tum adſtringentia ſuccedant.

Si vero Bilis æruginoſa malum fovere videtur ex *Cryſtall. præp. unicornu foſſ. Terra ſigill. cum opio*, fiat pulvis abſorbens, de quo ſæpius detur doſis.

IIX. *Diarrhœa quæ infantibus accidit, quando dentes erumpunt*, non ſtatim ſiſtenda eſt, ne materia retenta acrior evadat, & febrem, à dolore ortam, augeat. Si tamen lympha caſtrata, ſive pituita, in cauſa eſſe obſervatur, exhibeatur *Syrupus de Cichorio cum Rhabarb.* unius aut alterius cochlearis quantitate.

Deinde ventriculus inungatur *Oleo maſtichino, Cydoniorum*, vel *Empl. de cruſta panis applicetur.*

IX. Si artificialis eſt Diarrhœa, poſt validum aliquod purgans enata, propinetur *Theriaca cum Aq. cinam. Diaſcordium, vinum abſinthites, opium*, & in ſpecie *pumex pulv.*

X. *Si Diarrhœa Epidemicè graſſatur*, Alexipharmacis & ſudoriferis impugnanda eſt, v. g.

℞. *Elect. Diaſcordii* ℥ß.

℞. *Be-*

R. *Bezoard. acidulæ* ʒij.
anodin. ʒj.
corall. r. pr. ʒiß.
M. detur tribus dosibus.
Vel ad venenũ acre colliquefaciens obtundendum.
℞. *Aceti Bez.* ℥ß.
Theriacæ ʒj.
corall. pr. ʒß.
M. detur pro dosi.

Vel dentur *vitella ovi dura duo*, temperentur cum *aceto rosaceo*, & parum *N. Mosch.*
Vel ℞. *Extr. Tormentill.* ℈j.
Opii S. gr. iij.
Fiant Pilulæ no. 23. dentur pro tribus dosibus.

Ventriculus inungatur seq.
℞. ℅. *Mastichini* ℥ß.
Nucistæ.
Balf. Peruv. aa. ʒj.
M. & desuper ponatur *Empl. de Theriaca*, cum pulv. *N. Mosch.* & *aceto Bez.* in formam Empl. in aluta extensa.

Et si præcordiorum angustiæ junguntur, inungantur ℅ *dest. Macis caryophyll. N. mosch. juniperi* &c.

In genere in omni Diarrhœa, semper ventriculi summa habeatur ratio, *hinc vitentur omnia frigida, & potus sit parcus.*

Si verò stomachi symptomata urgent, cum nausea, ructibus, appetitu prostrato &c. ante omnia *vomitus* imperetur.

Alias ab initio nulla purgatio confert, nisi prius humorum impetus, est sufflaminatus, & irritationis sensus cicuratus. Tunc verò, si opus, abstersio instituatur, *Rhabarbarino quodam* v. g.

℞. *Rhabarb. el. pulv.* ʒj.
Nuc. mosch. pl. ℈ß.
☍ *macis* gtt. ij.
M. detur pro dosi.

Hæc & similia conducunt, si humores corrupti, per metastasin, diarrhœam contraxerunt, vel fructus horarii hanc induxerunt.

Ad stomachum verò roborandum.

℞. *Aq. mastichin.*
Cinam. opt. ā ā. ℥ij.
☍ *Nucis moschat. dest.* ℈j.
Syrupi mastichini ℥ iij.
M. dentur cochlearia aliquot sæpius de die.

Ova etiam sorbilia cum tragacantha & Bals. Peruviano hic sunt optimi effectus.

XI. *Si Senes Diarrhœa corripiuntur*, præter aquam modo dictam.

℞. *Calami arom. condit.* ℥ß.
Nucis Indic. condit. ʒij.
Zingib. condit. ʒj.
Cinamomi ℈ij.
macis ℈j.
Tormentill. pl. ʒij.
Syr. cinamomi q. s. ut fiat Electuarium, de quo sæpius detur nucis castan. quantitas.

Vel ℞. *Cinamomi opt.* ℥ jv.
Nuc. Mosch. ℥j.
☍ *macis dest.* ℈j.
Spir. vini ℔j.

Stent, donec Tinctura probè extracta est, de qua sæpius propinetur cochleare.

Nec Theriaca hic vilipendatur, utpote quæ hic & in Diar-

in Diarrhœa à ſpontaneo humorum motu exorta, optimi eſt effectus.

Si Diarrhœa habitualis nunc facta eſt, *Thermæ ſunt ſacra anchora*, modo non adſit cacochimia, *Theriaca etiam cœleſtis* ſit in continuo uſu, *præter aromatica ſtomacho grata.*

Nec ea hic omittantur quæ fibrarum laxitati ſuccurrunt, qualia ſunt pauliſper adſtringentia, *ex cydoniis, granatis* &c.

In Diæta conducunt *pultes ex oryza, & avena*, vel hordeo, conſtantes. *Nec meſpila denegentur.*

Potus omnis ſit calidus & parcus, ex Decocto hordei, Raſura CC. maſtiche & cinamomo confectus. Et ſi febris abeſt, detur *vinum abſinthides.*

Dysenteria.

I.

EST depravata excrementorum per alvum expulsio, *quando* ob inteſtinorum vitium, *cum torminibus*, & ſimultanea excretione muci albidi, plus minus purulenti, *etiam ſanguis ejicitur*.

II. Hinc differt ab aliis ſanguinis excretionibus per alvum, v.g. quando ſine inteſtinorum vitio, *ſpleneticis & melancholicis, ſcorbuticis, fluxu Hepatico, hæmorrhoidum, menſium ſuppreſſione aut meſenterii, vel pancreatis ulcere laborantibus* &c. *naturæ quodam impetu*, ſanguis per alvum excernitur.

III. In Dyſenteria tamen dejectiones non ſunt ſtercoroſæ, niſi ab initio, ſed nunc ſimpliciter mucoſæ, nunc intermiſtim ſanguineæ, nunc ſimpliciter ſanguineæ.

Si mucoſæ dejectiones prævalent, vocatur Dyſenteria incruenta, ſive alba; ubi autem ſanguis abundat, *cruenta* dicitur.

IV. Si tenuia afficiuntur inteſtina, *dolor intenſus adeſt*, præcipuè *circa umbilicum, & regionem hypogaſtricam*, & excretio poſt tormina tardior eſt, ſive & ſanguis & mucus propter longius iter, exactius miſcentur, & quoniam ventriculo proximiora ſunt hæc inteſtina, ad vomitum magis ſtimulant, & majore anxietate excruciant.

V. *Ubi verò inteſtina magis craſſa affliguntur, dolor remiſſior, & obtuſior eſt*, & infra ac juxta ſtomachum, & utrinque, juxta latera, magis vexat, *excretio ſtatim poſt tormina ſequitur*, & in excrementis, ſanguis & mucus, magis diſtincta cernuntur, neque

vomitu,

vomitu, neque anxietate, adeo molesta esse solet dysenteria hæc.

Quæ alias vel Epidemica, vel Benigna aut Maligna esse solet.

VI. *Epidemica*, ut plurimum circa autumnum invadere incipit, vel ab aëre plus minus alterato, aut ex aquarum vitio, vel fructuum horariorum corruptela, singulari acrimonia corrosiva, vel magis minus maligna notata.

Hinc benigna magis est, & vocatur Dysenteria benigna, ubi acrimonia talis mitior est, nec adeò corrosiva, neq; etiam symptomata tam periculosa inducit.

Secus ac in maligna, in qua ob majorem intestinorum corrosionem, omnia hujus mali symptomata pejora sunt; vires citò prosternuntur, ægri sunt anxii & inquieti, sitiunt insigniter, febris acuta adest, lingua mucilagine subalbida obsita est, & si febris magis maligna existit, lingua etiam nigra & sicca evadit, & si vasa majora corroduntur, sanguis sincerus effluit, si verò intestina planè inflammantur vel exulcerantur, *gangræna incurabilis accedit, id quod triduo ante mortem observari potest, ubi dolor cessat, sitis non amplius molestat, & præcipuè extrema frigent.*

Aliàs dolor, qui Dysentericos excruciat, *non semper est ex corrosione, sed ex intestinorum spasmo*, unde & excretionem præcedit, dum spasmus intestina propellens, contenta exprimit.

Mucus qui excernitur, non est pituita intestinorum parietes oblinens, nec pus, sed est nutrimentum intestinorum, haud ritè assimilatum, diversimodè corruptum.

Carunculæ quæ aliquando excernuntur, plerum-

que sunt glandulæ intestinales tumefactæ, & progressu morbi, ab intestinorum substantia, separatæ.

VII. Periculum in hoc malo denunciant, *vomitus biliosus in principio*, vel in progressu morbi *singultus*, & si intenditur Febris, *si excreta sunt viridia, nigra aut varia*, vel admodum *graveolentia*, si deliria & convulsiones accedunt, & veluti carunculæ dejiciuntur.

Bonum signum denunciant ructus, vel crepitus ventris superveniens, dum hæc alicujus digestionis redeuntis signa suppeditant.

VIII. *In cura* hujus mali observandum, *num benignam, vel malignam*, præ manibus habeas Dysenteriam. Epidemicæ rarò sunt malignæ.

Si benignum hariolatur adesse malum, non inconveniens erit, aliis præmittere lene aliquod purgans *ex Rhabarbara*, v. g.

℞. *Rhabarb. el.* pl. ʒj,
Extr. opii gr. ß.
M, detur pro dosi.

Rhabarbarum verò solum tutum est, quoniam simul habet vim anodinam, sed tamen *opium*, vel simul jugendum, vel subjungendum est.

IX. Aliquando Dysenterici excruciantur dolore quodam gravativo, sub umbilico, ac si excrementa ibidem incuneata hærerent; dependet verò dolor ille ex intestinorum spasmo, unde later calefactus, & abdomini applicatus, vel & externa linimenta alia applicata, dolorem illum auferunt. Porrò, ubi nulla malignitas subesse hariolatur, sequentes Pilulæ facile rem expediunt,

℞. *Extr.*

℞. *Extr. Tormentill.*
calam. arom. aa ℈ j.
opii. gr. v.
Bals. Peruv. gtt. v.
☍ *macis* ſtill. gtt. ij.
Fiant Pilulæ num. xxxxij. de quibus ter de die ſeptem ſumantur *cum ſyrupo myrtino.*

Nonnunquam etiam *Ovi vitellum, cum Nuc. moſch. dimidio mixtum*, & in latere excavato calido ad duritiem coctum, & *cum ſpir. vini* propinatum, dyſenteriam levem ſuſtulit. Alii admodum commendant *Oleum amygd. dulc. cum ſucco citri propinatum*, ad infringendum acre alcalicum, *vide Hoffm. de acido & viſcido*. Sic & *tragea granorum actes* ad ℥ ß. cum tantundem *Nuc. moſchat.* propinata hoc malum tollit.

Sic & ℞. *Tragacanth.* ℥ ß.
Rad. Torm. pl. ℥ j.
Nuc. moſchat. ℥ ß.
M. fiat pulvis qui detur ad ℥ j.

In Ephemeridibus N. Cur. Dec. II. anno 7. p. 183. admodum commendatur *malum cotoneum*, ſi excavatum, vel *cera citrina, vel alba*, repletur, tunc verò operculo ſuo munitum, prunis imponitur, donec cera liquata ſubſtantiam pomi ſubiit, & tum ægro comedendum exhibetur.

Ad ſtomachum roborandum,
℞. ▽ *Menthæ è ſucco cydon.*
maſtichina,
cinam. Cydon. aa ℥ ij.
Syr. è nuce moſchata ℥ ß. vel de abſinthio.
M. propinetur cochleatim.

X. *In Dyſenteriis Epidemicis*, quibus ſæpe tot mi-

lites castra sequentes, è viventium cetu abripiuntur, jam usu recepta est *radix hypecoanha* ad ʒj. data, quâ mediante primæ viæ sursum & deorsum evacuantur, & tum malum leviter superatur, modo ab initio statim exhibeatur evacuans tale.

Loco hujus radicis, si deest, alii *ex vitro ♉ in alcohol redacto, cum Res. Jalapp. & gummi gutta*, pilulas efformant, & debita dosi exhibent.

Postea *Oleum amygd. dulc.* propinant sæpius, ad cochlearia aliquot, intermediato cochleari *spiritus vini vel vini Hispanici* ad leniendos dolores.

Tandem Pilulis vel pulveribus anodinis porrò malum tollunt.

Ad leniendos tamen dolores, & excoriationem præcavendam, sumatur *Oleum amygd. dulc. recentissimum*, admisceatur *sachari tantum* ut acquirat Electuarii consistentiam, de quo æger sæpius aliquid lingat.

XI. *Si plus maligna existit Dysenteria & contagiosa*, eadem conducunt quæ in Febribus malignis aliis.

Tinctura Bezoardica acidula, cum anodina remixta, in continuo sit usu.

Nec *pulveres dicti Bezoardici* omittantur.

℞. *Unicornu fossil.*
Boli armen.
Lapid. hæmat. pr.
Terr. sigill. aa. ʒj.
Mastichis ʒij.
Nuc. moschat. ℈ij.
Extr. op. gr. vj.

M. divide in ℥. p. æq. de quibus tres de die exhibeantur

Vel

Vel ℞. *Priapi cervi* ʒ ij.
Boli armen.
Sem. acetos.
plantag. aa. ʒj.
Nuc. moschat. ℈ ij.
Extr. Op. gr. jv.
M. divide in 6. part, æq.

Ventri poterit calidè applicari sequ. Cataplasma.
℞. *Crust. panis tost.* ℥iij. *Rad. Zedoar. galang.* aa. ℥ß. *herb. menth. absinth. Flor. balaust. rosar.* aa. m. ij. *Mastich. Sem. cumin.* aa. ʒ iij. *N. moschat.* ʒ vj. omnia pulverisata *coquantur cum aceto*, ut fiat cataplasma calide applicandum.

Laudatur etiam *cataplasma ex Theriaca, & Terra sigillata, cum aceto Bez.* ventri impositum.

Vel & *Crusta panis* parum torrefiat, & *aceto vini, vel Bezoard.* humectetur, atque tum inspergatur *pulv. ex mastiche pulv. Nuce moschat. absinth. macis.* &c.

Vel *Omentum vervecis in oleo hyperici, mastichin. vel myrtino*, calefiat, & calide ventri imponatur.

Alias in Dysenteria Epidemica & maligna admodum commendatur *Theriaca recens cum pulpa cydon. confect. alkermes, Rob. è cornis* &c. vel & sola exhibita.

Vel ℞. *Ther. rec.*
Elect. Diascordii aa. ℥ß.
Rob è cornis ʒ vj.
calam. arom. condit.
Nuc. Ind. condit. aa. ʒ iij.
Mastichis pl. ʒ ij.
Extr. op. gr. v.
M. fiat Elect. de quo sæpius detur quantitas nucis castan.

XII. Si

XII. Si malum hæret in inteſtinis inferioribus craſſis, etiam *Clyſteres tam abſtergentes quàm adſtringentes & conſolidantes* non erunt abſque effectu. Adſtringentes verò minori doſi injiciantur. Sic

℞. *Lactis chalybeati* ℥viij. *glutinis vulgaris* ℥ß. *Therebint.* ℥j. *Balſ. Peruv.* ʒj. *vitelli ovi* no. j. miſceatur primo Balſamum Peruv. cum vitello ovi & therebinth. ac tum reliquis calidis admiſceatur.

Vel ℞. *Hordei excort. Fol. plantag. burſ. paſtoris, ſanguinar. equiſeti, Flor. roſ. r. balauſt.* aa. m. j. *cort. granat.* ℥j. Coquantur in *lacte chalybeato hujus* ℥ viij. vel x adde *ſang. dracon. gum. tragac.* aa. ʒ ij. *vitelli ovi aſſati*; fiat clyſter.

Vel ℞. *Juris Decoct. inteſtinorum* ℥viij. *Sevi hircini Sachari rubri* aa. ℥j. M. & detur. Hoc lenit & abſtergit.

Ubi exulcerationis metus adeſt, omittantur clyſteres pingues, ne ulcus ſordidum, & curatu difficilius efficiant.

XIII. *Diætam quod concernit* hic certè obſervabis, quod quo plus nutriveris, eò plus læſeris: Hinc victus ſit tenuis, præcipuè ſi ſimul Febris adeſt: Sufficiant *cremor hordei, oryzæ*, vel *juſcula hordeacea, avenacea*, cum *tragacanth. vel colla piſcium.* Et ſi Febris abeſt, etiam *Lac* concedatur, vel *oryza, hordeum* &c. cum lacte cocta.

Circa declinationem morbi, ubi appetitus redit, concedantur *Pulli cum endivia cocti, perdicum, leporum, capreolorum* &c. *aſſata caro*; præcipuè commendatur *epar gallinæ, & vervecis.*

Potus ſit parcus & calidus, *calidus namque potus, & calidus fotus, hic ſunt optima antidota.*

Præ aliis conducit Decoctum hoc vel ſimile.

℞. *Cra-*

℞. *Crustam panis tostam: Rasur. C.C.* ℥j. *priapi cervi* ℥ß. *Cydon. siccatorum.* ℥j. *mastich.* ʒij. *Cinam.* ʒij. Coquantur in aquæ mens. ij. & Decoctum colatum veniat in usum. Cinamomum ultimo adjiciatur Decocto ferventi ab igne remoto.

Potest etiam concedi Emulsio.

℞. *Amygd. dulc. excort.* ℥ij. *sem. melon. excort. papav. albi* aa. ʒvj. *Aq. sive Decocti hordei mens.* ß. *Aq. è succo Cydon. Rubi Idæi* aa. ℥iij. M. fiat Emulsio.

Nec cerevisia assuetis deneganda est, neque vinum præcipuè rubrum, vel absinthites, aut illud in quo pruna sylvestria exicccata, infusa sunt. *Potus etiam Thee optimi est usus & effectus.* Et si etiam ægrotus *jusculo gallinæ, vel carnis vervecis,* calido posset asuescere, sibi egregiè consuleret.

Præterea *æger somno indulgeat,* sive noctu sive interdiu, cum hic dolores sopiat, viresque reficiat, & ne æger se è lecto movere, ac aëri frigido se exponere necesse habeat, pelvim sibi subjicere curet, atque excrementa statim removeantur, ne contagio alios inficiant.

Dysu-

Dysuria, sive Urinæ Ardor.

I.

DIcitur quando *urinæ excretio, cum magno conatu*, dolore & ardoris sensu instituitur.

Et à stranguria differt in eo quod non guttatim exeat, neque ante aut post excretionem, dolorem relinquat;

II. In causa est *urina acris à salibus copiosè imbibitis*, prout id patet in hypochondriacis, scorbuticis, & ubi *cantharides* sunt exhibitæ.

Ab hac urinæ acrimonia, *meatus saltem urinarius affligitur*, unde libere quidem transit urina, sed cum dolore & ardore quamdiu effluit; secus ac in Stranguria, ubi vesicæ sphincter lacessitus, se se mox aperit, mox rursus constringit, ita ut urina guttatim saltem excernatur cum dolore.

III. In hoc malo sæpè materia alba, & lactea quasi, cum urina adeo copiosè, & quidem cum ardore & dolore excernitur, ut ubi subsedit, dimidia pars matulæ repleatur atque hæc urinæ mictio sæpe longo tempore durat.

Materiam hanc nonnulli, pro pure in renibus genito, habere volunt, *sed si toti renes in pus resolverentur, non possent tantam copiam suppeditare*, quanta singulis diebus excernitur; potius credendum, materiam talem dependere *à depravata chylificatione*, & ruditatibus in prima dissolutione haud ritè situatis & correctis, ut in nutrimentum debitum, partium urinariarum, cedere potuerit.

Id quod demonstrat exemplum viri qui hoc malo excruciatus, talem urinam tanta materia refertam

longo

longo tempore reddidit, & nullo alio remedio curari potuit, quam *solius vini malvatici potu.*

IV. Nonnunquam tamen dolorificæ talismodi mictionis causa solet esse *meatus urinarius, ab attritu calculi excoriatus*, unde urina etiam naturaliter constituta, dolorem causatur.

Gonorrhœæ virulentæ materia acris non rarò item meatus urinarii exulcerationem inducit, ut urina tunc cum dolore excernatur.

Ipsum quidem malum, etsi per se haud sit lethale, pro causæ tamen diversitate nunc facilius, nunc difficilius curatur. In senibus plerumque incurabile est. Et si urina supprimitur, malũ redditur periculosius.

V. *In cura respectus habeatur chilificationis*, quæ si haud ritè administratur, & suspicio adest, ruditates delitescere in primis viis, ante omnia removeantur mediante vomitorio.

Deinde *lymphæ nutritiæ acrimonia corrigatur* per absorbentia & succinata.

℞. ♁ *Diaphoret.* ʒij.
succini pr.
lapid. percar. pr. ā ā. ʒj.
liquirit. pl. ℈j.
Extr. op. gr. jv.
M.

Ad vias urinarias ab acrimonia vindicandas.

℞. *Vini malvat.* ℥vj.
🜔 *amygd. d.* ℥ij.
M. detur pro duabus dosibus.

Xel ℞. *Balsam.* 🜍 *succinati.*
Copaiv. ā ā. ʒ ij.
M. dentur sæpius gtt. 15. *cum Aqua malvæ & syrupo de althea.*

Emulsiones sint in diligenti usu, v. g. ℞. *Amygd.*

℞. *Amygd. d. excort.* ℥ij. *sem. 4 frig. maj.* ā ā. ʒij. *papav. albi* ℥ß. *cum Decocti malvæ, sebesten, liquirit* &c. ℔ ij. fiat emulsio, cui adde *lapidis percar.* ʒ ij. & edulcoretur cum *Syrupo de althea.*

Potus Theæ cum liquiritia, jujubis, sebesten, additis foliis malvæ, diligenti sit in usu.

Nec minoris valoris est *Decoctum Foresti ad calculum,* prout *Decoctum flor. malvæ cum jujubis & sebesten, addito tantillo croci* ad ℥v. *Decocti, omni mane.*

Omnia vero hæc, & alia potulenta, calidè hauriantur.

VI. Externè perinæum inungatur *oleo amygd. d. scorpion. violarum* &c. vel *ruta & parietaria in oleo scorpion. cocta,* instar cataplasmatis applicentur aut *ung. martiat. Agripp. cum ol. lauri* illinatur. *Vel ex Decocto malvæ alth. parietar. chamomill. capit. papav.* &c. fiant fotus aut insessus.

His crebro *clysteres subjungantur,* modo lenientes, modo blande stimulantes, quo contumacior namq; est alvus, eo magis dolorifica est dysuria.

Ad excoriationem urethræ leniendam, injiciatur *Oleum amygd. d. cum parum bals. Copaivæ, vel Peruviani, mixtam.*

Vel *Lac, cui radices alth. herb. malv. fl. meliloti* &c. incocta sunt.

Atque sic quovis modo urinæ liberior excretio procuretur, hunc in finem *moneatur æger, ut frequenter vesicam exoneret,* neque unica hora saltem excretionem negligat.

VII. In Diæta vitentur omnia acria, in diligenti verò usu sit *Lac, cremor hordei, oryza cum lacte,* & similia.

Potus sit *Ptisana, ex hordeo, & liquir. baccis alkekeng. & sebesten.*

Empy-

Empyema.

I.

Dicitur affectus ille, quando non tam in Pulmonum ſubſtantia, quam in thoracis cavitate, pus, ſive extravaſata corrupta lympha, vel ſanguis colligitur, *& præter tuſſim continuò moleſtam ſictam, quaſi è profundo dependentem reſpirationem difficilem, febrem lentam, poſt ſumtum cibum, vel circa veſperam magis intenſam, ſudores nocturnos, corporis extenuationem &c. inducit.*

II. In quo verò latere in ſpecie pus deliteſcat, *denotat & dolor & calor,* in hoc vel illo latere, ſic & latus hoc præ altero magis elatum indicat, niſi in utraque pectoris parte ſit collectum.

Nonnunquam pus, vel lympha corrupta, in ipſis Pulmonum veſiculis colligitur, vel peculiari capſulæ includitur ipſis pulmonibus adhæreſcente; *ſed tunc nondum Empyema, ſed vomica audit,* niſi hâc ruptâ, ſenſim in cavitatem ſtillat materia. Atque hujus mali ut plurimum funeſti ſigna, cum ſignis empyematis eadem ſunt.

III. Utrumque malum periculo haud vacat, præcipue vomica, quando enim ex improviſo rumpitur, nec pus cito per tracheam eliminatur, homo ſubito extinguitur.

Occaſionem Empyemati præbent pleuritis, peripneumonia, vel & thoracis percuſſio, in caſu ab alto, item vomica &c. Pleuritici, nullum pus extuſſientes, facile fiunt Empyici.

Empyema verò cum facile in phthiſin tranſeat, eadem requirit remedia, hinc conducunt vulnera-

cia,

ria, *ex Therebinthina, Balſ. Peruviano, Balſamo ſulfuris, Tinct. ſulfuris*, præter alia acidum temperantia. Ex vulnerariis præ aliis eminent, *ariſtolochiæ ſpecies, hædera terr. veronica, Bethonica, ſanicula*, &c. *nec potus Theæ, Caffæ & Chocolatæ, vel & lactis ſimplicis uſus*, erit abſque ſingulari effectu, præcipuè *Lac caprinum, cum ſach. roſ.* Inter expectorantia, vel ſputum promoventia prævalet *Syr. de Nicotiana. oxymel ſquillit.* &c. Sic

℞. ▽ *Hyſſopi* ℥ iij.
Aſthmat. ℥ ß.
Oxymel. ſquill. ℥ j.
Syr. de Nicotiana ℥ ß.
emetici ʒ ij.
M. & exhibeatur ſemper aliquid pro lubitu.

IV. *Si ex caſu ab alto metuitur, extravaſatio* & puris in pectore collectio.

℞. *Ocul.* ♋ pr. ʒ j.
Rhabarb. el.
Sperm. ceti.
Sang. hirci legit. pr. aa ʒ ß.
M. detur ʒ j. pro doſi *in decocto chærefolii*, ad ſanguinem grumoſum diſſolvendum.

Facto tandem Empyemate, ſi obſervetur, naturam hoc expurgare haud poſſe, ſtatim paracenteſis inſtituatur, antequam pulmones à ſanie corrumpuntur.

Febris Continua.

I.

FEbres omnes ardentes, sive continuæ, sive benignæ, sive malignæ gradibus tantum differunt. Quæ leves sunt, intermittentium Febrium typum nonnunquam observant, unde & vel *continuæ quotidianæ*, *tertianæ* &c. vocari solent.

Ubi verò æstus magnus, sitis clamosa, lingua arida, dolor capitis &c. excruciant, *in genere Febris ardens appellatur.*

Sed si symptomata tanta sunt, quæ brevi tempore, viribus citò prostratis, homines trucidant, *Maligna dicitur.*

II. Modus invadendi, cum Febribus etiam intermittentibus, vel cum erysipelate saltem, idem est, *incipiunt etenim omnes cum horrore vel rigore; subsequente calore magis minus molesto, vel sensibili.*

Sed vires, & artuum lassitudines, vel dolores, distinctionem addunt; *Ubi enim* vel ante, vel cum horrore & calore, *vires subitò primis invasionis horis prosternuntur*, cum artuum insigni, & sensibili admodum lassitudine & dolore, tum certò experieris, Febrem ardentem ludere tragœdiam, vel magis, minus benignam, aut malignam. Appetitus planè prosternitur, nausea molestat, sitis plerumque excruciat, & tamen, si conceditur potus sufficiens, anxietates parit, & lingua exarescit.

Præterea caput dolet, & delirium succedit, & quæ sunt plura Febrium harum symptomata.

Quæ omnia dependent *ab humorum circulantium perturbata textura & mixtura*, ita ut indispo-

ſiti ſint humores circulationem libere abſolvere, ſive ſint vel coagulati nimis, vel nexu ſuo ſoluti magis.

III. In cura hujus mali, *vomitus ab initio ſtatim provocatus, dehinc vena ſecta, & paulo poſt ſudoriferum ſatis validum propinatum*, morbum hunc citò jugulant.

Purgantia verò per inferiora, periculoſa ſunt, & in malignis præcipuè exitioſa, cum, ubi humores ad diſſolutionem inclinant, colliquationes vel diarrhœas facillime excitent, ut neque clyſterum etiam tunc tutus ſit uſus.

Ubi tamen in benignis ardentibus alvus libera requiritur, *ſerum lactis tamarindinatum ſufficiet.*

Probè tamen ſemper inquirendum, *num humores vel ad diſſolutionem, vel ad coagulationem ſint diſpoſiti magis.*

Si ad diſſolutionem magis inclinant, tum æſtus plus eſt intenſus, ſitis magis excruciat, caput admodum dolet, & diarrhœa aut hæmorrhagia ſe facillime aſſociant. Cum verò *ſudorifera* hic, ut in omnibus ardentibus, ſint ſacra anchora, tamen hic *conſiſtant ex temperatis, acidulis, ſalinis fixis, & abſorbentibus*; modò tempus ea adhibendi ſimul obſervetur; nam in principio, *ubi partes heterogeneæ ad diſceſſum nondum ſunt diſpoſitæ, ſed adhuc crudiori forma tumultuantur, ægri difficillime ad ſudorem diſponuntur*; & quidem malè, nam omnes illi qui ab initio facile ſudant, & in continuo quaſi madore, haud tamen coacti, à natura detinentur, leviter evadunt. *Opium tamen ſudoriferis additum*, heterogeneitates facile moderatur & ad faciliorem diſceſſum eas diſponit.

Sic *opium, addito tantillo nitri* æſtum admodum com-

compescit, ægro quietem conciliat, diaphoresin promovet, & orgasmum sufflaminat, & ut separatio heterogeneitatum eo melius procedat, adjuvat, spiritus blande figendo & eorum dissipationem præcavendo, *modo spiritus nondum prostrati & vires jam planè dissolutæ existant.* Aliàs ab initio

℞. *Rob. sambuci* ℥ ß.
Elect. Diascordii ʒ j.
℞. *Bez. acidulæ* ʒ j ß.
▽ *card. ben.* ℥ vj.
M. detur pro duabus dosibus.

℞. *Aceti Bez.* ℥ ij.
Elect. Diascordii ʒ ij.
Syr. acetos. citri ʒ iij.
M. detur pro dosi.

IV. Si Diarrhæa vel hæmorrhagia jungi vult,

℞. *Aq. Fl. sambuci* ℥ v.
Aceti Bez. ℥ j.
℞. *Bezoard.* ʒ ij.
anodin. ʒ j.
Unicorn. fossil.
Boli armen. aa ʒ ß.
Syr. corallor. ʒ ij.
M detur pro duabus dosibus.

V, Si vigiliæ nimiæ combinantur,

℞. *Sem. 4. frig. maj.* aa ʒ ij. *Papav. albi* ℥ ß. *Aq. C. C. citratæ* ℔ ß. *Papav. err. lactucæ* aa ℥ ij. Fiat Emulsio quæ julepo rosar. edulcoretur.

Frons & tempora inungantur seq. linimento.

℞. *Ung. alabastrini, Populi,* aa ℥ ß. ⚱ *hyosciami anethi* aa ʒ j. *nucistæ* ℈ j. *Sem. anethi* pl. ʒ j. *Croci* ℈ ij. *Camphoræ* ℈ j. M.

VI. Post sudores, refectioni virium etiam insistatur.

℞. *Aq. Rubi idæi, Rosar.* aa ℥ v. *Cinamom.* ʒ j. *Spir.* ⊕ *i dulcis* ʒ ij. *Syrupi acetos. citri* q. s. M. dentur sæpius aliquot cochlearia.

VII. Ad sitim demulcendam,

℞. *Medull. Pomor. citri concisi*, num. ij,
Res. C. C. ℥ ij.

Coquantur in s. q. Aquæ. Colaturæ ℔ ij. adde *vini* ℥ vj. *sachari* q. s. ad gratiam & detur pro lubitu.

Vel ℞. *Rasur. C. C.* ℥ ij.
Pom. citri incisi num. ij.

Coquantur in *Aquæ mens.* i ß. in fine decoctionis adde *parum sachari*.

Vel coquatur *Pomum citri in taleolos scissum in lactis mens.* j. ut fiat serum citratum. Aliàs sitis in his Febribus optime demulcetur, *per Decoctum C. C.* in magna copia calide potum, instillatis aliquot guttis *Tinct. Bez. acidula*.

VIII. Ubi alvus laxa, non impedit, sed potius paulisper laxa desideratur.

℞. *Hordei mundi* m. i ß.
Passul. min. ℥ ij.
♀ *crudi* ℥ j.

Contusa coquantur in Aquæ mens. j. ß.

Vel ℞. *Tamarind.* ℥ ij.
Ceras. acid. m. ij.

Coquantur in Aquæ font. m. i ß. ad casum ℔ j. vel solum *Nitrum probe depuratum* ad ℥ ß. detur de die in s. q. Aquæ, vel potus ordinarii, & si tunc æger incipit liberalius, & cum nullo ardore mingere, bonum signum est.

Aliàs quo major est sitis & æstus eo liberalius potu indul-

indulgendum, modo parcius & frequentius, ne nimio potu ventriculus lædatur, vel diarrhœa excitetur.

Non ſolum enim morbi hujus cauſæ, ſed & ſymptomatum, utpote æſtus, ſitis, ſiccitatis oris, & virium diminutionis, reſpectus habeatur.

IX. Si malum ex humorum coagulo dependet, tunc ſymptomata omnia videntur mitiora, ut non adeo ægrotare videantur, ſed quoniam ſymptomata ſenſim de die in diem exacerbantur, ad delirium uſque, hinc ab initio ſtatim, hoſti valide occurrendum, *mediante vomitorio*, ut ſi indigeſta forte adſint, removeantur, *vena ſectione deſuper adminiſtrata*, atque *ſudoriferis validis, magis tamen volatilibus*, primis poſt Venæ ſectionem horis exhibitis. Sic

℞. *Aq. flor. ſambuci, vel card. ben.* ℥ vj.
  ℞. *Bez. abſque acido,*
  Spir. C. Cervi aa ʒ ij.
M. pro duabus doſibus, ſæpius reiterandis.

Vel ℞. *Liquoris, aut Tinct. C. C. ſuccin.*
  ℞. *Bezoard. abſque acido* aa ʒ j.
  ▽ *card. ben.* ℥ iij.
M. detur pro doſi.

Vel ℞. ▽ *Flor. ſambuc.* ℥ iij.
  Elect. Diaſcordii ʒ j.
  ℞. *Bez. abſque acido opt. camph.*
  Spir. C. Cervi aa ʒ ß.
M. detur pro doſi.

X. Vel ſi convulſionum metus ingruit,

℞. *Pulv. Bezoard. Senn.* ʒ j.
  Cinnab. antim. ℈ j.
  ⊖ *vol. C. C.* gr. xv.

Camphor. gr. iij.
Extr. op. gr j ß.
M. pro duabus dosibus.

Ad deliria avertenda, statim etiam primis diebus *vesicatoria applicentur* in brachiis, in carpis manuum, in pedibus, &c.

XI. Nonnunquam massa lymphatica magis minus alterata aut coagulata *Febres catarrhales* dictas excitat, *aliquando Epidemicas, sed plerumque benignas;* Et dum glandulæ circa caput & pectus potissimum obstruuntur, *coryza, raucedo, vel tussis molestat,* caput dolet & calor mordax circa vesperam exacerbari solet cum pulsu celerrimo, increscens ad mediam noctem usque, ubi rursus remittit, lentus tamen & obscurus perdurat, donec circa vesperam exacerbatur rursus, urinæ sunt admodum tinctæ, sed die uno aut altero elapso, crassescere, turbari, & copiosum sedimentum deponere incipiunt.

Symptomata hæc durant sub coryza, & tussi, ad statum morbi usque, donec lympha coagulata & disposita expectorari incipit.

In his Febribus conducunt, *Liquor. vel Tinct. C. Cervi succin. Spir. C. C. cum ⊖e vol.* probè acuatus, *Item Spir. ✳ci anisatus, cum* ℞. *anodina* &c.

Sic ℞. *Aq. card. ben. vel fl. sambuci* ℥ ij. *Tinct. C. C. succin.* ʒ ß, *anod.* ℈ j. M. detur vesperi ante exacerbationem.

XII. *Febris Maligna dicitur,* ubi primo & immediatè Spiritus quasi præcipitantur vel enecantur, & his directoribus tunc humorum circulus destitutus, in confusionem agitur, & humores corrumpuntur, atque debitam texturam amittunt, dum vel coagulantur vel dissolvuntur nimis.

In his

In his Febribus, prout venenum ſpiritus magis vel minus enecat, pro eo virium proſtratio vel major vel minor adeſt, cum pulſu celeri, ſed parvo & debili, ardore capitis continuo, præcipuè circa frontem, agrypnia, delirio, urina naturali ſimili, æſtu intenſo, ſiti clamoſa, faucibus aridis, nonnunquam etiam mox ſub ingreſſum morbi adeſt æſtus moderatus, cum pulſu celeri, ſed inæquali.

XIII. Cauſa malignitatis generatur vel in corpore vitio alimenti aut victus, poſt famem aut carnium eſum ſine ſale, fructuum horeorum corruptela, potu aquarum putridarum &c. Vel ab extra, ab aeris effluviis contagioſis communicatur. Aer verò contagioſis taliſmodi effluviis impraegnatur, potiſſimum in caſtris, obſidionibus, ex fœtore cadaverum, vel rerum putreſcentium, ex fœtore paludum, exhalationibus ſubterraneis &c.

XIV. Prognoſis hujus mali incerta admodum eſt, plurimi enim cum ſignis alias periculoſiſſimis evadunt, ubi alii cum ſalutem promittentibus intereunt.

Signa tamen quæ ſalutem potius promittunt, ſunt Pulſus major & æqualis, ſi urina mox turbatur, & ſedimentum deponit, ſi ſudor copioſus accedit, & poſt ſomnum delirium compeſcitur, ſi ſurditas declinante morbo advenit, cum parotidum tumore.

Eventum dubium vel funeſtum verò denunciant, Pulſus inæqualis & minor, in principio præcipuè: Urinæ ſanorum ſimiles, vel etiam craſſæ & perturbatæ manentes, vel ſignis coctionis in urina quidem apparentibus, ſed denuò recrudeſcentibus. Delirium poſt ſomnum accedens, & ſurditas in principio morbi ſe jungens, narium ſtillicidium, cum intenſi-

tenſiori capitis ardore, & faciei rubore & agrypnia, motus aut ſubſultus tendinum carpi, digitis quietis, utpote convulſionum prodromi, floccorum collectio &c.

XV. *In cura* primis invaſionis horis ante omnia *propinetur vomitorium*, ut ſi fortè ruditates inſint ſtomacho hæc rejiciantur. Si enim poſt paſtum contagium hominem adoritur, tum contenta ſtomachi ſtatim corrumpuntur, & ſi ita relinquuntur, toto morbi curſu axietates pariunt, & omnia medicamenta invertunt, quæ aſſumuntur.

Cavendum verò à purgationibus aliis, utpote exitialibus, præcipuè ſi à contagio febris exorta eſt, alvus enim in hoc malo laxa, facilè in diarrhœam funeſtam abit, & excretiones cutaneas reſtinguit; unde & *nec clyſterum hic tutus eſt uſus, ſi excretiones cutaneæ adſunt.*

Venæ ſectionis etiam in malignis, nullus eſt uſus ubi pulſus debilis adeſt, & excretiones cutaneæ exſpectantur.

Sudorifera verò dicta Bezoardica, hic ſunt ſacra anchora, qualia ſupra de Febre ardente ſunt præſcripta. Imò ipſa *Tinctura Bezoardica ſaltem* ſtatim vel poſt vel ante vomitorium propinatum, debita doſi, in ipſa quaſi herba ſuffocat Febres malignas, Dyſenteriam vel ipſam peſtem.

Obſervandum autem tam in his quam in illis, an major ſit malignitas, an verò major ſit ſanguinis effervеſcentia; etenim in hoc caſu magis conveniunt ſudorifera blandis acidis remixta, vel abſorbentia.

Ubi verò malignitas à contagio prævalet tunc *theriacalia* potius & generoſiora alexipharmaca

vel

vel volatilia ſudorifera in principio & augmento ſint in diligenti uſu.

Et ſi nervi vel caput ſimul videtur magis affectum, tunc remiſceantur *volatilia cum opiatis*.

Si in malignis corpus leviter ſudat, & facile perſpirabile eſt, ſudorifera poſſunt eſſe validiora, ex volatilibus conſtantia. *Sed illis qui difficulter ſudant, potius Tinctura Bezoardica acidula* in principio & incremento conducit, *cum Opio maritata*.

XVI. *Et ſi à nimiis ſudoribus, vires exſolvuntur*, largiori potu & blandis acidulis reſarciantur, qualia ſunt ſupra de Febribus ardentibus tradita *ex Decocto Citri cum C. Cervi &c.*

In ipſo etiam ſudore poteſt propinari cochleare *Aq. Apoplect. cum aceto & ſucco citri dilutum.*

Naribus poſſunt admoveri *Acetum Bez. cum ſpir. *ci mixtum.*

Et in principio ſtatus morbi, ubi excretiones cutaneæ haud ritè ſuccedunt, ſi ſopor adeſt, & delirium, ſi exteriora frigent, & interiora uruntur, *veſicatoria omnino neceſſaria ſunt*, cruribus ſupra & infra genu, tum & brachiis prope carpos & axillas, vel & nuchæ, in affectibus ſoporoſis applicata.

XVII. *In Diæta* dum appetitus planè eſt proſtratus, nil concedendum, niſi juſculum tenuè, quod ad ſitim ſedandam aptum eſt.

Aſuetis etiam aliquando hauſtus vini non nocet.

Febris

Febris Petechialis.

I.

SI præter supra enumerata Febrium malignarum symptomata *circa quartum, septimum, decimum &c. diem, maculæ erumpunt*, tum ad differentiam malignarum aliarum Febres hæ Petechiales vocantur.

Erumpunt verò maculæ illæ circa pectus & scapulas, dehinc circa abdomen, & crura, & tandem brachia, facie tamen semper ferè libera; In statu facile superveniunt deliria & convulsiones, & in morbo salubri, ptyalismus.

II. *Febres hæ præ aliis malignis sunt admodum contagiosæ, sed contagium non adeò activum est*, latet enim sæpè diu, antequam se exerit. *Maculæ quo sunt rubicundiores, & latiores*, eò sunt meliores, plumbeæ vero aut nigræ deteriores; & si subito disparent, & recurrunt rursus, pessimæ.

Aliàs Febres hæ, *aliis malignis, magis lentæ sunt*; nonnunquam enim in statu, sex, octo, aut plures dies, in eodem tenore persistunt: & ab initio sæpè adeò mites apparent, ut ægri præter lassitudinem, se ægrotare vix sentiant; sed quò magis sic blandiuntur, eò periculosiores sæpè existunt, præcipuè quando vires insigniter prosternuntur, febre licet miti existente.

III. Curam hujus mali quod concernit, ea minimè differenda, *sed statim in principio, vomitorio removeantur contenta stomachi corrupta*, ut anxietates graves huic Febri alias familiares, præcaveantur. Purgationes verò aliæ per inferiora, cum V. sectione hic admodum sunt nocivæ.

Post

Post effectum vomitorii, statim in principio & incremento *sudorifera volatilia, imprimis Theriacalia sint in diligenti usu,* & intra 24. horas ad minimum, ter sunt porrigenda, ad sudorem eliciendum, ubi tamen neque linteis, vel stragulis, æger est opprimendus. In principio enim hujus mali ægri aliàs facilius sudant, quàm in progressu, & statu morbi, ubi ferè nunquam ad sudorem amplius possunt cogi.

IV. *Sudorifera verò hic* prout in aliis acutis, vel malignis *ab initio sint magis volatilia*, & in statu ac fine *fixiora*. Et si in modum ardentium Febrium affligunt cum majori æstu, sudorifera cum salinis macris combinentur.

℞. *verò* ♁ *Diaph.* ℈ij.
⊖ *vol.* CC. gr. xij.
M. pro dosi.

Vel ℞. *Aq. fl. sambuci* ℥ij.
Aceti Bez. ℥ß.
Theriacæ ʒj.
♁ *diaph.* ʒß.
M. detur pro dosi.

Vel ℞. *Theriacæ* ʒj.
♁ *Diaphor.* ℈j.
⊖ *is absinth.* ℈ß.
Aceti vini, vel Bezoard. ʒvj.
Syr. acetos. citri. q. l.
M. & detur pro dosi ac copiosus emanabit sudor.

Postea ℞. *Conserv. Pulp. citri* ℥iß.
Diascord. Frac. ℥ß.
♁ *Diaphoret.* ʒiß.
succi citri. q. s.

Ut fiat

Ut fiat Elect. de quo die & nocte æger sæpius dosin capiat.

Vel si ardor mitis adest,

℞. *Aq. Scordii.*
Flor. sambuci ãã. ℥iij.
R. *Bez. parum acidulæ* ʒij.
⊖*is C. C. volat.* ℈j.
Elect. Diascord. ʒiij.
☿ *Diaphoret.* ʒj.
Syr. liberantis ℥ß.
M. detur pro duabus vel tribus dosibus.

In progressu & statu morbi autem,

℞. ☿ *Diaphoret.* ʒiß.
Ocul. 69. pr.
C.C. sine igne pr.
Corall. r. pr. a[illegible]j.
Cinnab. ☿ pr. gr. xv.
Extr. Opii gr. iij.
M. divide in tres doses.

V. Post hæc *Vesicatoria, utpote summe necessaria, hic ante septimum diem veniant in usum*, ut symptomata gravia in statu morbi plerumque supervenientia præcaveantur. Præcipuè si maculæ retrocedere volunt, aut convulsiones metuuntur, *Ægri semper in æquali calore detineantur.*

VI. *Diæta*, ut in omnibus malignis, hic sit tenuis, & pro potu detur *Decoctum Citri cum* C. C. & similibus, qualia supra de continuis sunt notata, & si calor non adeo urget, etiam *modicum vini* concedi potest.

Et si omnia hæc ritè peraguntur utplurimum intra 14. dies cedit malum per Diaphoresin successivam, ubi alias in longum tempus protrahi solet.

Febris

Febris Hungarica.

I.

PRo veneni humores corrumpentis & ſpiritus peſſundantis differentia, datur alia Febris malignæ ſpecies, quæ vocatur Morbus Hungaricus, qui alias Febres malignas ſuperat, 1. Gravi cardialgia & anxietate. 2. Intolerabili cephalalgia, & deliriis graviſſimis. 3. Angina ſive prunella: quibus nonnunquam fluor alvi ſe aſſociare ſolet.

II. Cura eadem eſt cum aliis malignis; ubi in ſpecie *vomitoria ab initio* nunquam omitti debent. *V. ſectionis tamen hic*, ſecus ac in aliis malignis, *neceſſarius eſt uſus*, præcipuè ratione anginæ, ubi combinatur, Raninarum ſectio ſub lingua. Vel ratione cephalalgiæ & delirii, ſectio venæ frontis &c. Potus ordinarius ſit *Decoctum C. C. cum citro*, vel aliud ſupra traditum.

Pro Epithemate ad frontem & carpos manuum
℞. ▽ *Fl. ſambuci, Roſar. Aceti fl. tunic. rutæ* ā ā. ℥j.
Theriacæ ℥ij. *Nitri.* ʒj. *Croci* ℈j. *camph.* ℈ß.
M. vel & fronti applicetur *ſpir. vini camphoratus* &c.

Febris

Febris Hectica.

I.

HAnc Febrem nonnulli Practici *distinguunt in Secundariam* sive symptomaticam , & *Primariam.*

Primariam vitio stomachi, & inde dependente alimentorum corruptela, oriri volunt, cum absque hâc reliquæ causæ, Hecticam inferre vix sufficiant. Etenim cum proxima Febris Hecticæ causa consistat in sanguinis discrasia salsa & acri, cum nimia visciditate juncta, hinc dispositionem hanc non nisi vitio primæ concoctionis ortum trahere posse dicunt.

Secundariam sive symptomaticam quod attinet, solet ea occasionem sumere *post Febres continuas, vel intermittentes*, aut contumaciores, aut malè tractatas; Sic & *inflammatio Pulmonum* , & inde nata apostemata, *abscessus mesenterii, renum ulcera, lues venerea* &c. levi negotio huic morbo ansam addere possunt, dum ex talismodi latibulis, *malè disposita, vel purulenta lympha, sanguini confusa, cum hoc nunquam ritè miscetur*, sed confusè cohærens, semper in lucta est, unde intestinum motum & Febrem fovet; tunc verò exacerbatur, quando post pastum chylus in stomacho haud ritè elaboratus, simul sanguini admiscetur, unde major alteratio accedit, & febris intenditur &c.

II. Hoc morbo correpti, *insensibiliter emaciantur*, calor adest lenis, & nisi ægri manus diutius contineatur, vix perceptibilis, nisi quod aliquot horis post pastum, paulo acrior soleat esse: Pulsus

solitò frequentior est, sed parvus & debilis, cum clandestina virium prostratione.

Urina in hujus mali initio sanorum est similis, & si stomachus malè digerit, subinde excernitur alba, pallida & tenuis, & si ad marasmum progreditur malum, quasi oleaginosa emittitur. Fœces in principio & incremento sunt duræ, ventriculi verò digestione labefactatâ, fiunt liquidæ & copiosæ.

Et si Hectica nunc confirmata existit, fluxus alvi ferè est continuus, sudores nocturni colliquativi adveniunt, & tandem capilli defluunt.

Longitudo morbi & difficultas eum curandi, ab ætate, & corporis dispositione, est metienda: *Incipientem tamen facilius confirmatâ, curari posse, omnes confitentur Practici.*

III. *In curatione hujus mali, præcipuè si primaria est*, & vitio stomachi vel digestionis primæ oritur convenit *vomitus, vel blanda purgatio.*

Postea adhibeantur talia, quæ viscidum attenuant & salsum temperant, qualia sunt *Antihect. Poterii, Bezoard. Joviale, Antimoniale* &c.

Nec minus conducunt hunc in finem sequentia.

℞. *Rad. cichor. taraxaci, acetosæ, lactucæ, endiviæ, scorzoner.* āā. ℥ß. *Flor. Borrag. Bugloss. nymphææ, cichor. rosar.* āā. mi. *sem. 4. frigid. maj.* āā. ʒj. *Decoctis in s. q. seri lactis*, vel & *Decocto hordei adde ad* ℔ij. colaturæ *syrupi de succo citri* ℥iß. & propinetur sæpius haustus.

Vel ℞. *Amygd. d. excort.* ℥j.
Nucl. pini ʒvj.
pistac. recent. ℥ß.
sem. 4. frig. maj. āā. ʒj.

Cum *Aqua endiviæ & lactucæ* āā. *q. s.* fiat emulsio.

cui adde *Antihect. Pot.* ℥ij. & edulcoretur ad libitum ſacharo.

IV. Præ his tamen omnibus, in Hectica, quam primariam, ex ſingulari humorum acrimonia, & inde dependente colliquatione vocare ſolent, ubi humores nunc circulatione toties iteratâ, uniti, chylum adhuc rudem, indigeſtum & acrem, in ſuam compagem tam quietè recipere, neque unione exquiſitâ ſibi applicare haud poſſunt, ut innocuè transeat tubulos vaſorum minimos, quin rigida ſua acredine ſive ruditate illos vellicet, atque hoc ſtimulo febrem quaſi efficiat, quæ eouſque durat, donec illud quod ab initio commixtionem cum ſanguine renuit, nunc partim reiterato circulo, vel ſanguini unitum, vel per corporis habitum, mediante ſudore rejectum fuit.

Hoc in caſu præter modo laudata, conducunt aquæ minerales ſive acidulæ, quibus viſcera & vaſa ab immunditie eluuntur, eorumque tonus enervatus *reſtituitur.*

V. *Præterea conducit omne lac, in ſpecie verò muliebre*, vel *aſininum;* atque hoc vel illud primarium debet eſſe alimentum, carne interdicta.

Ante omnia verò Medicus exploret, num æger lactis uſum tolerare queat, hunc in ſinem ventriculo prius leniter evacuato, propinet ab initio lactis ℥iij. vel iv. hinc ſi nulla inſequitur ventriculi gravitas, nauſea, vomitus, ſingultus, neque calor aut pulſus intenditur, tunc mane & veſperi poteſt propinari ℔j. Si vero calor magis ſenſibilis adeſt, loco lactis, detur *Lac ebutyratum, vel ſerum lactis.*

Dantur etiam *Aquæ deſtillatæ Antihecticæ*, quibus alii multum tribuunt.

Neque

Neque minus temperant *Balnea ex lacte dulci, vel aquâ tepidâ, cui flores nymphea, violarum, Fol. endiv. Lactucæ* &c. tum & *pedes vel caput vervecis* incocta sunt: Insideat verò æger tali balneo, donec sponte refrigeratur.

VI. Si sudores nocturni infestant
℞. *M. P. de cynogloss.* ʒj.
Extr. croci ℈j.
opii gr. vj.
Cum *succi liquirit*, in s. q. *Aq. hyssopi* soluti fiant Pilulæ, pondere grani unius de quibus mane & sero 5. vel 6. exhibeantur.
Vel ℞. *Antihect. Poter.* ℈jß.
pulv. anod. Wed. ℈ß.
M. detur noctu pro duabus dosibus.
Tinctura etiam Antiphthisica, cum Tinctura Flor. Bellidis, rosarum &c. hic optimi est usus & effectus.
Neque tamen externa negligantur. Sic
℞. *Ung. resumtivi* ℥ß.
Refrig. Galeni
Rosati āā. ʒij.
Sachari Saturni. ℈j.
M. & hoc dorsum diligenter inungatur.

VII. In Diæta plus conducunt elixa, quam assata, *cum endivia, lactuca, acetosa,* &c. nec omittantur *jusculæ hordeacea, avenacea, pultes ex oryza, cancri fluviatiles contusi,* & jus cula inde parata, item *Ostrea, ranæ, pisces laudabiles,* & similia.
Potus sit *Decoctum passulatum,* cum *rad. cichorei, crem.* ♀ vel solum, vel
℞. *Hordei mundi* m. j.
Passul. maj. & min. aa. ℥j.

Dactylorum no. 15.
Sem. anisi.
fœnic. aa. ʒj.
Coquantur in Aquæ menſ. ij. pro potu ordinario.
Non minus item conducunt *Emulſiones*, *ſerum Lactis*, *Thea cum lacte* &c.
IIX. Si aliquid Febrilis latere obſervatur.
℞. *Cort. Peruv.* pl. ℥ß. *Aquæ hederæ terreſtr. cichor.* aa. ℔j. *arcani duplic.* ʒiij. Infundantur horis octo in calore leni, in fine pauliſper coquantur unica ſaltem ebullitione; Colaturæ adde *ſyrup. de hedera terr.* ℥j. & propinetur mane & veſperi hauſtus cui ſingulo, *Tinctura antiphthiſ. inſtillatæ* ſint. gutt. 60. vel ultra.

Febris Intermittens.

I.

EST, & dicitur hæc, *quæ certo suo tempore & per intervalla hominem aggreditur*, cum horrore, vel frigore, insequente calore, postmodum verò rursus cedit, & planè remittit.

Pro diverso vero hoc aggressionis, & intermissionis tempore, diversa sortitur nomina, ut vel *quotidiana, tertiana, aut quartana* vocetur, vel & dum nullam periodum certam observat, *vaga vel erratica* audiat.

Ratione symptomatum porrò varia est & diversa; præter ordinaria namque symptomata, quæ sunt rigor aut frigus, subsequente calore, & tandem sudore, dantur etiam *algida*, quæ saltem frigore molestæ sunt, nullo subsequente calore: Dantur etiam Febres, in quibus frigus & calor vehementer urgent & *Epialæ* vocantur. Et ratione sitis inextinguibilis dantur *siticulosæ*; à fame inexplebili *Famelicæ*, à dolore stomachi *Cardiacæ, Colicæ sive tormi-nales, syncopales, anhelosæ, asthmaticæ, Tussiculosæ, Arthriticæ, vomitoriæ, insanæ* &c. Et omnes hæ Febres intermittentes, sunt unius ejusdemque naturæ, & saltem pro diversitate subjectorum diversificantur.

II. Causa est *venenum sive peculiare acidum*, chilum in prima digestione ita invertens, ut indispositus fiat cum sanguine debitè combinari, & legitimè ac ritè circulari, unde chilus talis, dum ad eam quantitatem pervenit, quæ circulum humorum perturbat, spiritus adeò elasticos reddit & expandit, ut

ruditates tales subigere incipientes, tantum tumultum concitent, qui cum horrore vel frigore incipit, & cum calore progreditur, ac plerumque cum sudore finitur, vel quotidie, vel tertio aut quarto die, *prout chylus talis quasi acescens aut venenatus, citius aut tardius, in tantâ quantitate sanguini confunditur, ut sufficiens sit spiritibus tantum tumultum imprimere, & texturam sanguinis magis minus turbare.*

Originem dependere ex singulari depravata digestione in ventriculo, hoc saltem demonstrare videtur, quod aliquando homines, Febres sibi accersant, ex cibo vel potu, quem cum nausea sumserunt: ubi è contra dantur, qui intenso, unius aut alterius cibi appetitu, & esu, Febrem rursus fugarunt.

III. Effectum quod concernit, quem chylus talis indigestus, sanguini circulanti imprimit, videtur consistere in majori vel minori coagulo, aut crassitie, quam chylus talis sanguini communicat, unde tunc circulatio solitò tardius peragitur, saliva evadit tenax, sitis intolerabilis exoritur, & omnia alia Febrium symptomata vim sortiuntur.

IV. Ratione durationis morbi *Quartana sæpè in longum tempus protrahitur*, propter longiora verò intervalla tutissima est, nisi vel in medicamentis vel in Diæta error committatur, qui occasionem addit, ut in malum hypochondriacum, Icterum nigrum degeneret, vel in hydropem abeat.

Tertianæ utplurimùm benignæ reputantur & absque periculo, nisi nothæ sint, & curatu difficiliores, *Quotidianæ verò*, ob copiam chyli indigesti, qui quovis die Febrem concitat, & pertinaciores, & periculosiores esse solent; & si diutius durant, facilè in cachexiam, lethargum aut carum degenerant.

Si ali-

Si aliàs propter diuturnitatem Febris, ſcirrhus alicujus viſceris ſupervenit, cachexiam vel hydropem inducit, vel ſi malè curatur, non raró in Febrem Hecticam degenerat. Aliquando tamen Icterus ſuperveniens, vel ulcuſcula labiorum fauſto omine erumpunt, & Febrem ſolvunt.

V. Curam Febrium quod concernit, *veteres credentes, Quotidianas à Pituita, Tertianas à Bile, & Quartanas à Melancholia*, nunc exploſis ſanguinem conſtituentibus humoribus, trahere ortum; hâc ratione etiam unicuique Febri ſingularem deberi curam ſibi perſuadebant.

Sed cùm, ut ſupra dictum, una & eadem ſit Febrium tam intermittentium, quam continuarum cauſa, ſaltem ratione magis aut minus diſtincta, hinc eandem debere eſſe curam, & ratio & experientia dictitant.

VI. Cum verò primaria & *originalis Febrium Intermittentium officina ſit ſtomachus*, & in hoc quidem malè adminiſtrata digeſtio, inducta à ſingulari quodam acido, ſive febrili veneno, chylum ſaltem plus minus invertente, & ad hanc, vel illam Febrem, citius aut tardius recurrendam diſponente, hinc acido illo ſive febrili veneno ſaltem deſtructo, aut quovis modo inverſo, ceſſat effectus, ſive Febris: *modo veneni hujus deſtructio fiat, antequam*, adhuc laudabiles humores, vel ſanguis, ſimul à chylo, Febrili veneno alterato, *obrutus, inverſus*, & ad liberè circulandum, plurimam partem inidoneus nunc redditus exiſtit, & antequam *plurimarum viſcerum, ſive partium obſtructiones jam factæ ſunt.*

Ante omnia verò inſtituatur vomitus aliquot ſaltem horis ante acceſſum Febris, ſive hæc quovis die, vel

 tertio

tertio saltem aut quarto recurrit: *nec omittatur in progressu, vel declinatione Febris.* Præcipuè si ægri extra paroxysmum, vertigine, præcordiorum angustiis, sapore amaro in ore, vel nausea post somnum fatigantur; vel & ægrotus sponte vomit.

Hunc in finem præ aliis ferè omnibus vomitoriis conducit *Panacea Aurea, ex Regulo antimonii aureo ritè parata*, vel in hujus defectu in usum veniat *Tartarus Emeticus* legitimè elaboratus, vel per se, vel aliis idoneis sociatus.

Veteres Practici in Quartanis præcipuè, nullum in initio medicamentum adhibendum esse, sed vel naturæ paulisper relinquendas, aut leviter saltem tractandas esse volebant.

Nos experientia certiores facti, *toto die curamus* tam quartanas, quam tertianas aut quotidianas citius *principiis obstantes*, quam naturæ diutius relinquentes.

Hunc in finem vomitorio rejectis stomachi crudioribus & rudioribus contentis, si adsunt, propinamus sequentia, præ aliis specifica, v.g.

℞. *Cortic. Peruv. pulv.* ℥ß.
Rad. gentian. pulv.
Herb. card. ben. pl. ā ā. ʒij.
⊖*is absinth.*
Febril. albi, m. aa. ʒiß.
Camphoræ ʒß.

M. fiat omnium pulvis subtilissimus de quo infundatur ʒj. in vino, & propinetur ac sæpè sæpius reiteretur.

Vel ℞. *Cortic. pulv. Peruv. pulv.* ℥ß.
Herb. card. ben. pulv. ʒij.
⊖*is card. ben.* ʒiß.
Piperis longi ℈j.

M. fiat

M. fiat pulv. qui cum *conserv. Rosar. Nuce Indica conditâ. Zingibere condito*, vel *Elect. Diacori, Rob. sambuci, Syrupo acetos. citri, de absinthio* &c. debita dosi additis in Electuarium misceantur, ac de hoc singulis duabus, tribus, vel quatuor horis, detur quantitas nucis castaneæ, desuper propinato cochleari *vini absinthites*, aut *vini canarini, Hispanici* &c.

Et ubi calor mitis adest, & frigore minus molestat, Febris, etiam *vinum absinthites* pro ordinario potu conceditur.

VII. Vel si hydrops metuitur,

℞. *Herb. absinthii* m. ij.
cent. min. m. j.
Fol. sen. el. ℥ i ß.
Rhabarbari ʒ vj.
Agarici troch. ℥ ß.
Rad. Iridis nost. ʒ v.
Limaturæ ♂ ℥ i ß.
⊖*is* ♀*i* ʒ iij.

Ex incisis & mixtis fiat nodulus, *octo libris vini* infundendus, de quo æger singulo mane bibat ℔ ß. per 18. dies, vide *Miscell. Cur. Decur.* 2. *anno* 3. *p.* 220.

Ad tumidos pedes, qui illis facile accidunt, qui in Febribus copiosum potum ingurgitant, & parum sudant, detur *Decoctum absinthii, & chelidon. majus* plantis *pedum applicetur.*

VIII. Et si longo Febris decursu, *glandulæ plures mesenterii aut pancreatis*, ex duritie, hariolantur esse obstructæ, ad regionem pancreatis applicetur seq. Emplastrum,

℞. *Empl. de ranis cum* ☿*io* ℥ j.
Gummi ammon. ℥ ß.
☍ *Petræ*,

Camphoræ aa ʒj.
M. fiat Emplastrum.

Vel & splenis regioni applicetur *Empl. de cicuta cum gummi ammon.* in aceto soluto, aut *Empl. carminativ. Sylv.* vel hoc Helmontii,

℞. *Tabaci* q. l. *affunde vini* q. s. & coque ut ebulliant per dimidiam horam, postea colaturæ expressæ, adde *succi nicotianæ inspissati*, *ceræ & olei* q. s. ad Empl.

IX. Si in Febre hâc vel illâ, frigus præ calore excruciat, ante paroxysmum, mediantibus duplicatis vel triplicatis linteis, abdomini applicetur *Spir. vini camphoratus.*

Vel, ita commendantibus *Ephem. Nat. Cur. Decur.* 2. *anno* 6. *p.* 304. Pedes immergantur *lixivio calido* ante paroxysmum.

Aut ℞. ♁o *macis, caryophyll.* aa ℈j. *junip.* ʒj. *Nuc. mosch.* ʒß. M. fiat Balsamum, ingruente paroxysmo præcordiis inungendum.

X. *Vesicatoria etiam*, die intermissionis, *carpis manuum* vel nuchæ applicata, rigorem mitigant, & non raro insuper Febrem tollunt.

XI. *Si post Febres diuturnas, appetitus lente redit, vomitus imperetur. Postea Essentia absinth. Elix. Febril. Mins. cum Spir. cochl.* &c. veniat in usum.

Aliàs in omnibus Febribus periodicis, æger ante paroxysmum, nec cibum, nec potum assumat, & *potus non concedatur nisi in vigore & declinatione paroxysmi*; non tamen integris amphoris, sed moderata quantitate, nisi velis Febrem magis contumacem reddere.

Sit verò potus *vinum dilutum*, *cerevisia secundaria*, vel apud nostrates *Aqua sulfurata*, das Faul-Wasser/

Waſſer/ vel & *Decoctum tamarind. cum paſſulis*, vel *Decoctum C.C. cum Citro aut Nitrum depuratum* ſucceſſive intra diem ad ℥ ß. in potu calido diſſolutum. Optime etiam conducit *ſerum lactis cum ſucco citri depuratum*, præcipuè ſcorbuticis.

Acida non conveniunt, niſi poſt rigorem, intenſior æſtus & ſitis clamoſa adſint, & quidem declinante paroxyſmo.

Qui durante paroxyſmo flatibus moleſtantur, ardores abdominis, vel dolores mordaces in dorſo, circa vertebras lumbares ſentiunt, & excrementa ſæpius indurata habent, his optimè conducunt *clyſteres abſtergentes & carminativi*, hora una aut altera ante invaſionem paroxyſmi, applicati.

Purgantia per inferiora præſertim vegetabilia, *in nulla Febre intermittente conveniunt*, quoniam humores plus turbant & nexu ſuo ſolvunt, præcipue in ſtatu Febris, ſi copioſa ſedimenta urinis inſunt.

Si tamen ob ſuſpicionem excrementorum in primis viis ſubſiſtentium, deſiderantur, levia ſint ex *Rhabarbaro*, vel aliis *cum ☿io dulci* combinatis, v. g.

℞. *M. Pil. de tart.* gr. vj. ☿. *dulcis* ℈ ß *Scamm. 🜍rati* gr. v. M. fiant pilulæ pro doſi.

Vel ℞. *Fol. ſenn. el.* ℥ ß. ⊖*is* ♀*i* ʒ j. *Spir.* 🜍. gtt. xx. Superfunde his Aquæ Fontanæ hauſtum, ſtent per noctem, mane propinetur colatura, debet eſſe arcanum *Riverii* in tertianis & quartanis.

Empyrici, hoc ſuum laudant ſpecificum, præſertim in tertianis v. g.

℞. *Mechoacann. alb.* ℥ ij.
granor. piperis alb. num. xxj.
Ocul. ♋. ℈ j.

M. di-

M. divide in 3. p. æq. unam propinando imminente paroxyſmo, ubi tamen effectus potius ſudore largo, quam purgando ſe exſerit.

Optimus etiam eſt *Pulvis Comitis de Warvvich*, additione ♂ correctus. Vel ℞. *Coral. r.* pr. ⊖*is abſinth.* aa gr. xij. *Scammon.* ♁. gr. iij. M. detur ante paroxyſmum.

Venæ ſectio in intermittentibus rarò locum habet, exceptis Epidemico caractere enatis, qualis erat Febris Autumnalis anni 1691. quæ alternis diebus abſque omni rigore aut horrore, cum maximo ſaltem æſtu ingruebat, in hac Febre, Venæ ſectiones & vomitus reiterati, ſtatim ab initio omnem Febris vigorem infringebant, & poſtea Bezoardicis ritè exhibitis, aliquot centeni militum, qui hac Febre intra 14. dies corripiebantur, feliciter reconvaleſcebant.

Bezoardica mihi tunc familiaria erant *Rob. Sambuci, Diaſcord.* Fr. R. *Bezoardica* cum & ſine acido. ♂. *Diaph. Arcan. duplic.* ⊖ *vol. C. C. campb. Spir.* ✱*ci, cum Aq. Fl. ſambuci, card. ben.* &c.

Cum verò Febre tandem ſenſim emanente, dolor capitis adhuc moleſtaret, & debilitas ac calor ægrè cederent; ſæpius exhibui *Tinct. Bez. cum ſpir. nitri acidulatam & cum Tinct. anod. remixtam.*

Ad ſudores verò, diu adhuc etiam finitâ Febre moleſtos, propinavi *Unicornu foſſile cum arcano duplic. & extr. opii.*

XII. *Practici plures*, qui Corticis Peruviani uſum adhuc dum formidant, vel ejus uſum legitimum neſciunt, *ſuis ſpecificis variis abſorbentibus ſalinis, volatilibus, potiſſimum tamen fixis* contenti, aliquando, ſed lentè, Febres fugant. Ex optimis tamen

eſt;

est: ab initio inter arcana reconditus, & à *Cranenio* pro specifico certissimo, creditus, *Regulus Antimonii Medicinalis* à ℈ j. ad ʒ ß. vel per se, vel aliis remixtus, & sæpius exhibitus.

Alii alia commendant specifica, inter quæ & *Mœbii Sal antifebrile album* ex nitri partibus tribus, & vitrioli Hungarici parte unâ, fusione, tum solutione, & crystallisatione elaboratus, non est vilipendendus, præcipuè in Febribus ubi calor excedit.

Ex his & similibus Practici famigeratissimi alia componunt specifica antifebrilia. *Cl. Wedelius in sua Opiologia* asserit se absque V.S. vomitorio saltem intermediato, plerasque curare febres, sequenti pulvere,

℞. *Nitri* ⊕*lati sive* ⊖*is febrilis albi,*
♁ *Diaphoret.*
Conchar. pr.
C.C. usti aa gr. viiij.
Laud. op. gr. j.
☍ *antifebril. ex oleo garyophyll. Piperis, & camph. constantis.* gtt. ij.
M. pro dosi aliquoties reiteranda.

Alii castra sequuti sequentem pulverem pro experto commendant,

℞. *Herb. card. ben. pulv.* ʒ vj.
Rad. Angelic. pl. ℥ ß.
⊖*is absinth.* ʒ iij.
armoniaci ʒ i ß.
camphoræ ʒ ß.
M. fiat pulvis cujus sæpius detur ʒ j. pro dosi,

Alii hoc suo simplici specifico, plurimas curasse febres contendunt,

℞. *Nuc.*

℞. *Nuc. moschatæ* ponderosæ n. vj.
Aluminis ejusdem ponderis.
M. fiat pulv. qui dividatur in 3. p. æq. ita ut prima dosis secundam, secunda tertiam excedat, quæ die remissionis cum cochleari aceti exbibeantur.

Alii *Seminis pastinacæ sativæ* ʒ ij. *in aq. cent. min. vel card. bened. aut vino coctis*, & ante paroxysmum propinatis febres profligarunt.

Ego sæpe pro experimento dedi *Essentiam Fuliginis Clauderi*, vel & *Elix. Balsamicum, aut Tinct. sulfuris, cum myrrha & camphora essentificatam.*

Olim exhibui *Ess. absinthii comp. cum* ℞ *a Bez. optimè camphorata*, sine acido, cum *Spir.* ✱*ci*, & ☍ *garyophyll. aut* ☍ *absinth.* destill. remixt. singulis tribus horis non absque insigni effectu præcipuè in Febribus rebellibus ubi frigus præ calore molestabat.

XIII. *Quot specifica non enata sunt, postquam paulisper innotesceret Corticis Peruviani usus*! ubi tamen non tam ipsius corticis pulvis, quam ejus usus legitimus specificas vires obtinet.

Blengi hoc, suo tempore pro secreto Anglico communicat.

℞. *Semin. urticæ* ℥ ij. *flor. cent. min.* ℥ ß. *salis cent. min.* ʒ ij. *vini generosi* ℔ ij. infundantur 12. horis in cineribus calidis, quo tempore etiam seorsim infunde in *Spir. vini* ℥ iiij. *corticis Peruv.* ℥ iiij. *Nitri depurati* ʒ ij. Post hæc confundantur solutiones & ulterius infundantur confusa sex horis, tunc filtraturæ pro una dosi exhibe ℥ ij. Primam dosin sex horis ante paroxysmum, alteram dum horror incipit, & tertiam quando paroxysmus remittit. Intermediis diebus detur mane & vesperi dosis: sed die paroxysmi reiteretur usus ut ab initio.

Vel

Vel ex commendatione *Blengi*, ℞. *Cort. Peruv. pulv.* ℈ij. *⊖is vol. viper.* ℈ß. *Laud. op.* gr. j. Misce pro dosi sæpius reiteranda.

Jones de Febribus præ aliis commendat Corticis Peruviani infusum cum vino austeriusculo factum, v. g. ℞. *Cortic. Peruv. subtil. pulv.* ℥ij. *vini austeriusculi, sive Rhenani* ℔ iiij. Stent diebus aliquot in loco calido sæpius agitando. Postea liquor decantatus propinetur ad ℥ iiij. in Quartana singulis quatuor horis, in Tertiana singulis tribus, & in Quotidiana singulis duabus horis, die & nocte, nisi somnus obstat: Evanescentibus verò Paroxysmis continuetur hujus infusi usus per plures dies ad avertendam recidivam. Si enim hujus medicamenti usus non continuatur, tum morbus post aliquot septimanas etiam, facile recrudescit.

Alii infusum Corticis sequentem in modum instituunt. ℞. *Chin. de chin. sive Cort. Peruv.* ℥ iij. *Rad. Gentianæ* ℥ ß. *Fl. cent. min.* p. iiij. *Piperis longi.* ʒ j. *⊖is* ♀*i* ℥ ß. Incisis & mixtis affunde *Vini Rhenani optimi* ℔ vj. & infusione legitime peracta, colaturam modo docto propina statim postquam primus paroxysmus præteriit: etenim si possibile, secundus paroxysmus non transgrediatur, quo sæpius enim repetit paroxysmus, eo magis curatu difficilis fit morbus: non tamen in paroxysmis, sed in intervallis hæc medicamenta ex cortice propinanda sunt.

Clarissimus Morton de Febribus infusis omnibus ex cortice, præfert *corticis Peruviani pulverem subtilissimum*, in substantia, modo *in Bolo, Electuario*, vel alia forma propinatum.

Fatetur tamen modò dictus *Morton* se quosdam Febri-

Febricitantes curasse sequenti remedio, quos, Cortice Peruviano diu & copiose exhibito, ne quidem ab uno paroxysmo liberare potuerat, v. g.

℞. *Flor. chamæmeli subtiliss. pulv.* (plus minus pro ætate.) ℈j. ♁ *Diaph. Sal. absinth.* aa ℈ ß. M. fiat pl. sumendus cum syrupo quodam, vel cum mucilag. trag. in pilul. redact.

Hoc remedio se tres Febricitantes, absque recidiva, spatio duorum dierum perfectè curasse ait; sextâ quâque hora per biduum repetendo.

Ejus canones aliàs de usu corticis sequentes sunt. Ante omnia ait prospiciendum esse, ut *cortex sit genuinus, & benè electus, qui visui colorem cinamomi refert; sapore grato aromaticè amaro præditus est, & in specie olfactui offert odorem peculiari modo mucidum*; nam si peculiaris hic odor mucidus, aliàs non ingratus, deest, licet saporem & colorem qualemcunque referat; semper suspectum esse dicit.

Hunc corticem præcipit saltem in pulverem subtilissimum redigere, ut eo facilius digeri, & per habitum corporis trajici possit.

Quoad dosin, Adultis ℥ij. infantibus ℥ß. circiter sufficere posse ait, partitis vicibus quartâ quâque hora, pro integra cura. Nullo neque vomitorio vel cathartico aliò præmisso, aut post ejus usum propinato, *nisi ex nausea constet, saburram latitare in stomacho*, ante corticis usum statim ab initio rejiciendam.

Mihi præ aliis placet formula Electuarii, qualem supra tradidi.

Dom. Doct. Fürst, Archiater olim Trevir. celeberrimus

mus hoc ſuum Electuarium magis tamen pretioſum commendabat.

℞. *Cortic. Peruv.* pl. ℥ij. *Trag. arom. com. conſerv. Roſar.* āā. ℥j *Nuc. Indic. condit. Zingib. condit. Theriacæ* āā. ℥ß. *confect. Alkerm. compl.* ʒiij. ☍ *Ligni Saſſafr. deſt.* ʒj. *ol. Nuciſtæ* ʒß. *cinnamomi* ℈ß. *cum ſyrupo gran. Kermes*, fiat Electuarium.

Detur doſi quantitate Nucis jugland. ter vel quater de die, ſemper deſuper bibendo aliquid vini malvatici.

Ephemer. Cur. Dec. II. Anno 4. *p.*201. commendant *pulv. corticis Peruv. cum Extr. Trifol. Fibrini* in Pilulas redactum & debite exhibitum.

XIV. Dantur etiam *Externa ſpecifica*, quibus præmiſſis univerſalibus ſæpe Febres fugantur. *Diſpenſatorium Noricum* commendat ſequens cataplaſma carpis manuum applicandum.

℞. *Pul. pyrii, Salis comm. fuſi* aa ℥j. *Telæ aranearum, Nuc. moſchat. olibani* aa ʒij. *Herb. abſinth. burſæ paſtor. urticæ min. rutæ* aa m. j. *thereb. alb.* q. ſ. M. fiat cataplaſma.

Vel ℞. *Fulig. fumi ſplendent.* ℥iß. *therebinth.* ʒvj. *telar. aran. camphoræ* aa ℈j. *Olei aran.* q. ſ. Ut fiat Empl. carpis manuum applicandum.

Boyle hoc pro experto communicat.

℞. ⊖*is nigri* m. ij. *Lupuli recent.* m. ij. *Uvar. Corinthiacar.* ℥iiij. in maſſam contuſa, & linteo inducta carpis alligentur.

Ipſe Morton confitetur ſe ipſum aliquando ſequentia duo pericarpia, ſatis felici eventu, comprobata inveniſſe, v. g.

℞. *Therebinth. Venet.*
Olibani pulv. aa q. ſ.

Mixta & in aluta extenſa paulo ante paroxyſmum ad pulſus applicentur.

Vel ℞. *Fol. chelidon. maj.*
Rutæ aa m. j.
Fulig. ſplendent.
Sapon. Veneti,
Salis marini aa q. ſ.

Cum *aceto acerrimo* fiat maſſa pro pericarpiis horis duabus ante paroxyſmum applicandis.

Fla-

Flatus.

I.

SÆpe chylosin turbare solent, *qui, si per superiora cum sonitu erumpunt, dicuntur Ructus*: Et si tam sursum quam deorsum copiosè eructantur; tunc *cholera sicca* audit. Sed si stomachum saltem distendunt, *Inflatio stomachi vocatur.*

II. Omnes verò *Flatus generantur in primis viis ex dissolutione vitiosa* ab acido, alimenta in materiam viscidam resolvente.

Flatus tamen non esse in alimentis, ex eo clarum est, quod idem alimentum in uno subjecto flatus generet, in altero verò non; & hoc quidem ratione diversi acidi, & inde est, quod hypochondriaci, & Hystericæ, ex omnibus ferè alimentis flactus, eliciant.

Sunt tamen cibi nonnulli præ aliis magis dispositi, ut flatus generent, qualia sunt *Raphanus, capè, porrum,* &c. *quorum sal acre* alcalicum, *mucilaginem stomachi acidam incidendo*, & cum hoc fermentescendo, *in flatus resolvit.*

III. *Ructus verò sunt vel acidi, vel nidorosi, aut insipidi, vel assumtorum saporem referentes*, qui tamen si liberè erumpunt, inflationem stomachi alleviant.

Sed si sunt inclusi, ob orificium stomachi superius occlusum, tum adsunt stomachi distentio, & præcordiorum angustiæ, imò distentio, non solum circa ventrem, sed totum pectus, imo versus collum & dorsum se extendit, & angustias parit.

IV. Et si flatus hi diutius remorantur, ad Tympanitidem disponunt,

Si verò fœtidi sunt ructus, funesti esse solent,

V. In Curatione ante omnia acidum corrigatur, dehinc Flatus discutiantur, & materia viscida evacuetur.

Acidum corrigitur per absorbentia varia: Flatus verò discutiuntur acido correcto, vel per carminativa varia.

Ad ructus acidos contumaces *Riverius* commendat *grana piperis* jejune deglutita.

Si ructus cum ardore & phlogosibus, sunt juncti, ex bile cum acido concurrente, tum singularis effectus est *Spir. anisi, cum Spir.* ⊕*i dulcificato* mixtus & cochleatim sæpius exhibitus, &c.

Fluor Albus.

I.

V*El verus est vel nothus.*

Nothus aliàs *Fluor Muliebris* vel *Menstrua alba*, etiam appellari solet, ubi loco sanguinis, singulis mensibus aliàs, & stato tempore fluentis, nunc illuvies quædam modò crassa, vel serosa aut tenuis copiosa vel parcior continuè, vel per intervalla, nunc acris & mordax, vel albicans aut flavescens, &c. inordinate vel singulis diebus, aut septimanis &c. effluit; vel ante vel post ordinarios menses.

II. Aggreditur verò hic fluor, omnis generis fœminini individua, potius tamen fœminas adultiores, sive maritatas sive viduas, quam virgines, licet & gravidæ aut quibus menses sunt suppressi, hoc fluore non rarò infestentur.

III. *Distinguendus* tamen venit *Fluor hic albus, nothus* sive muliebris, *à profluvio uterino, sive Fluore albo vero*, qui nil aliud est, quam gonorrhœa muliebris, quæ vel Benigna, vel Maligna esse solet.

Benignus hic Fluor oritur ex copia & abundantia liquoris seminalis, Malignus verò si abundantia, seminalis istius liquoris, acrimoniam quandam, sive virulentiam junctam habet, quæ partibus genitalibus exulcerationes inducit, ex qua exulceratione postmodum sexui virili per coitum virus communicatur.

IV. *Cognoscitur* tamen fluor hic virulentus sive gonorrhœa muliebris maligna *ex urina ardente, & ulceribus circa pudenda*, neque congressum libenter

ferunt, secus ac in fluore albo muliebri, ubi congressus est absque dolore.

Sic & materia in fluore muliebri, quo ad consistentiam est crassior, & minori quantitate, ac majori intervallo, rarò cum fœtore effluit.

In specie verò gonorrhœa etiam mensibus fluentibus non emanat, ubi fluor albus cessat, finito vero mensium fluxu, demum redit.

V. Fluoris muliebris causa dependet à tota massa humorum circulantium, id quod denotat facies colore fœdo, pallido, præcipue circa oculos, cum pedum tumore, lumborum & dorsi dolore, & languore totius, imbecillitate ventriculi, & inde dependente nausea, respirandi difficultate &c.

Hæc verò signa Magis familiaria sunt Junioribus *quam adultis*, quibus malum hoc magis consuetum est, præsertim quando menses jam fluere desinunt, quodque eas tunc plerumque ad mortem usque comitatur.

XI. Exitum huic castratæ & depravatæ limphæ, sive ex tota humorum depravata massa, sive particulari seminiformi liquore, dependente, concedunt glandulæ vaginales, nimium relaxatæ vel per frequentes abortus aut alios partus graviores &c.

Malum quidem lethale non est, sed successu temporis vires consumit, aut lympha magis minus viscida, reddita, cachexiam, hydropem, vel tabem, aut exulcerationes inducit, vel & steriles reddit.

VII. *Curam hujus mali quod attinet*, cum ventriculus, sive depravata ejus digestio, aut dissolutio, potissimam causam, depravatæ scil. lymphæ materiam, ministret, hinc mediantibus *purgantibus, convenientibus, ex mercurio dulci, jalappa, Rhabarb.* &c.

constan-

constantibus, in specie etiam *vomitoriis*, circumstantiarum ratione, sæpius adhibitis, ruditates, eliminentur,

℞. *Extr. Rhabarb.* ℈ß.
Res. Jalapp. gr. v.
scammon. gr. vj.
☿ *dulcis* ℈ß.
M. fiant Pilulæ pro dosi.

Vel ℞. *Therebinth. cum* ▽ *menth. lota* ℥ß.
Rhabarb. pl. ʒ ij.
succini pr. ʒ j.
M. fiant Pilulæ de quibus aliquoties in septimana detur ʒ j.

Postea lymphæ vitium, si serosa nimis est, corrigatur per *decocta aut Essent. Lignorum vel vina medicata, ex Garyophyllata, Galanga, Roremarino* &c.

Aliquando enim *rorismarini decocto*, hoc malum fuit sublatum.

Sic & *Diuretica hic optimi sunt usus* & effectus *ex therebinth.* & *Rhabarbara*, vel *Balsamus copaivæ* cum aa *Spir. thereb. sæpius cum infuso Rorismarini datus.*

Tum & sanguinis dispositio cachectica ulterius corrigenda venit per *salia volatilia oleosa & aromatica.*

Vel quæ humorum texturam legitimam, sartam tectam servant paulisper adstringendo. v. g.

℞. *Conservæ Lamii albi* ℥ j ß.
Ossium dactyl. pulv. ʒ iij.
Boli armeni,
Limaturæ eboris aa ʒ ij.
Nuc. Moschat.
Mastichis,

Tragacanth. albi aa ʒ j.
Syrupi myrtini. q. ſ.
Ut fiat Elect.
Vel ℞. *Conſerv. Flor. anthos.* ℥ iij.
Raſuræ eboris,
Magiſter. ſuccini cum 🜄 *facti* aa ʒiij.
Lapid. oſteocollæ ʒ j ß.
Putamin. avellanar. pl. ℥ß.
Cum *Syr. roſar. r.* fiat. Elect.
Vel ℞. *Ocul.* ♋ pr.
Maſtichis,
Thuris aa ℥ß.
M. fiat pulvis, de quo ſingulis diebus bis ſumatur ʒj.

Tinctura Terræ catechu, anodina, ſuccini, item *ſal. vol. ſuccini,* hic quoque non ſunt contemnenda.

VIII. His enim & ſimilibus non tantum lymphæ diſpoſitio, quando eſt acris & ſeroſa, corrigitur, ſed & glandulæ laxæ reſtituuntur & obfirmantur.

Hunc in finem etiam *conducunt acidulæ, in calidioribus naturis,* ubi malum non inclinat ad cachexiam;

Thermæ item admodum proſunt, ſed in diſpoſitione lymphæ viſcida potius, quam in ſeroſa aut calidioribus naturis.

Externè non omittantur Fotus ex roremarino, Fl. roſar. Balauſt. mentha, meliſſa, &c in vino coctis, quibus non ſolum glandularum vaginalium laxitas, ſed & partium genitalium excoriatio, ſi quæ adeſt corrigitur.

Hunc in finem admodum conveniunt injectiones ſimul adſtringentes, v. gr.

℞. *Li-*

℞. *Ligni ſancti* ℥ iij.
Cortic. Granat. ℥ j.
Alum. thuris aa ℥ ß.
Maſtich. ʒ ij.
Fl. Balauſt. Roſar. aa m. ß.

Infuſa in Aq. com. ℔ ij. macerentur aliquot horis, poſtea leni igne bulliant ad medias, addendo ſub finem, *vini rubri auſteri* ℔ j. Collatura detur ad uſum.

IX. In Diæta exulent ea, quæ chilum viſcidum ſuppeditare queunt, qualia ſunt ſale nimium conditæ & fumatæ carnes; ut & aceſcentia varia, qualia ſunt *Lacticinia, Fructus horarii*, &c.

Pro potu in uſum veniat *vinum vel cereviſia herbis aromaticis condita.*

Si Fluor albus malignus eſt & Gallicus, curatur ut gonorrhœa virulenta virorum, verus vero Fluor albus benignus, nil habet in receſſu, & coitu valido reiterato tollitur.

Gonorrhœa.

I.

VEl *in Veram, vel Notham,* diſtingui ſolet.

Vera dicitur, quando ſeminis virilis excretio eſt frequens, & copioſa, citra tentiginem, unde ægri fiunt graciles, circa lumbos, & in motu impotentes, ac laſſi, prout non rarò accidit novis maritatis, quando nimio coitu ſemen præter modum effundunt, & tabem dorſalem incurrunt.

II. Cauſa ergò eſt nimia ſeminis laudabilis profuſio, vel ob ſeminis turgeſcentiam, & veſicularum ſeminalium flacciditatem nimiam; vel ob acrimoniam, & nimiam tenuitatem ſeminis.

III. Seminis turgeſcentiam & copiam, imminuunt Diæta parcior, *alimenta acidiora*, exercitia corporis, vigiliæ &c. Ex temperatioribus acidis *ſuccus limonum, vel citri, cum Aq. roſar. & album. ovi*, egregiè conveniunt.

Poſt hæc Emulſiones ex *ſem. papav. albi, ſem. agni caſti, cum Aq. nymphea facta*, addito *magiſter. corall. & ſucco citri conducunt.*

Potens etiam eſt *Emulſio ex ſem. cannabis*, ſed ſpiritibus animalibus infeſta. Optimum eſt *Decoctum Galeopſidis flore albo, cum millefolio albo, & ſemine agni caſti, cum Aq. menthæ factum.*

Si acrimonia acida ſtimulum addit, eam temperant *ſolutio & Tinct. Corallorum* ſimul vi ſtiptica prædita, *Oſſa ſepiæ, Crocus ♂, caput mortuum Borracis calcinatæ*, optimum hic, ubi aliàs borrax cruda venerem admodum ſtimulat; Sic & *ſuccus millefolii* hic eſt optimus, *cum lacte dulci & camphora* exhibitus.

Sic ℞.

Sic ℞. *Conserv. Rosar. rubr.*
menthæ crispæ aa. ℥iß.
Ossæ sæpiæ pl. ʒij.
Borrac. instar alum. calcinati ʒj.
Cum s. q. *Syrup. de rosis siccis* fiat Elect.

IV. Ubi verò flacciditas vesicularum seminalium, in causa esse hariolatur, conveniunt *Tinctura sulfuris vitrioli. Tinct. antiphthisica, Terra sigill. Bolus armen. Extr. Tormentill.* &c. Sic

℞. *Extr. Tormentill.* ℥ij.
sperniolæ Croll. comp. ℈ij.
pulv. sem. agni casti
plantag.
Rad. consolid. maj. aa. ℈ß.
Therebinth. Venet.
camphoræ aa. gr. xij.
M. fiant Pilulæ.

V. *Gonorrhœam Notham quod attinet*, hæc *vel Benigna est vel Maligna.*

Benignæ materia est latex aquosus, ex deficiente tam chylosi, quàm hæmatosi, congestus, & per glandulas prostatas in copia elicitus, utpote quæ lympham sui generis aliàs naturaliter ex massa sanguinea emulgent; præcipuè si flaccidiores, vel alio modo læsæ fuerunt.

VI. *Causa est depravata stomachi digestio*, & quicquid ad cachexiam disponit; cujus est prodromus vel comes esse aliàs solet.

Hinc in cura primariò respiciendum est ad humores circulantes, cruditatibus nimis obrutos.

Unde conducunt ea quæ serum superfluum educunt, qualia sunt *juniperina, sassafrata, succinata,* nec non *amaricantia aromatica, absinth. mentha* &c.

VII. *Ma-*

VII. *Malignam quod attinet*, quæ coitu impuro contracta fuit, & in virulentiam ſenſim migrat, *in hac effluit primò ſemen tenuius, deinde redditur acrius, & ſupervenit dolor acerbus, præcipuè circa penis caput, dum urina redditur.*

Liquor verò effluens ſenſim in citrinum & tandem cæruleſcentem degenerat; dehinc ſupervenit præputii tumor, & ulcuſcula.

Sic malum in principio leve eſt; in progreſſu verò excoriat glandulas: Et ſi ſerpit verſus vaſa præparantia ad teſtes, tunc cum ſanguine univerſum corpus inquinat; Et ſi tunc Bubones gandularum in inguinibus ſuperveniunt bonum eſt, quia hâc remora impeditur, ne univerſum corpus inficiatur. In tempore ergo occurratur huic malo, aliàs â longa negligentia, non raro inducitur Gonorrhœa perpetua, ſucceſſu enim temporis proſtratæ glandulæ ita relaxantur & corrumpuntur, ut vix ſanari rurſus queant.

VIII. In cura acidum venereum corrigatur. Ante omnia verò *purgetur corpus Pilulis mercurialibus*, qui enim hic benè purgat, benè ſanat.

℞. *Therebinth.* ʒß.
 ☿ *dulcis* gr. xij.
 Reſ. Jalapp. gr. vj.
 Extr. troch. alhand. gr. ij.
M. fiant Pilulæ pro doſi.

Vel ℞. *Fol. ſen. el.* ℥ij. *ſem. aniſi* ʒj. Infundantur per noctem in *Decocti. Rad. Taraxaci. Eryngii Fol. agrimon.* aa. deſuper inſperſis *olei* ♃ per deliq. gtt. xij. Colaturæ adde *Magiſterii Scammon.* gr. ix. *crem.* ♃ ℈j. ♁ *Diaph.* gr. viij. *ſpir. thereb.* gtt. xij. M. detur pro doſi.

Ex com-

Ex commendatione *Sydenhammi* in Gonorrhœa virulenta, Pilulæ modo præscriptæ debent dari per 12. vel 14. dies, summo manè, ut æger per horam unam aut alteram superdormire queat.

Si verò urinæ ardor indè videtur mitigari, alternis saltem diebus possunt propinari, & tandem quâvis septimana bis, donec malum cessat.

Cl. Muis uno die exhibet Pilulas, altero verò die bolum *ex thereb. Venet.* ℨiij. *cum Rhabarb. pulv.* ℈j. atque his ita alternatim continuat, donec fluxus virulentus non amplius apparet.

Lister in suis exercitationibus medicinalibus, curam hujus mali sequentem in modum commendat. nimirum *purgetur æger, quarto quoque die* Pilulis de duobus, quibus æqua pars ☿ii *dulcis* adjecta est. Pro potu verò quotidiano, bibat *Decoctum Guajaci*, citra sudorem, item

℞. *cochenilii.* ℥iij.
cantharidum ℨj.
Vini Rhenani ℔j.

Mixta digerantur per diem in M. B.

Hujus infusi sumatur bis in die cochleare, *ex Decocti Guajaci* ℥iv. Sic hâc methodo curabitur Gonorrhœa, admodum virulenta.

Aliàs ubi Gonorrhœa non adeo est virulenta cum Pilulis supra traditis purgetur æger aliquoties postea reliquum acrimoniam temperantibus & leviter adstringentibus balsamicis peragendum relinquatur. v g.

℞. *Therebint. cocta* ℥ß.
Rhabarb. el. ℨij.
Off. sepiæ.
Liquirit. pulv. ā ā. ℨj.
Balsami Copaivæ ℨvj. m. fiant Pilulæ.

Vel

Vel ℞. *Extr. liquirit.*
Ocul. ♋ pr.
Oſſis ſæpiæ pl.
Savinæ pl. āā. ℈ij ß.
Rhabarb. el. pr. ʒiß.
Thereb. Ven. ʒj.
Balſ. Copaiv. ℈j.

M. fiant Pilulæ ex ℈j. n. x. quæ dentur pro doſi bis vel ter de die.

Vel ℞. *Ocul.* ♋. pr.
Herb. ſavinæ pl.
Maſtichis.
Balſam. Copaiv. āā. ℈j.
cum *Therebinth. Venet.* q. ſ.

Fiant Pilulæ magnitud. piſi minoris, de quibus ſæpius dentur 7. pro doſi.

Vel ℞. *Gummi elemi, Maſtichis* āā. ʒij. *Terræ Catechu* ℈j. m. fiant Pilulæ de quibus ſingulis diebus duæ aut tres deglutiantur, & brevi tempore malum curabunt, ita commendante *Blanckardo*, modo exulceratio nondum ſit inveterata & ampla.

Vel ℞. *Ocul.* ♋. pr.
Rhabarb. el. pl. āā. ʒiij.
Thereb. opt. ʒij.
Balſam. Copaivæ ℈j.

M. fiant Pilulæ ex ℈j. n. v. quæ dentur pro doſi quotidie.

IX. *In Diæta* abſtinendum ab omnibus acidis, acribus ſalſisque manducentur diligenter Paſſulæ majores cum amygdalis. Potus ſit *Decoctum ex ſarſaparill. & China, nec potus Thee aut Caffé* omittatur, *cum Ptiſana ex liquiritia* &c. Præcipuè ſi ardor urinæ ſimul excruciat, non tamen cerevisia tenuis recens, cum lacte, eſt deneganda, &c.

X. Si

X. Si in Gonorrhœa virulenta *penis inflammatur, & exulcerari incipit*, tum inflammatio compeſcatur per *Decoctum ſavinæ cum thure, myrrha, & camphora.* Vel ℞. *Boli armen.* ℥ij. *camphoræ* ʒij. *ſpir. vini* q. ſ. pro cataplaſmate.

Si verò urethra nunc eſt exulcerata, injiciatur diligenter *Thea cum lacte.*

Vel ℞. *Aq. calcis vivæ* ℥iij. *Eſſ. Aloes* ʒiij. *mellis roſati* ℥ß. M. pro injectione.

Vel ℞. *Vitrioli albi, camphoræ* ā ā. ʒj. *Aq. roſarum, ſpiritus vini* aa. ℥viij. M. fiat injectio.

Et ſi ulcus eſt pertinax, tunc injectioni *aliquid æruginis* admiſceatur, ut cruſta impura abſumatur.

Vel ℞. ▽ *calcis vivæ* ℥iij.
plantag. ℥ij.
ſach. Saturni ʒiß.
☿ *dulcis* ℈ß.

Coquantur ad ſolutionem ♄ni & ☿ dulcis, tunc ſerventur pro injectione.

XI. Quod ſi verò glans externè ſit exulcerata, cum ulcere, per modo docta, mundificato, *Empl. diap ompholigos* applicetur; vel

Vel ℞. *Empl. diapompholigos* ℥j.
Amalgama ☿ & ♄*ni.*
Plumbi uſti aa. ʒj.
Tutiæ pr. ℈ij.
maſtich. ʒß.
camph. ℈ß.

M. fiat Empl. quod optimè conſolidat.

Hæmo-

Hæmoptysis.

I.

SIve sanguinis Sputum, accidit, quando vel in faucibus, aut partibus Palati, vel in trachea, aut Pulmonibus, vasa quædam sanguiveha, læsa sunt.

II. *Si accidit cum tussi profunda* cum conatu reiterata, signum est, vasa magis profunda in Pulmonibus læsa esse, secus quam si tracheæ saltem superiora vascula, læsa sunt, ubi tussis non adeò profunda adest.

Et si palati aut faucium vasa saltem læsa sunt, tunc levi screatu sanguis expuitur.

III. Sanguis qui expuitur, si floridus est & tenuis, & reciprocantis aeris motu spumosus rejicitur, ex arteriolis læsis dependet.

Ubi verò sanguis provenit ex partibus palati, tunc laryngem irritando, tussim excitat, etiam illæsis pulmonibus.

Dantur verò *hæmoptyses periodicæ* etiam inveteratæ *innocuæ*, & quidem cum euphoria ægri.

Si tamen ex Pulmonibus, à lympha acri erosis ortum trahit, tum facilè phthisin post se trahit, præcipuè si sanguinis sputum puris sputum succedit.

Occasionem aliquando addunt casus ab alto, percussiones, tusses graviores, clamores, vel *& consuetæ sanguinis excretiones, suppressæ, &c.*

IV. In curatione *sanguinis impetus*, si ejus turgescentia adesse videtur, *sistatur per venæ sectionem*, & quidem in pede, si à mensibus suppressis; in brachio autem, si à consueta narium hæmorrhagiâ, suppressâ dependet.

Si ma-

Si malum est ab acrimonia humorum circulantium, tunc in usum veniant talia, quæ ab erosione præservant, & tenuitatem sanguinis nimiam corrigunt, & concentrant. v. g.

℞. *Conserv. Rosar. antiq.* ℥ iij.
Masthchis.
Tragacanth.
Semen. portulac. aa. ʒ ij.
Syr. de symphito. q. s.
Ut fiat Electuarium.

Vel ℞. *Conserv. Rosar antiq.* ℥ ij.
Sem. hyosciami.
papav. albi.
Syr. corall. vel è succo Cydon. q. s.
pro Electuario.

Sic simplex saltem *Electuarium ex Conserva Rosar. & sem. hyosciami*, est expertum, & præsentissimum remedium *Boilei* in Philos. experim.

Vel ℞. *Conserv. Rosar.*
Hederæ terr. aa. ℥ j.
℞. *antiphthis.* ʒ ij.
M. detur sæpius cuspis cultelli.

Nobile remedium hic est *succus ex Cydoniis expressus* ter vel quater de die ad cochleare unum vel alterum exhibitus. Conciduntur verò Cydonia in lamellas, & in diplomate in aqua com. ad mollitiem coquuntur, & succus inde exprimitur.

V. Si sanguis sputum nunc sedatum est, tunc ad reliquias solvendas & expectorandas detur *sperma ceti, vel Balsamus Locatelli recens, cum sperm. ceti.*

Si malum est ab externa causa, egregium est *Decoctum Pectorale ex Lignis.*

℞. *Rasura santali rubri* ℥ j. *Ligni sassafr.* ℥ ß.

macerentur & coquantur in Aquæ ℔ iix. ad consumptionem ℔ iß. tunc adde *heder. terr. comar. hyperici, veron.* aa. m. ij. *sem. fœnic.* ℨ vj. *rad. liquir.* ℥ iij. *Passular. min. conquass.* ℥ ij. & coquantur ad remanent. ℔ iv. ac de colatura detur bonus haustus ter de die.

VI. *Diæta debet esse excarnis*, cum quiete & abstinentia à vino, & aliis spirituosis. Potus verò sit *Decoctum hordei cum liquirit. & passulis* &c.

Vomitoria & Purgantia omittantur, utpote hic semper periculosa.

Somnus longior & quies, omnibus hæmoptoicis admodum prosunt, neque loqui concessum est.

Nocet fumus Nicotianæ.

Hæmor-

Hæmorrhagia Narium.

I.

SI orificia propaginum rami arterialis, qui ab interna carotide, plures ſurculos, per os cribroſum,ad membranam narium glanduloſam mittunt, aperiuntur; tunc ſanguis effluit, & hæmorrhagiam narium conſtituit.

II. Dantur verò variæ cauſæ, quæ hoc malum excitant; potiſſima tamen conſiſtit *in nimia ſanguinis circulantis, vel acrimonia, vel rarefactione, aut nexus ſolutione, vel & plethora*; Unde eſt, quod ætas juvenilis huic malo, præ alia ſit obnoxia, nec non ab aëre fervidiori, ſæpe contagioſo, excitetur, aut à cibis calidioribus, vel potulentis magis ſpirituoſis, contrahatur.

Quibus accenſeri debent motus corporis & animi vehementiores, in ſpecie ira.

Sic & excretiones ſanguinis conſuetæ,in ſequiori ſexu ſuppreſſæ, item ſanguinis diſſolutiones in Febribus ardentibus, malignis, ſcorbuto &c. vel ſymptomaticè vel criticè occurrentes, ſæpè in cauſa ſunt.

III. Immodica verò narium hæmorrhagia, ſæpe recurrens, periculo non vacat, & vel ad mortem, vel ad cachexiam, aut hydropem, viam ſternit

In Febribus ardentibus,ſi die critico accidit,cum ſignis coctionis, bona: ſi verò abſque his ſignis oritur, præcipuè ſi guttatim effluit,periculi plena eſt.

IV. In curatione, ſi critica fuerit hæmorrhagia, cave, ne vel ſiſtatur, vel promoveatur, ſed totum negotium naturæ relinquatur.

Tum & narcotica, nonnisi necessitate urgente in usum trahantur, præprimis si vires ægri deficiunt.

Neque V. Sectio instituatur, nisi in largiori sanguinis profusione; vel nimia ejus quantitate & plethora, & virium robore.

Præterea *in cura respectus habeatur, vel præsentis, vel absentis paroxysmi.*

In paroxysmo namque præsentanea adsint remedia specifica, stiptica opiatis remixta, & quidem hunc in finem omnibus aliis præfertur *mixtura Sylvii* sequens.

℞. ▽ *plantag.*
papav. errat. aa. ℥iiß.
Aceti rosacei ℥ij.
corall. r. pr. ʒj.
Ocull. ♋. pr. ℈ij.
Extr. opii simpl. gr. iij.
Syr. corallor. ℥iij.
M. dentur singulis momentis cochlearia aliquot.

In Ephemeridibus Cur. anno VI. *Dec.* II. p. 372. pro experta laudatur R. 🜍. *vitrioli Glauderi* ad omnes hæmorrhagias.

His enim & similibus sanguinis compages nimis relaxata vel soluta, confirmatur rursus, & tenuitas serosa corrigitur.

Alias si turgescit sanguis effervescendo.

℞. *Aq. plantag.*
sempervív. maj. aa. ℥iß.
Syr. papav. albi. ℥j.
Tinct. Flor. bellidis cum. spir. ⊖*-li parati* q. s. ad gratam aciditatem, detur cochleatim.

V. Et externe Fronti alligetur *urtica minor contusa.*

Vel

Vel ℞. *Frusta lateris* saltem per annum in tecto jacentis, *contusa in pulverem cum aceto* in formam cataplasmatis misceantur, & *nuchæ imponantur*, & hæmorrhagia subitò sistitur.

Sic non solis internis, sed & externis arteriolarum orificia aperta occluduntur rursus & sanguinis orgasmus compescitur.

Hinc porro ℞. *Fuligin. splendent.* ℥j.
Aceti acerrimi.
album ovi aa. q. s.

M. ad Frontem.

Fiat turunda ex charta bibula, albumine ovi imbuta, & pulvere stegnotico aspersa, ac naribus intrudatur.

Sic & *ex urtica minore* contusa fiat turunda, quæ naribus immittatur, addi etiam potest *ruta*, sed si sternutationes superveniunt, hæc omittatur.

Alii laudant *Alumen crudum pulv. cum lacca pictorum mixtam*, & naribus insufflatam.

Vel *stercus suillum* odorandum commendetur, aut hujus pulvis insuffletur.

Fronti arctissimè alligetur florenus, & digiti manuum & pedum fortiter ligentur.

Nuchæ ex improviso frigida affundatur.

Omnibus aliis irritis *Etmuller & Bohn.* jubent naribus paulo profundius injicere, *Spiritum vini rectificatum*, , pro certo experimento.

Riverius totum corpus involvere præcipit linteis oxycrato madidis.

Hildanus frigidæ insidere commendat.

Testiculi involvantur hoc, v. g. ℞. *Succi sempervivi maj. Aceti acerrimi* aa. ℥iij. *nitri crystallini* ʒiij. *camph.* ʒiß. M.

In manu teneatur *Muſcus Cranii humani genuinus, vel jaſpis, cujus rubedo venulis herbaceis eſt diſtincta*; aut *lapis hæmatitis electus.*

Alii *Bufonem exiccatum*, & ſub axillis geſtatum, pro ſecreto commendant.

Riverius in ſuis obſervat. jubet *Aceti roſacei* guttas aliquot *auri infundere, in latere naris ſanguinem fundendis*, & certo hæmorrhagiam ceſſare aſſerit.

VI. Dantur naturæ, quibus *hyeme hæmorrhagiæ accidunt*, ex pororum nimia conſtrictione, ubi plurimæ ſeroſitates aliàs exhalaturæ, retinentur. Hoc in caſu ſudor in lecto provocetur, & calor commendetur.

Aliàs poſt Paroxyſmum exhibeantur ea quæ nimias ſeroſitates evacuant, & acrimoniam corrigunt. Pro ebullitione verò ſanguinis compeſcenda, æſtate *bibantur acidulæ*; & *à vino generoſo abſtineatur.*

Hæmorrhoides.

I.

NIhil aliud ſunt, quam *fluxus ſanguinis, ex apertis inteſtini recti vaſis ſanguivehis*, dependens, & cum in fœminis, ex iisdem ramis hypogaſtricis, tam vaſa menſtrui, quam hæmorrhoidum fluxus, ſanguinem fundant, hinc eſt quod menſium defectus, non rarò compenſetur per hæmorrhoidum fluxum.

II. Diſtinguuntur verò hæmorrhoides in *fluentes ſive apertas*, vel *furentes ſeu cœcas*.

Fluentes verò vel criticæ ſunt, vel ſymptomaticæ, aut morbidæ, & quidem porrò vel *erraticæ*, vel *periodicæ*.

Liquor qui excernitur vulgo ſanguis eſt; ſubinde tamen albidus, aquoſus aut mucoſus humor ejicitur.

Hæmorrhoides cœcæ incipiunt cum inflammatione, tumore, & inſigni dolore, adeò ut his afflicti, *in hæmorrhoidibus magis internis*, ſub fœcum dejectione, non rarò deliquia animi incurrant.

Externæ verò magis cœcæ, aliquando ad inſignem magnitudinem excreſcunt & eminent, unde ſeſſionem & ambulationem admodum moleſtam reddunt. Non rarò item in ulcus abeunt, vel planè Scirrhoſæ evadunt.

Suntque *vel benignæ, vel malignæ, cancroſæ, gangrænoſæ* &c.

III. Originem ſumunt, vel ab Interna, vel externa cauſa.

Cauſæ internæ ſemper ſunt præternaturales, & ut pluri-

plurimum acido vitioſo ſcatentibus, hypochondriacis, melancholicis &c. accidere ſolent; & ex eorum facie, quæ plerumque ad viriditatem declinat, non difficulter leguntur.

Externæ cauſæ ſunt equitatio laborioſior, conatus in partu difficilior; vel & nimia ſanguinis commotio, & cauſæ hæmorrhagias alias excitantes.

IV. *Criticæ hæmorrhoides*, ſi debita quantitate fluunt, *Melancholicos, maniacos, ſcorbuticos, arthriticos &c. ſolantur.* Si nimiæ ſunt, eadem mala inducunt, quæ hæmorrhagiæ aliæ nimiæ, inducere ſolent.

Tunc verò *ſi modum excedunt*, convenit ſequens *mixtura Sylvii*, v. g.

℞. *Aq. plantag.* ℥ iiij.
cinamomi,
Aceti deſt. aa ℥ j.
Corall. r. pr. ʒ j.
Sang. Dracon. ℈ j.
Laud. Op. gr. iiij.
Syr. myrtini ℥ j.
M. detur ſæpius cochleare.

Conducunt etiam *conſerva fol. quercus, ſuccus portulacæ, Tamarindi, Decoctum ſanguiſorbæ*, & ſimilia, hæmorrhagiis aliis nimiis dicata.

V. *Cæcas quod attinet*, hæ *ſunt diſcutiendæ*, vel ſi aliàs fluxerunt, *aperiendæ.* Si verò nunquam fluere conſueverunt, non aperiantur, niſi chronici affectus hoc requirunt.

Aliàs in his conducunt omnia ea, quæ in morbis dictis ſpleneticis, vel viſcerum obſtructionibus referandis adhiberi ſolent; *in ſpecie martialia, aromatica, amaricantia, humoribus viſcidis dicata*, &c.

Pro cæcarum diſcuſſione, & earundem dolore ſedando,

dando, fiant fotus, vel cataplaſmata, *ex Radic, alth. Lilior. alb. lapathi unctuoſi, Flor. verbaſci, chamameli, linaria, meliloti, ſem. lini, fœnugræci, cum lacte* parata.

Vel ℞. *Ung. rubri camphorati* ℥ j.
Rad. ſcrophularia pulv. ʒ j.
Pulv. de verbaſco M. ʒ ij.
Ol. ovorum ʒ j ß.
cera ℈ j.
M. fiat Unguentum.

Vel in dolore ardente,
℞. *Ung. de linaria* ℥ j.
Olei ſem. hyoſciami expreſſi ʒ ij.
Sachari ♄*ni* ʒ ß.
M. pro linimento.

Vel ex commendatione ſingulari, *Blegni*,
℞. *Aq. Roſar.* ℥ vj.
Amyli ℥ ß.
in conſiſtentiam pultis coctis adde
Ung. de ceruſſa ℥ j.
Album. ovi num. iiij.
Croci ʒ ß.
M. & inſtar cataplaſmatis applica.

Vel tumentibus venis applica *recentis cerefolii ſuccum, cum butyro mixtum*, mediante carpia, ſuperpoſito *Empl. de minio.*

Vel applicetur *Oleum momordica cum Balſamo Peruviano.*

Si verò hæmorrhoides tumentes pinguia non ferunt, omittantur unctuoſa, & fotibus dolor & tumor demulceantur.

Ab *Ettmüllero* pro ſpecifico commendatur *Radix ſcrofularia, autumno collecta*, & lumbris ſaltem applicata,

plicata, hanc etenim dolentes hæmorrhoides demulcere, fluentes verò ſiſtere aſſerit. *Ephem. Cur.* *Anno 2. Dec. 1. p. 296.* pro amuleto laudant *Radicem recentem telephii* intra ſcapulas dorſo appenſam.

VI. Tandem, ſi hæmorrhoides cœcæ, quæ alias fluxere, nunc obſtructæ, dolorem fovent, & aperturam requirunt, tunc *fomentis cum lacte coctis*, primò emolliantur vaſa tumida; poſtea applicetur *ſuccus cyclaminis vel ſolus, vel cum ſucco betæ*, ſi inflammatio adſit, mixtus: aut *ceparum ſuccus* admoveatur, *in quo aloes eſt ſoluta.*

Sic & conducunt *ſuppoſitoria ex Rad. cyclaminis, vel Hiera Picra, cum pulv. colocynth. & melle parata.*

Sed omnibus his in vanum applicatis, *excellunt hirudines* hæmorrhoidibus tumentibus applicatæ, ubi alia poſt aliam admoveatur ad ſufficientem ſanguinis extractionem uſque; niſi poſt unius hirudinis ſuctum, vena per ſe ſufficienter fluat, Cujus tamen fluxus facilè ſiſtitur telâ aranearum impoſitâ.

VII. Si hæmorrhoidum dolor chronicè affligere incipit, in ſpecie poſt emanſionem menſium, tunc præ aliis convenit *fonticulus in tibia excitatus.*

Si cacochymica humorum diſpoſitio malum fovet, & fluxus hæmorrhoidum periodicè recurrit, tunc negotium naturæ eſt relinquendum.

Si verò inſequitur virium proſtratio, neceſſe eſt, ut *præmiſſa venæſectione* humores vitioſi corrigantur, tunc laxantibus, & primas vias à ſordibus liberantibus, evacuentur, & obſtructiones, ut ſupra indigitatum, per *martialia* reſerentur.

Hy-

Hydrops.

I.

VEl *universalis* est, & dicitur *Anasarca*, si totum corpus intumescit; vel *particularis*, & *varia sortitur nomina*; sic in abdomine ascites, in capite hydrocephalus, in pectore, hydrops pectoris, &c. vocari solet.

Omnium tamen frequentissima esse solet, *Anasarca partium inferiorum*, utpote scroti, pedum & abdominis, quæ ratione tumoris pedum & scroti, non est ascites, nec anasarca universalis, sed hydrops.

II. Hydrope imminente, præsertim quando grave hoc malum *ex nimio spir. vini potu* originem traxit, *tum primum stomachus laborat*, præcordia dolent, ad frigidas & leniores potiones ferè nauseant, hinc à digestione vitiosa sic sensim paratur noxius humor in perniciem corporis.

III. Sensim verò in omni hydrope mixta incipit tumor œdematosus, circa pedum talos, *qui impressi digiti vestigia aliquandiu retinet*, noctu tamen imminuitur, interdiu verò rursus augetur, accedit respirandi difficultas, præcipuè si loca alta ascendunt. Tandem ad ventrem transit tumor, dehinc ad scrotum, testes, præputium &c.

Dum verò sic inferiores corporis partes accrescunt jugulum, cervix & pectus emaciantur.

Nonnullis tamen facies, post somnum, matutino tempore intumescit, & ad extremum manus nonnunquam se extendit tumor, colore faciei plus minus pallido, & livido.

Utplurimum etiam adest Febris lenta, continua,

circa

circa veſperam manifeſtior, cùm pulſu celeri, ſed parvo: Sitis intenſa indulgendo creſcens; inappetentia, quæ, tamen cum minore ſiti juncta, melior eſt, quàm cum intenſa.

Præterea conqueruntur miſeri, de maximis anguſtiis circa præcordia, reſpirandi difficultate, tuſſi ſicca, &c.

Alvus nunc clauſa nunc liberior eſt cum euphoria. Et qui humores ad hydropem pronos habent, *in illis vulnera etiam levia difficulter ſanantur*, & cicatrice ægrè clauduntur.

IV. Cauſa potiſſima eſt ſerum, vitio ſanguificationis, genitum, & propter imminutam tranſpirationem & urinam, coacervatum.

Sanguificationis verò vitio (quod Hydropis cauſa proxima eſt) *chylus, non ritè cum reliquis circulantibus humoribus miſcetur & aſſimilatur*, ſed alteratus & magis magiſque reſolutus, extravaſatur & cum vehiculo ſeroſo ſtagnans, hinc inde tumorem & ſenſim hydropem infert, atque ſtagnando viſcidus & acris redditur.

Remotiores aliæ cauſæ ad cachexiam & hydropem diſponentes, ſemper à digeſtione, vel debita diſſolutione in primis viis læſa, dependent: Aut cauſam ſuppeditant partium ſolidarum & ſanguinis alterationes variæ & diverſæ.

Sic obſervamus, quod poſt Aſthma tam humoroſum, quam convulſivum, poſt Empyema, *phthiſin, ſanguinis ſputum, Renes, Hepar, lienem, uterum, & glandulas meſenterii obſtructas.* Poſt Icterum & cachexiam, ſcorbutum, nimios, ſanguinis & alvi fluxus, Dyſenteriam, intempeſtivum potum nimium in paroxiſmis Febrium, vel abuſum ſpir. vini &c. facillimè hydrops ſequatur.

Ubi

V. Ubi tamen ſi occaſione alicujus viſceris Scirrhi, enaſcitur hydrops, nunquam vel difficilius curatur, quam ſi poſt Febrem fuit contracta.

Item *quo minus urinæ redditur, eò pejus*, Tuſſis verò ſemper malum portendit. Dejectiones etiam nigræ, ſi non à medicamentis, lethales eſſe ſolent.

VI. In Curatione primò removeatur humorum obſtruentium colluvies: Deinde eorum ſcaturigo ſiſtatur.

Pro removenda tamen colluvie ſeroſa, ab initio *purgantia lenia ſint, ut ſaltem primæ viæ ad fortiores purgationes diſponantur.*

Hunc in finem *ſpecies Diaturbit. cum Rhabarb.* junctæ *ſpeciebus hieræ picræ* ſunt egregium purgans, quibus *Heurnius* gloriatur, ſe plurimos ab hydropis rudimentis vindicaſſe.

His ſuccedant Purgantia vehementiora, præprimis *in Aſcite*, quo validè operentur, aliàs humores ſaltem colliquando, aſt non evacuando, malum augent.

Melius tamen decreſcente, quam creſcente luna exhibentur, quoniam tunc temporis ſeroſitates aliàs decreſcere creduntur.

Purgationes tamen crebriores ſunt nocivæ, quoniam ſimul utiles ſuccos colliquant.

Si vomendi conatus, aut gravior dyſpnœa adeſt, *detur vomitorium*, ſed validum, aliàs non movebitur hydropicus; vel ob ventriculi atoniam, aut ob vomitorii, ab acido-ſalſis ſerotatibus, alterationem, & quaſi fixationem.

Poſt hæc, Diuretica veniant in uſum, utpote vera hydragoga, quæ incidunt, abſtergunt & reſolvunt.

Tandem cedant in uſum alterantia, chilificatio-

nem

nem & debitam ſanguificationem reſtituentia, & ſic ſcaturiginem ſiſtentia.

Inter purgantia fortiora hic ſelectiora eminent; *ſambuci & ebuli corticis mediani, ſuccus, cum oxymelle ſquillit.* ab ℥ j. ad ℥ j ß. propinatus, nec non *Radicis Iridis noſtratis flor. cœruleo, ſuccus* per reſidentiam depuratus, & ne acrimonia ſua noceat, *cum ſyr. violar.* mixtus, & ab ℥ j. exhibitus, ad ℥ iij. *vel Radix recens bulliat in juſculo pulli,* & debilioribus ſucceſſivè propinetur.

Elaterio tamen, vel ejus eſſentia aut extracto vix dari præſtantius remedium. *Ettmüllerus* vult; ultra vj. grana tamen non aſcendendum.

Alii Cryſtallos Lunæ à Boyleo deſcriptos, & ad gr. ij. vel iij. exhibitos mire aquas evacuare experti ſunt.

℞. *Succi Ireos* ℥ j.
Elaterii gr. iiij.
Jalappæ,
Mechoacann. aa gr. xv.
M. fiat potio.

Vel ℞. *Extr. Elaterii* gr. v.
Colocynth. gr. iij.
Medullæ granor. tilli, num. iij.
Cum Eſſentia Elaterii, fiant Pilulæ num. xiij. & deauratæ dentur.

Vel ℞. *Extr. Eſulæ* gr. xviij.
Elaterii gr. ij.
Magiſt. gum. gutt. gr. iiij.
M. fiant Pilulæ num. xiij. dentur pro doſi; eſt purgans validum *Lentilii.*

Vel ℞. *Extr. Elater.* ℈ j.
Reſ. Jalapp. gr. ij.
Extr. troch. alh. gr. j.

Cum

Cum Ess. absinth. fiant Pilulæ num. xv. dentur pro dosi. *Ettmulleri* suasu.

Vel ℞. *Ess. Elaterii* ℈ ij.
Gummi gutta ℈ß.
M. detur pro dosi.

Vel ℞. R. *Jalapp.* ℈ ij.
Cort. aurant. ʒ j.
M. detur pro dosi.

Vel ℞. *Rob. ebuli* ℥ j.
Jalapp. pl. ℈ j.
Res. jalapp. gr. vij.
Extr. colocynth. gr. ij.
M. detur pro dosi.

Si lenioribus res aggredienda esse, ab initio videtur,

℞. *Rad. irid. nostr.*
Cortic. Tamarisci aa ℥ß.
Herb. agrimon.
Card. benedicti,
Bethon. rubr.
Scabiosæ,
Cent. min. aa p. j.
Fol. senn. el. ℥ j ß.
Agarici trochiscat. ℥ j.
Rhabarb. el. ℥ß.
Sem. anisi & fœnic. aa ʒ j.

Omnibus concisis & contusis, ac nodulo inclusis, affunde *Aquæ ferventis.* ℔ j. & postquam per noctem steterunt, affunde *vini generosi veteris* ℔ vj. sive mensuram unam; Postea, extractione per noctem, vel ulterius factâ, propinentur vini hujus laxativi, singulo mane ℔ ß. per tres dies, dehinc die uno quiescat æger, & postea rursus bibere pergat.

Vel

Vel ℞. *Rad. irid. nostr. Bryon. rec.* aa ℥ vj. *Chelidon. maj.* ℥ß. *Summ. absinth. Cent. min.* aa m. j. *Herb. chelidon. agrimon.* aa m ß. *cort. med. samb.* ℨ vj. *cort. aurant.* ℨ iij. *Flor. sambuci* m. ij. *Bacc. junip.* ℥ß. *Fol. senn. el.* ℥ j. *Mechoac. alb.* ℨ vj. *ciner. genistæ, juniperi, absinth.* aa ℥ ß. Incisa dentur in nodulo *vini* ℔ viij. vel mensuræ uni semis infundendo. Optimè verò purgantia cum Diureticis maritantur.

Hæc & similia purgantia si pro voto operantur tum fortioribus aliis audacter pergit *Sydenham.* & brevi plura exhibet, neque inducias longiores concedit.

VII. Aliàs ubi serum, *extra intestinorum dominium intra tunicas peritonæi stagnat*; prout in ascite aliquando hoc fieri solet, tunc purgantia sæpe plus fundendo, & humores colliquefaciendo operantur, quam purgando, atque ascitem graviorem reddunt.

Hinc *in ferendis catarticis, hydropicorum naturam ritè explorare posse, magna curationis pars est.*

Anasarcam tamen, ob seri coagulum, in habitu corporis intra vasorum interstitia latens, *fotiora posse ferre purgantia*, Practici plures experti asserunt.

Sic nec sudorifera, ex hoc fundamento; possunt esse absque effectu in Anasarca, modo sint valida, cum aliàs in omni hydrope difficulter sudor obtineatur.

Ex hac causa *Thermæ sæpe in hac hydropis specie sunt sacra anchora.* Vel ubi hæ deficiunt, sudores per laconicum provocentur.

Post purgantia etiam aliquando *Clysterum egregius est usus*; optimè verò fiunt, *ex Urina, vel infusione Croci metallorum,*

Vel ℞. *Cortic. inter. sambuci* m. j.

Rad.

Rad. bryoniæ,
Bacc. juniperi aa ℥ j.

Coquantur in ſ. q. *urinæ*, & colaturæ ℔ j. adde *ol. therebinth.* ℈ß. m. & detur.

VIII. Si purgantibus malum debellari haud licet, nec poteſt, *ad Diuretica fiat acceſſus, præcipuè in Anaſarca,* quoniam ſerum facilius ex habitu corporis, quam ex cavitate abdominis, & inteſtinorum interſtitiis, ad renes derivari rurſus poteſt: Sic & colliquefacientia Diuretica in Anaſarca potius quadrant, quam in Aſcite. Diuretica tamen ex Alcalicis magis fixis conſtent, in Anaſarca, e. g.

℞. *Cinerum abſinthii,*
juniperi aa ℥ ij.
irid. noſtr. ℥ j.
Vini generoſi ℔ ij.
▽ *Fl. irid. noſtr. cœrul.*
agrimon.
hederæ terr.
Fragorum aa ℔ j.

Fiat ſ. a. Lixivium, & hoc denuo novis cineribus affundatur, poſtea coletur lixivium, & ei addatur *Aqua cinamomi* ℥ ij. *ſachar. canarii* ℥ iiij. Dehinc ſingulo mane propinentur ægro ℥ vj. vel viij. per octo vel novem dies. *Æger verò parum prætereà bibat.*

Vel ℞. *Herb. abſinth. Fl. cent. min.* aa m. j ß ℥. *Rhabarb. el.* ʒ ß. *Baccar. juniperi* m. j ß. *Cinerum abſynth. geniſtæ* aa ℥ iij. Infundantur in *vini generoſi menſura una* ſive ℔ vj. & bis in die de hoc vino ſumantur ℥ vj.

Vel ℞. ♀i ⊕ lati ʒ ß. ⊖is *juniperi, geniſtæ, ſpit. fabar.* aa ℈ j. M. divide in 4. p. æq. & detur mane & veſperi doſis, ad declinationem

 mali

mali usque, ubi postea mane saltem unica dosis continuatur.

Si post hæc & similia lixiviosa, dolores colici oriuntur, prout rarò fieri solet, quoniam acrimonia sua intestina rodunt; tunc *clysteribus anodinis ex lacte paratis* occurrendum erit.

In Ephemer. Cur. Anno X. Decur. II. *p.* 393. admodum laudatur hoc.

℞. *Arcani duplic.*
☐*i* ⊕*lati*
Ocul. ♋ aa. ℥j.

Dividatur in 6.p. æq. & singulo mane detur dosis; solvit amurcam, ut vel per alvum, vel per urinam excernatur.

In Ascite autem vera, si urina crassa, & lixiviosa apparet, conducunt potius *alcalia volatilia*, utpote *Spir.* ✱*ci*, ⊖ *vol. urinæ* &c. cum ⊖ *e vol. ol. S. Essentia absinth.* &c. combinata.

IX. Inter Externa, aliquando *Paracenthesis* in vera Ascite ægrum è mortis faucibus eripit, modò non nimis tardè instituatur, sed ab initio confirmati mali: neque scirrhus, aut aliud incurabile vitium visceris alicujus nobilis accesserit, ubi levamen saltem palliativum erit: protinus tamen post operationem, dentur hydragoga satis valida. Vide *Listerum* de hydrope.

Aliquando scroti tumidi apertura mediante ferro vel cauterio facta, solamen adfert, ubi admotâ spongiâ, evacuata aqua excipitur, modo probè defendatur locus apertus, & loca vicina, *spir. vini theriacali, aut crocato, & spir. vini camph.* desuper imposito *Empl. de minio, cum Empl. diasulf. Rulandi mixto.*

Non-

Nonnunquam evacuatur Aqua, per spontaneas vesicas in cruribus, quibus applicentur *folia brassicæ*, quæ multum seri extrahunt.

Hinc & *Fonticuli infra genu positi*, aliquando optimi sunt effectus, *modo nondum adsint pedes tumidi*, qui facilè gangrænam incurrunt vulnerati.

Præterea partibus tumidis aliquando optimo cum successu applicantur alia externa, utpote cataplasmata, Emplastra, &c. e. g.

℞. *Fol. sambuci*
Flor. chamomill ā ā. m. vj.
Steroris caprilli ℔. ij.
Rad. bryon. ℥ij.
Bacc. Lauri ℥j.

Coquantur in s. q. *urinæ pueri*, ad consistentiam cataplasmatis, quod calide applicetur, & sæpius renovetur.

Cochleæ cum suis testis contusæ & applicatæ, & cum siccæ fuerint renovatæ, singulare quid obtinere dicuntur.

Vel ℞. *Flor. chamomill.* m. iij. *Farinæ fabar.* ℥j. *Cochlear cum testis contusarum* ℥vj. *stercoris caprilli* ℥ij. *sem. cumini pulv.* ℥iß. Coquantur in *aquæ & aceti* aa. & pedibus ac scroto vel vulvæ tumefactæ applicentur.

Alii admodum laudant *spongiam, aquâ calcis vivæ ebriam*, & applicatam.

Puella Hydropica, multis incassum assumtis, curatur, plantis pedum quotidie probe inunctis *sapone nigro*, unde octavo die, per alvum & urinam, omnem saburram serosam excrevit.

X. Quæ tandem principaliori intentioni satisfaciunt, chilificationem & sanguificationem restituunt,

tuunt, ac sic scaturigini obicem ponunt, videantur de Cachexia, *ubi martialia quavis aperitiva cum tartaro parata*, ut & *vina martialia*, *absinthiaca*, aliis præstant. Neque tamen minoris valoris sunt, *Tinct. terræ fol.* ♀i, R. *antimonii opt. acris*, R. ♂ ♀*sata*. &c. quæ tanquam digestiva, optimè purgantibus præmitti possunt.

Vel ℞. *Rob. Juniperi vel ebuli* ℥iß.
Extr. ♂ *cum succo pomor. facti* ʒvj.
Rhabarb. el. pl ʒiij.
Aq. cinamomi q. s. ut fiat Elect.

Vel ℞. *Limaturæ* ♂ ℥j. *Rad. Zedoar. incis.* ʒvj. *In vino generoso* infundantur, & sæpius de eo bibantur cochlearia aliquot, per plures septimanas.

Præterea in continuo usu sit *vinum vel cerevisia absinthites*, moderatâ tamen quantitate pota.

Ad majorem dilucidationem lubet adponere historiam curati hujus mali, ex nimia potatione, & ebrietate, contracti, quales inter alias tradit *Medicus Anglicus Martinus Lister*.

Quidam, mediæ ætatis vir, strenuus, assiduus & infinitus potator, ex catarrho tunc temporis epidemico, aqua inter cutem vehementer affectus est. Ei pedes & femora cum imo ventre, mirum in modum intumuêre. Urina erat rubra & crassa, cujus 24. horarum spatio vix uncias aliquot reddebat, licet præ ingenti siti quotidie aliquot congia siccaret.

Hunc intra 14. dies ad pristinam sanitatem sic restitui. *Femur utrumque ex interna parte incidere jussi*, longâ & profundiore plagâ; cui injectum est linamentum tortile, penicilli instar, *unguento Apostolorum* dicto illitum.

Potionis tantum libram, diei noctisque unius spatio, permisi, ex quo genere illud pro sua optione habere vellet; idque religiose observavit, non sine maximo tormento, & inquietudine.

Singu-

Singulis autem quibuſque tertiis diebus hominem ſic purgavi;

℞. *Succi ireos* ℥iv.
Jalappæ ℈j.
Mechoacann. ℈ß.

M. fiat Potio, unde alvus vehementer mota eſt.

Etiamſi verò NB. vigeſies minimum dejecit, tamen potionis modum quotidianum, ne hilum quidem auxi.

Unde poſt decem dies tumor ex bona parte deſiit, & ſitis tolerabilior ſucceſſit.

Tandem hydrope ſiccato, *uſus eſt Aqua Abſinthii deſtillatâ, in qua rhabarbarum maceratum erat*, idque ad confirmanda viſcera, unde convaluit, ſed *Fonticulos in utroque femore cautè nutrivit*, & abſtinentiam à potione, ad plures menſes obſervavit.

Hydrops Tympanitis.

I.

ESt Hydrops flatulenta, ubi ſerum in flatus reſolutum, tumorem conſtituit, non enim flatus oriuntur abſque materia, vel viſcido; unde etiam in hâc hydrope diſtenſio muſculorum abdominis, vel peritonei, magis rigida eſt, propter flatus, qui magis diſtendunt.

Si tamen malum hoc inſequitur dolores colicos, vel hypochondriacas aut hyſtericas paſſiones, & à ſpaſmis peritonæi, vel inteſtinorum, quibus præter modum extenduntur, originem trahit, tunc haud adeò periculoſum eſſe ſolet, niſi aſcites combinatur: Id quod utplurimum fieri ſolet, rarò enim invenitur tympanitis abſque aſcite.

II. Diſtinguitur verò hæc hydropis ſpecies ab aliis, *quod venter digitis percuſſus, inſtar tympani ſonum edat*, ab extenſione tunicarum abdominis neque adeò grave ſentiatur abdomen, ac in aſcite, & ægro ſupino, jacente venter diſtentus, ac durus maneat; Sic & diu præceſſerunt tormina, circa umbilicum, & rugitus ventris cum lumborum dolore.

Inter alias hydropis ſpecies *tympanitis periculoſiſſima eſt.*

III. *In cura hujus mali ante omnia viſcidum incidendum & evacuandum venit*, unde flatus originem ſumunt. Quando tamen flatus prævalent, & ſicca potius adeſt hydrops, flatus diſcutientia ſemper prævalere debent.

Ad evacuandam materiam viſcidam antecedentem, ex quâ flatus generantur, conducunt *Pilulæ de Hiera cum agarico, de Rhabarbaro.* Vel

Vel ℞. *Pil. de Hiera cum Agar. Rhabarb. electi, Turbith. electi* ā ā. ℈ij. *Fol. soldanellæ* ʒß. *Rad. asari* ℈j. *Trochisc. alhand. Elaterii, Nuc. moschat. cinamomi, galangæ, cubebar.* ā ā ℈ß. Omnia pulverisata excipiantur *succo iridis*, & fiat massa, ex quâ formentur pilulæ dosi ℈ij. vel ʒj exhibendæ.

IV. *Ad dissipandos flatus*, optimum est *Elect. de Baccis Lauri*, vel & *species Diacalaminth. dianisi* &c.

Optimus usus & effectus quoque sunt *Clysteres carminativi* v. g.

℞. *Fol. rutæ. Flor. Chamomillæ, sambuci, summit. anethi* ā ā. *m. j. sem. anisi fœnic. cumini, carvi* ā ā. ℥ß. Coquantur in Aq. simpl. q. s. colaturæ adde *vini malvat.* ℥iij. *Benedict. laxativ.* ℥j. *Elect. de baccis lauri* ℥ß. ☍ *rutacei, Laurini.* ā ā. ℥j. M. fiat clyster.

Externè ventri imponatur *Empl. de baccis lauri, vel allium* in vino generoso coctum, ac contusum, abdomini applicetur.

Aut ℞. *stercoris caprilli* ℔j. *Summit. anethi. Fol. rutæ* aa pl. ℥iij. *sem. cumin.* ℥j. *fœniculi* ʒvj. *cum urina pueri.* coquantur, & fiat cataplasma, ventri applicandum.

In Diæta vitentur omnia illa, quæ flatus generare apta sunt, & pro Potu in usum cedat *vinum Ligno sassafr. cort. citri* &c. aromatisatum.

Hydrops Pectoris.

I.

EST affectus Empyemati cognatus, etenim ut in empyemate pus, ita in hac hydrope particulari serum in cavitate thoracis colligitur.

Malum hoc cognitu sæpe satis est difficile, & causa plerumque in obstructis pulmonum vasis lymphaticis delitescit.

II. *Cognoscitur* tamen grave hoc malum, *ex respiratione admodum difficili*, frequente, & parva, adeò ut æger quasi suffocari videatur, *præcipuè nocturno tempore*, etenim angustia & anxietas die proveniente remittit, & sub noctem iterum recurrit & urget; sæpe cum tussi sicca, siti molesta, appetitu dejecto, palpitationibus cordis, palpebrarum ac pedum tumore, & faciei colore pallido &c.

III. Malum verò *utplurimum est incurabile*, nisi natura viam quærat per alvum, & pulmones insigniter læsi haut sint; observatum verò fuit, morbum hunc permutatum fuisse in herniam aquosam, simulque aquam effluxisse per alvum, & ægrum sic restitutum fuisse.

IV. Curari tamen solet malum hoc *per paracenthesin pectoris*, in tempore institutam.

Et ne serosum liquamen facile rursus, prout aliàs fieri solet, generetur, *per intervalla reiterandæ sunt purgationes, mediante Jalappa, Mechoacanna, succo rad. sambuci ad* ℥i. vel ℥jß. *vel succo radic. iridis*, propinato, aut *Elaterio* ad gr. iij. exhibito, qualia de hydrope tradita sunt.

Fonti-

Fonticuli etiam, in cruribus præcipuè, excitati, insignis hic ſunt uſus.

Nec Diuretica hic ſunt negligenda, inter quæ non infimum locum meretur *Tinctura Millepedum*, v. g.

℞. *Millepedum* ℥ iii.
Fol. hæder. terr. & ſicc. m. ij.
Nuc. moſchat. ʒ iij.
🜄 *juniperini* ℔ ß.
Fiat Tinctura.

Hypochondriacum Malum.

I.

NOmen ſortitur ab hypochondriis, in quibus præ aliis locis, ſymptomata graviora hujus mali ſentiuntur. Sic in hoc malo plerumque *adeſt appetitus intenſus*, & nonnunquam caninus, *cum quâdam tamen apepſia*, ita ut poſt horas aliquot à paſtu ſentiantur dolores graves ſtomachi.

Ægri appetunt acida, quæ tamen admodum lædunt, unde & *à paſtu emittunt ructus, nunc acidos, qui meliores, nunc inſipidos qui deteriores*, idque ſubinde cum inflatione ſtomachi, borborigmis in abdomine, præcipue in hypochondrio ſiniſtro, tumore, retrudente, manu admota, recedente. Sic & jejuni acidos emittunt ructus.

Accedit alvi adſtrictio ſæpè pertinax, & quæ rejiciuntur, ſunt globulorum forma indurata, nigricantia, tunc verò à laxantibus copiosè, à purgantibus verò parum, & cum noxa, evacuantur.

Aliquando afflicti vomunt pituitoſa, aciditate ſua dentibus ſtuporem inducentia, vel & bilis amarorem impertientia.

Sæpe adſunt cardialgiæ, phlogoſes vagæ, poſt paſtum, in facie, & ſi malum nunc incrementum ſumit, ſæpe oriuntur dolores colici convulſivi, cum vomitu, difficili item reſpiratione poſt cœnam, vel tempore matutino, ratione remanentiæ crudæ, à veſpertina cœna, cum copioſa expuitione mucoſorum humorum &c.

Tandem confirmatis accedit aſthma ſiccum, glandulæ meſenterii obſtructæ, tumores viſcerum

duri,

duri, pulſationes circa hypochondria, & ſuperiores lumbos, quæ pulſationes fiunt ab arteriis, dum aliquid convulſivi patiuntur ex conſenſu partium viċinarum. Jejunis ſupervenit vertigo, poſt commeſtionem remittens, &c.

Accedit inſuper *ingenii torpor & memoriæ lapſus.* Poſt paſtum fiunt quaſi ebrii, & anxii, melancholici, & in graviori paroxyſmo patiuntur ſymptomata hyſtericis familiaria, cum urina pallida & aquea, quæ extra paroxyſmum aliàs ſanorum eſt ſimilis.

II. In cauſa eſt *Cruditas acida ſtomachi*, unde chylus depravatur, & ſanguis viſciditatibus obruitur, hinc *deficere incipit ſpirituaſcentia, lympha aceſcit, bilis hebetatur, & nervoſum genus facile irritatur.*

Lympha acido impregnata, & minus volatilis ſive ſpiritibus minus acuata, optimè quidem appetit, ſed in paſtam acidam plus minus viſcidam alimenta diſſolvit, à cujus concurſu cum bile, phlogoſes, flatus, borborigmi, lancinationes &c. oriuntur. Occaſionem addunt difficulter digeſtibilia, nimium ſalita & infumata, acida & aceſcentia, deficiens motus digeſtionem haud promovens, curæ & ſtudia, præcipuè nocturna, quæ ſpiritus depauperant, unde his tunc deficientibus, humorum aciditas inſigniter accreſcit.

III. Malum hoc incipiens etiam ſolo corporis motu rite inſtituto facilè ſæpe curatur, ſed confirmatum difficulter. Pulſus hypochondriacorum intermittens non eſt metuendus, & ſi hæmorrhoides, aut hæmorrhagiæ periodicæ, vel urinæ fluor accedunt, æger levatur.

IV. *In cura hujus mali*, præmittantur digeſtiva,

plus

plus minus diuretica, *ex* ♀*o* ⊖*lato*, *Tinct.* ♀*i* vel ♉*ii*, R*a* ♂*is*, ⊖*e* ♂. *comp. limat*, ♂ &c. quæ quotidie bis assumantur bona dosi; vel

℞. ♉ *Diaphor. non edulcati* ℥ i ß.
Ocul. ♋ pr. ℥ j.
Corall. r. pr. ℥ ß.
Nitri Fixi ʒ ij.

M. detur pro dosi. ʒ ß, aliquoties in septimana, mane, meridie & vesperi suasu *Bontekoëi.*

Vel ℞. ♂ *cum* 🜍*e* pr. ℥ j.
Radic. Aron. sic. pl. ℥ ß.
Zingib. Macis aa ʒ ß.
🜅 *cinam.* gtt. vj.

M. fiat pulvis qui detur dosi ʒ ß.

Et si acidum magis manifestum adesse suspicatur; ex sola *limatura chalybis, cum succo absinthii* inspissato fiant Pilulæ granorum aliquot pondere, quæ per aliquot septimanas veniant in usum.

Si phlogoses in hypochondriis sentiuntur, cum flatibus ad scapulas usque incommodis,

℞. *Limat.* ♂ *subtil.* ℥ ß.
Cryst all. pr.
♀*i* ⊖*lati*,
Arcani dupl. aa ʒ ij.

M. dentur mane & vesperi duo cultri cuspides.

Vel ℞. *Limaturæ chalybis* ℥ ij.
♀*i crudi opt.* ℥ j.

Coquantur in Aquæ fontan. ℔ iiij. in cacabo ferreo ad remanentiam ℔ ß. & hæc colata detur ad cochleare semis, cum parum *Aquæ cinam, Zedoar. anisat.* &c.

Si his & similibus ruditates acidæ sunt mitigatæ, tunc *mediantibus vomitoriis, reiteratis*, rejiciantur.

Vel

Vel circumstantiarum ratione, aliis laxantibus & alterantibus eliminentur hunc in finem,

℞. *Rad. Raphani rustic.* ℥ ß.
Polipod. q.
Asparagi aa ℥ j.
Herb. absinth.
Card. ben.
Cent. min. aa m. ß.
Fol. senn. el. ʒ vj.
Rhabarb. el. ʒ iij.
Helleb. nigr. ʒ ij.
Cinamomi,
Zedoar. aa ʒ i ß.
♀*i albiss.* ʒ iij.

Concisa & contusa, atque nodulo inclusa, infundantur in *vini generosi* ℔ vj. Postea omni mane capiatur haustus. Vel

℞. *Passul. min.* ʒ iij.
Crem. ♀*i* ʒ ij.

Conquassata coquantur in Aq. font. ℔ iij. tunc decocto infunde

Fol. sen. el. ʒ vj.
Fl. violar. m. j.
Zingib. ʒ ß.

Et de infusione detur mane bonus haustus.

Vel ℞. *Pulp. Tamarind,*
Passular. min. aa ℥ i ß.
Rhabarb. el. pl. ʒ ij.
Cinam. pl. ʒ j.

M. sumatur singulis diebus quantitas nucis castan.

Si pilulæ magis placent, solæ *Tartarea* ; vel & *Extr. Aloes cum Aq. simpl. extracta, inspissata, & granis aliquot troch. alhand. acuata,* & in Pilulas formata,

ta, sufficit. Nec inconvenientes sunt *Pilulæ Magistrales sive Hypoch. Sylvii.*

℞. *Gummi galban. aceto scillit. soluti* ℈ ij. ⊖*li* ♂ *blando igne ad albed. calcinat. Mastich. el.* aa ℈ j. *castorei, myrrhæ r, el.* aa gr. xv. *Croci or.* ℈ß. *Troch. alhand.* ʒ j. *Res. jalapp. scammon.* aa ℈ j. ☍ *cort. citri* gtt. vj M. fiant Pilulæ num. 50. Dosis num. iij. vel plures tempore somni.

Nec Clysterum usus denegetur, cum hi in affectibus flatulentis sæpe purgantibus præstent.

Præterea suo tempore *non negligantur acidulæ & thermæ*, utpote obstructionum hypochondriacorum singularia resolventia & deobstruentia.

Icterus.

Icterus.

I.

SI partes bilem constituentes, non segregantur in hepate, & in vesicula fellea non colliguntur, tum humores circulantes inquinati & ad habitum corporis delati huic colorem flavum conciliant, & in lingua vel palato sæpè saporem amarum sentire faciunt; cum urina verò excretæ partes, hanc reddunt crassam, & lixiviosam, lintea tingentem.

Sic & segregatio chyli à fœcibus languet, unde nullus, vel paucus saltem chylus, per vasa lactea defertur, sed major pars immixta manet fœcibus, quæ propterea albicant, & alvum tardam efficiunt.

Præterea adest angustia, & dolor compressivus præcordiorum, & stomachi, cum lassitudine omnium membrorum, doloribus gravativis lumborum, & respiratione subinde difficili.

Aliquando Febris adest, vel præcessit, & nonnunquam dolor obtusus in hypochondrio dextro percipitur.

II. *Distinguitur* verò Icterus vel *in Primarium, vel Secundarium.*

Primarius dicitur Icterus, quando ductus fellei obstruuntur à pituita vel lapillis, quando à tristitia, ab ira, ab ulceribus crurum occlusis, hepate indurato, &c. ortum trahit.

Secundarium verò dicunt, quando Febribus supervenit, vel quando à morsu viperæ, vel canis rabidi, vel affectibus intestinorum tenuium convulsivis, ut in colica, passione hysterica &c. accidit.

Tot

Tot verò ſunt Icteri ſpecies, quot colorum varietates ſic *datur Icterus flavus, niger, viridis,* &c.

III. *Neque tamen flavus ab obſtructo Hepate, aut niger* ab obſtructo liene exoritur, ſed omnes unam agnoſcunt cauſam, *impuram nimirùm M. ſanguineam*, recrementa vitioſa ad ſuperficiem corporis deponentem.

Impuritas verò M. ſanguineæ ortum trahit à digeſtione vitioſa, ab acido auſtero in primis viis, genita; ſic non rarò obſervamus, *quod à crapula, à fructibus horariis, pinguibus* &c. in ſtomacho corruptis, vomitus flaveſcens, croceus & nidoroſus inferatur.

Sic & à bile naturali, ab acido primarum viarum, incraſſatâ, ut in Hepate haud ritè ſecerni, nec ſecreta excerni queat, utplurimum originem ſumit.

Et ſi acidum hoc primarum viarum in mixtione cum bile præpollet, tunc Icterus niger, viridis, vel plumbeus; ſi verò bilis præpollet, flavus generatur.

IV. Flavus quando inducitur criticè poſt Febres, aut ex impedito bilis motu oritur, facile curari ſolet; ſed niger poſt quartanas admodum contumax eſt. Et ſi à calculis in folliculo felleo genitis dependet difficillimè curatur, vel cum hydrope ſuperveniente lethalis eſt.

V. *In curando hoc malo*, præmittatur ante omnia *vomitorium*, ſi enim lenis ſaltem obſtructio ductus fellei in inteſtinis adeſt, tunc unico tali vomitorio tolli poteſt.

Vel ℞. *Extr. Rhabarb.* ℈ß.
chelidon. maj. gr. vj.
☿ij *dulcis* gr. jv.
ſcammon. correcti gr. v.
M. fiant Pilulæ pro doſi.

Vel

Vel ℞. *Rad. Taraxaci, graminis, chelid. maj. rubia tinct.* aa. ℥ß. *Herb. fragar. cum rad. chelidon. maj. marrub. cent. min. cum flor.* aa. m. j. *Fol. sen. el.* ℥j. *Rhabarb. el.* ʒvj. *Bacc. junip.* ℥iij. *cinamomi* ʒij. *macis* ʒj. ♂ *cum* 🜍 *e* pr. ℥ij. *cryſtall.* ♀ pl. ℥ß. incisa dentur in nodulo menſuræ vini infundendo.

Dehinc ad ruditates acidas in primis viis deſtruendas.

℞. *Chalybis cum ſulf.* pti. ʒvj.
Cinamomi ℥iij.
Spec. Diarrhod. Abb. ʒij.
Sachari in Aq. puleg. ſol. ℥v.

Fiant morſelli. Si verò vir Ictero laboret, addatur *Rhabarb.* ℥ß.

Vel ℞. *Chalybis cum ſulf.* pr. ℥j.
Spec. Diarrhod. ℥ß.
⊖ *is abſinth.* ℈iv.

cum *Syr. acetos. citri*, fiat Elect. quód detur ad ʒj. per 12. aut 15. dies: Craan.

Vel ℞. *Elix. Propr. alcaliſati* ℥ß. R ♀ij. vel ♁ ʒij. *ſpir.* ✳ *ci* ʒj. M. dentur ſæpius 40. 50. guttæ cum Aq. taraxaci.

Vel fiat *vinum* ♂*iale cum chelidon. maj. abſinth. marrubio, taraxaco, paſſulis* &c.

Sic & *diſcraſiam humorum*, & *viſcerum atoniam*, ex diuturno malo, *optimè reſtituunt acidulæ*.

Electuarium item confectum *ex Rhabarbaro & Paſſulis* in quovis Ictero egregium eſt.

Et ſi *Icterus à calculis in folliculo felleo, genitus* eſt, optimè convenit *Decoctum radicis graminis cum ſpir. nitri dulci*, ſæpius exhibitum.

Non raró malum hoc *curatur per magnetiſmum*,

quando Ictericus, cùm urinâ suâ cineres imbibit, & rursus exiccat, & hoc sæpius reiterat.

Alii *urinam* ægri quotidie *acervo formicarum affundunt*, optimo cum successu.

Ubi alii *urinam panno lineo non loto excipiunt, & nocturno aëri exponunt*, donec exsiccatur, atque hoc toties reiterant, donec Icterus cessat.

In Diæta vitentur carnes salitæ, infumatæ, caseus, pisces, & quæ alia chylum crassum suppeditant.

Pro potu ordinario in usum cedat *Decoctum passulatum*, vel *Decoctum fragar. cum passulis*, id quod infantibus Ictericis optimum est.

Vel *vinum amaricantibus specificis infusum* bibatur moderatè.

Iliaca Passio.

I.

EST motus Inteſtinorum *periſtalticus inverſus*, ubi inteſtinorum contenta, ſive excrementa, quæ motu naturali periſtaltico aliàs per inferiora protruduntur, nunc per ſuperiora urgentur.

Incipit verò inverti motus ille periſtalticus in hoc malo, ea in parte Ilii, quæ colo inſeritur; Nam ſi inciperet in ea Inteſtini parte, ubi ductus pancreaticus & cholodochus inſeruntur, *Cholera audiret; & vomitus, ſi à Pyloro motus inverti inciperet.*

II. Inſtans hoc malum, produnt alvus pertinaciter obſtructa; Inteſtinorum tenuium crudelia tormina, nauſea, cum ſingultu. Accedunt anxietates inexplicabiles, tandem ſudor frigidus, & convulſiones imminent, quæ ſæpè mors inſequitur.

Siſti verò ſolet naturalis ille Inteſtinorum motus periſtalticus, vel *vitio excrementorum induratorum*, inteſtina infarcientium, *aut Inteſtinorum inflammatorum* vel gangrænatorum, aut exulceratorum, vel hernia translocatorum, aut convulſorum vitio. &c.

III. Et ſi crudelitas mali eouſque proceſſit, ut excrementa per vomitum rejiciantur, tum utplurimum exitiale eſſe ſolet: Si hernia in cauſa eſt, malum non ſemper adeò deſperatum exiſtit, quàm ſi ex inflammatione vel gangræna dependet. *In genere tamen malum eſt crudele & periculoſiſſimum*, præcipuè ſi ſtercora vomuntur, ſi ſudor fœtet, & ructus fœtidi adſunt.

IV. In curatione hujus mali, ante omnia, motus

intestinorum convulsivus demulceatur, in quem finem

℞. *Aq. menthæ* ℥v.
mastichin ℥ij.
℞ anod. ʒij.
Syr. è nuce moschat. ℥ß.

M. & singulis momentis propinetur cochleare.

Interea verò *catulus semper incumbat nudo ventri*, vel abdomen illinatur *Ung. Galbaneto, cum Ung. de arthanita, & ol. chamomill. coct.* desuper applicando *lintea probè calefacta.*

Omentum etiam vervecis recentissimè exemptum, & applicatum, mirè dolorem lenire experti dicunt.

Dolore tandem, & vomitu, hâc methodo cicuratis, vel sedatis, omni operâ alvi apertio procuretur & excrementorum motus deorsum revocetur.

In hunc finem, *suasu Sydenhammi*, detur *Pilul. conchiar. maj.* ʒj. in *Aq. menthæ* soluta, & ne hoc fortè vomitum rursus excitet, per totum purgationis tempus propinetur Aqua menthæ.

Et superato sic malo, adhuc per tempus *continuetur Aquæ menthæ usus.* Et venter durante curâ, diligenter inungatur *Ung. spasmatico Mynf.*

Opiata statim ab initio, viribus adhuc constantibus propinentur. Aliàs si inflammatio nunc se jungit, quam calor urens patefacit, tunc facile gangræna acceleratur.

V. *Si excrementa indurata*, sunt hujus mali causa, optimè *conducunt clysteres* emollientes *ex Decocto Intestin. & omenti vervecis*, cum tantillo *salis gemmæ.*

Vel *Ol. sem. lini* ℥vj. in quibus ʒiß. *troch. alhand.*

parum

parum bulliit, injiciatur, & eodem oleo interea umbilicus inungatur.

Nec *Clysteres* alii *ex sem. carminativis, urina pueri* &c. sunt contemnendi.

Si motus peristalticus in Intestinis crassis inverti incipit, vel ab ipso podice, exhibeantur *Juscula gallinacea cum chamomilla decocta.* Vel & *Oleum amygd. recens ad* ℥iij. aut *Decoctum raparum, sive crudarum sive assatarum*, copiosè hauriendum detur.

VI. Si hæc omnia insufficientia deprehenduntur, ad excrementa remorantia promovenda, dentur globuli ex ☿*io* & ♄no fusi. Vel ☿ius vivus copiosè ingeratur, ad minimum ad ℥iv. vel ℔ß. agitando ægrum in curru, vel *imponendo Balneo ex Decocto fl. chamomill.* &c. parato; ut Mercurii operatio promoveatur. Quamprimùm verò ☿ius per alvum rursus rejectus est, detur ægro *Olei amygd. d.* ℥ß. *cum Olei anisi* gtt. aliquot.

VII. In supervenientibus animi deliquiis & spirituum prostratione, â fœtore, detur *spir. theriacal. cum vel sine camphora*, vel *vinum generosum. Aqua cinamomi* &c.

Reconvalescentes verò tractentur, ut puerperæ, â frigore non solum studiosè arcendo, sed victum imperando tenuissimum, & non nisi cochlearia aliquot *jusculi ex pullo gallinaceo* concedendo. Præterea *omnis potus sit calidus.*

Et ut æger à recidiva magis existat securus, semper excrementorum motus deorsum promoveatur per lenientia & laxantia, hunc in finem

℞. *Herb. menthæ.* m. j. *Summ. rorismar. Fl. chamom.* ā ā. m. ß. *Fol. sen. el.* ʒj. *Rhabarb. el.* ʒß. *Passul. min.* ℥ij. *cort. aurant.* ʒiij. *Zedoar.* ʒij. *cinam.* ʒ iß.

Incisa dentur ad nodulum, mensuræ vini infundendum: Et de hoc vino, singulis vel alternis diebus, dentur ℥iv. vel plures. Vel

Vel ℞. *Conserv. menthæ.*
Acori conditi ā ā. ℥ß.
Pulp. Passul. min. ℥j.
Rhabarb. el. pl. ʒij.
Ess cort. aurant. ʒiij.
M. detur singulo mane, quantitas Nuc. castan.

VIII. Si ab Hernia malum excitatur, *tum omni opera reponantur intestina*, vel manus aut *Empl. magnetici*, lumbis applicati, beneficio.

Si verò intestina delapsa, admodum sunt extensa, ut repositionem renuant, tum *pro fotu applicetur cataplasma, ex stercore ovillo, cum lacte dulci coctum*, ut tam intestina, quam eorum contenta emolliantur prius, & se reponi facilè, patiantur.

Vel hunc in finem *fila cruda, Decocto cumini immersa*, & expressa, quam calidè, abdomini admoveantur, ut intestinorum spasmus demulceatur, & repositio eò facilius procedat.

Ad fœces verò leniter educendas, & repositionem facilitandam;

℞. *Mannæ liquidæ* ℥iiß.
°° *amygd. d.* ℥j.
vini malvat. ℥iß.
M. detur calidè pro dosi.

Impo-

Impotentia Virilis.

I.

DIcitur, ubi penis erectio deficit. *Vel defectu Spiritum animalium*, dum hi musculos quatuor circa radicem penis, haud contrahunt, unde penis flaccescit.

Defectus verò spirituum animalium accidit, quando musculi dicti, cum nervis penis, paralitici fiunt, vel percussione circa nervorum originem, casu gravi super os sacrum, aut à nimia equitatione, &c. læduntur.

Vel fieri solet *ipsorum spirituum vitio*, quando vires universaliter exhauriuntur, ut in senibus, & ægris, vel ex terrore aut pudore perturbantur.

Sic etiam *aliquando ipsum semen deficit*, vel haud ritè turgescit, vel alio modo vitiatur.

Non raro etiam Maleficium sive fascinum subest.

II. Si ex defectu seminis oritur impotentia, in usum veniant talia, quæ succum chylosum pinguem suggerunt, qualia præbent *Lac, imprimis muliebre, Amygd. d. Pineæ, castaneæ, Ostreæ, conchæ, Succoladæ Indica. Vinum Hispanicum, Vitellum ovi recens, farcimina ex cristis & testiculis galli*, &c.

III. Si verò Spiritus nimis languidi in causa sunt, *conveniunt aromatica* varia, *ut Zingib. conditum, cinamom. cardamom. galang. garyophyll. cubebæ*, de hinc *Rad. satyr. maj.* & inde constans *Elect. Diasatyrionis, sem. erucæ, urticæ* &c.

Inprimis optimum est, *Sachari, piperis* aa ʒ ß *in lactis* ℥ij. propinatum; item *vinum malvaticum cum vitello ovi rec.* & aliquot gran, *ambræ* datum.

℞. *Conserv. Rad. eryng.*
Satyrionis aa ℥ iij.
Zingib. virid. condit. medull. nucis Indic. condit.
Cortic. citri condit. aa ℥ ß.
Nuc. Pini. pistac. aa. ℥j.
Sem. erucæ,
Pastinac. aa ʒ iij.
Rasur. Priapi tauri vel cervi ʒ ij.
Piperis albi,
Galangæ aa ℥ ß.

M. fiat Electuarium cum *brodii Zingib. vel nuc. Ind. condit.* q. s.

IV. Externè ante coitum inungatur glans, & spatium inter scrotum & penem, *Balsamo Apopl.* vel fiat *Balf. ex* ☍ *dest. garyophyll. cum moscho, & Zibetho,* &c.

Vel ℞. ☍ *N. mosch. expr.* ℥ß.
de Piperibus ʒ ij.
Spicæ,
Caryophyll. aa ℈ß.
Moschi gr. iiij.

M. fiat linimentum.

Incu-

Incubus.

I.

Est ſpaſmus partium reſpirationi inſervientium, unde *hypochondriacis & ſcorbuticis* in ſpecie ſolet eſſe *familiaris*, ratione lymphæ, nervos afficientis, & conſtringentis.

Læditur vero 1, inſpiratio in ſomno. 2. Senſus aut motus, cum metu ſuffocationis. 3. Depravatur loquela, dum anxii, boatus edunt, ſive ſonum inconditum, 4. adeſt præcordiorum anxietas, & 5. inſomnium cujusdam rei thoracem præmentis. 6. maculæ lividæ vel rubræ, cærulescentes in artibus, mane poſtmodum apparentes. 7. expergefactis remanet corporis tremor, & non raró celerrima diaphragmatis vibratio, cum totius corporis laſſitudine, cæteris phænomenis evaneſcentibus.

II. Cauſa eſt omne id quod thoracis motum reſpiratorium impedit, ſive ſit vitio objecti externi, ſive vitio nervorum motui inſervientium.

Illius ratione *in cubus* dicitur *accidentalis*, quando diaphragmatis liber motus impeditur, ex ſtomacho nimium repleto; Sic aliquando poſt eſum caſtanearum, & potum vini fœculenti, ac crapulam incubus contrahitur: Atque inde pueri nimia alimenta ingurgitantes vel diætæ craſſæ dediti, ſæpe incubo tentantur.

Sic & *illis frequens eſſe ſolet qui dorſo incumbunt*, unde diaphragmatis motus verſus inferiora inhibetur.

Habitualis autem Incubus, vitio nervorum reſpirationi inſervientium oriri ſolet, ex acido præter-

nat. lymphæ medio, ad cerebellum delato, & nervos respirationi inservientes, irritante, & leviores affectus paralyticos inducente.

Quod incubum accidentalem attinet, is parum periculi habet. *Sed habitualis*, Epilepsiæ, Apoplexiæ, aut melancholiæ prodromus sæpe esse solet, præsertim si etiam adest vertigo diurna; & si partim dormienti, partim vigilanti accidit. Deterior tamen est, si post excretiones, sudor frigidus, aut tremor cordis vel spasmus aut syncope sequitur.

III. *In Cura incubi accidentalis, optima sunt vomitoria*, dehinc *evacuantia helleborina cum ☿io dulci*; conducunt etiam *Pilulæ aloëphanginæ*, ante omnia verò *vitetur lauta cœna, & subitaneus post pastum decubitus.*

Incubus habitualis, curatur ad modum mali hypochondriaci, per martialia, dehinc per vomitoria, quibus subjungantur antiepileptica volatilia &c.

Ischu-

Iſchuria ſive *Urinæ Retentio.*

I.

V*El Renum, aut veſicæ vitio accidere ſolet.*

Renum officium cum ſit, laticem aquoſum ſale vol. ſalſo oleoſo prægnantem, ſecernere, & in urinam certo modo alterare, hinc negotio hoc fruſtrato, ſecretione nimirum abolita, præſto eſt iſchuria Renalis.

An verò ex Renum officio ablato ceſſet urinæ ſecretio, indicant ſequentia, nimirum, nulla adeſt veſicæ tumor aut tenſio, nullus pelvis dolor, aut perinæi gravitas, neque levamen ex immiſſo cathetere percipitur.

II. *Cauſæ vel in ſanguine, vel in Renibus ipſis deliteſcunt.* In ſanguine compages nonnunquam adeo firma & fixa exiſtit, ab acido ſui generis, ut nil laticis ſecerni queat.

In Renibus verò meatus renales, vel à calculo, ſanguine grumoſo, humoribus craſſis viſcidis purulentis &c. ita obſtruuntur, ut nullam urinam tranſmittant vel ſecernant.

Hæc verò Iſchuria *periculoſior eſt, veſicali*, & illa quidem *ſine dolore, pejor eſt doloroſa.*

Superveniunt verò ſymptomata varia, propter ſerum urinarium aliò translatum & ſtagnans, v. g. anxietas præcordiorum, torpor ſenſuum, vomitus, ſudores ac halitus urinoſi, tumores œdematoſi, aſcites, vel pathemata epileptica, &c. Et ſi hæc ſymptomata ultra ſeptimum diem extenduntur,

ægri

ægri ut plurimum intereunt, etsi denuò mejere incipiant; propter massam sanguineam infectam.

Si tamen vomitus crebrior accidit, vel sudor copiosè fluit, diutius supervivere possunt.

Sed si calculi majores in causa sunt, ut plurimum lethale est malum.

III. In cura hujus periculosi morbi, sanguis corrigatur, & crassities seri, emendetur; hunc in finem,

℞. *Spir.* ✱*ci urinosi* gtt. xv.
⊖*is* gutt. x.
⏀*i depurati* gr. vj.

M. detur pro dosi. Vide *Ephem. Cur. Dec.* 2. *Ann.* 6. *p.* 556.

Vel ℞. ▽ *Diuret. è nucl.* ℥ v.
R. ♀*i vel* ♉. ʒ ij.
Spir. ✱*ci* ʒ ß.
Syr. de althea ℥ ß.

M. detur sæpius cochleare.

Vel ℞, *Thereb. opt.* ℥ ß. solve cum s. q. *Vitelli ovi* & paulatim adde *Syr. de alth. Fern.* ℥ i ß *Vini malvat.* ʒ vj. M. laxat alvum, & urinam promovet in renum & vesicæ affectibus, teste *Ettmüll. comment. Ludov.*

Vel ℞. *Therebinth.* ℥ ß. *Vitelli ovi* num. j. *Sachari* ℥ ß *Vini Rhenani* ℥ v. & mixta dentur pro dosi. Purgat & impuritates obstruentes abstergit, testantibus *Ephem. Cur. Dec.* 3. *Anno* 4. *p.* 257.

Vel ℞. *Sem. Lycopodii* ℥ ß.
Syr. fragor. q. s. ut fiat Elect.

Vel ℞. ▽ *petrosel.* ℥ v. R. ♀*i* vel ♉. ʒ ij. *Bals. copaiv. Spir. thereb.* aa ℈ j. *Sp.* ⊖*is dulcis* gtt. xx. *Syrupi de alth.* ℥ ß. M. detur cochleatim.

Si

Si ſimul calculoſa adeſt diſpoſitio.

℞. *Abrotani pulv.* ʒj.
   ⊕ *i* pr. ℈ß.

M. detur pro doſi, experim. D. S. Pauli.

Vel ℞. *Opercul. cochlearum* ʒj.
   Ocul. ♋ ʒ ß.

M. dividatur in 2. p. æq. eſt inſigne diureticum, ita laudantibus *Ephem. Cur. Dec.* 1. *Ann.* 9. & 10. *p.* 207. 213.

IV. *Clyſteres etiam carminativi*, hic optimi ſunt.

℞. *Allii, cæparum* aa m. j. coquantur in ſ. q. ▽ *comm. Colaturæ* ℔ j. adde *Spir. thereb.* ☍ *C. C.* aa ℈ ij *mellis roſar.* ℥ ij. *ol. anethi* ℥ ij ß. M. fiat Clyſter, qui optime purgat & detergit. Vide *Ephem. Cur. Dec.* 3. *ann.* 4. *p.* 257.

V. Pro potu ordinario detur *Decoctum juniperi bacc. alkekengi*, cum *parum macis* paratum.

Poterit aliquando intermediari Emulſio ſequens.

℞. *Sem. violar. purp.* ʒ iij.
   lithoſpermi ʒ i.

Cum ſ. q. *Aq. petroſel.* fiat emulſio, cui adde pl. *teſt. ovor. ſtruthionis* ʒj. edulcoretur parum & pro lubitu detur.

Quomodo calculus ſit removendus, ſi hic mali hujus cauſa exiſtit, videatur de Calculo.

Iſchu-

Iſchuria Veſicalis.

I.

TUnc adeſt, ſi Urina ex renibus in veſicam quidem defertur, *ſed ibi retinetur*, cum dolore & tenſione graviſſima, & fruſtrato urinam mittendi nixu, quæ comitatur tumor & protuberantia veſicæ. Accidere verò ſolet malum hoc, vel orificii veſicæ, vel canalis urinarii vitio.

Veſicæ vitio fieri ſolet, ubi hæc paralyſi vel ſtupore afficitur, vel ex mora diuturniore in frigida, luxatione vertebrarum, læſione ſpinalis medullæ circa os ſacrum &c. exoritur.

Nonnunquam etiam à Calculo orificium veſicæ ita occluditur, ut ne gutta quidem urinæ elabi queat, maximis cum doloribus & anxietatibus.

Sic & fibræ veſicæ à nimia diſtentione ita poſſunt relaxari, ut ſe conſtringere & urinam propellere haud queant amplius.

Ratione canalis urinarii, poteſt retineri urina in veſica, dum vel tumore, aut inflammatione colli veſicæ, vel calculo, pituita viſcida, ſanguine grumoſo, carunculis, & ſimilibus, occluditur & obſtruitur.

II. Si tamen malum *ex veſicæ paralyſi*, aut nimia ejus diſtentione exoritur, cæteris periculoſior exiſtit.

In curatione, ſi *à paralyſi dependet malum*, malvaticum juniperinum, *Ol. deſt. juniperi, therebinth. ſuccini* &c. Vel & *antiepileptica, cinnabarina & anodina* conducunt.

Exhibeantur etiam purgantia, per conſenſum veſicam ſtimulantia, vel & *clyſteres primò leniores, dehinc acriores*, injiciantur. Vel ℞. *Herb.*

℞. *Herb. parietariæ* m. ij
▽ *petroſel.* q. ſ. coquantur in putrilaginem, adde
Olei ſcorpion. ſ. ʒ ij.
M. & pubi applica.
Vel ℞. *Cepar. alb. crud.* num. vi.
Capit allii num. iiij. *contuſis adde*
Pingued. anſerin. ℥ j.
℘ ſcorpion. ℥ ß.
juniperi ʒ ij.
M. & pubi calide applica.

Vel fiat inſeſſus ex *Herb. malv. alth. meliloto, hadera terr. Fl. chamomill. ſtramine fabar. bacc. juniperi* aa q. l. inciſa coquantur in aqua pro Balneo.

III. Omnibus vero his fruſtra tentatis, *immittatur catheter*, ſi poteſt haberi coriaceus, & immiſſus retineatur per tempus, ut ſemper urina effluat, donec interea fibræ, tonum ſuum rurſus recuperant.

Lethar-

Lethargus.

I.

LEthargus, Carus, Coma Somnolentum, *sunt gradus ad Apoplexiam ducentes.*

Levior gradus est *Somnolentia continua*, hanc excipit *Coma somnolentum*, ubi ægri sæpè longo tempore sopore jacent detenti, ore hiante, sed suscitati expergiscuntur, & ad interrogata quidem respondent, subitò verò rursus somno opprimuntur.

II. *Lethargus verò*, fortior gradus, tanto sopore ægros obruit, ut excitari vix queant, & leviter affecti, quoad memoriam ita debilitantur, ut reconvalescentes tandem, proprii nominis vix recordentur. Accedit sæpè respiratio difficilis, cum Febricula, & tussi.

III. *Carus proximus ad Apoplexiam gradus est*, ubi ægri neque sentiunt, neque audiunt, nisi compuncti, jacent sine sensu & motu, & levi opera planè fiunt Apoplectici.

Pulsus verò in his affectibus non aboletur, prout in syncope fieri solet.

IV. Causa est *Spirituum animalium generatio vel secretio læsa*, ob humorum circulantium crassitiem nimiam, & inde introductam obstructionem, tubulorum nerveorum &c.

In his periculi plenis malis *æger excitetur*, quo modo hoc etiam fieri queat, *per clamores, vesicatoria applicata*, per *sternutatoria*, *clysteres acriores*, *spir.* ✱ *ci naribus admotum*, & interna varia, de Apoplexia tradita.

Liente-

Lienteria.

I.

EST singulare vitium digestionis primæ, ubi *alimenta, prout sunt assumta, immutata*, & ad prænaturam excretionem stimulata, *per alvum rursus egeruntur*; eâ formâ, ut cibus ipse adhuc cognosci queat.

II. In causa est *lymphæ stomachalis vel defectus, aut inertia*, sive spiritibus haud informata, & acuata lympha gastrica. *Vel etiam Pylori tanta laxitas*, ut alimenta etiam immutata, citius quam par est dilabi permittat, nec diu retineat; præcipuè ea quæ stomacho molesta, & ad irritationem simul apta sunt; qualia sunt sale acri scorbutico prædita. Sic & potus nimius lympham nimium diluens, non rarò in causa est, & ad excretionem intempestivam stimulat.

Id quod & præstant contenta stomachi vitiosa, aut ex fructibus horæis acore singulari impraegnata, vel à fungis, aut veneno alio assumto, genita.

Non rarò etiam singularis aeris constitutio prava, *lienteriam Epidemicam* accersit.

Sic & *Lienteriam sæpè cœliaca passio antecedit*, utpote facili operâ in eam degenerans, & haud multum ab ea distans, neque differens, nisi quod in Lienteria excernantur alimenta immutata, in cæliaca autem mutata, licet variè corrupta; tum & quod in lienteria, alvus statim post assumta alimenta remittat, in cæliaca autem passione non prius solvatur, nisi quando excrementa aggregata stimulant, & copiosam alvi dejectionem excitant, &c.

III. Malum est satis periculosum, utpote à de-

fectu spirituum, sive caloris nativi, & toni ventriculi debilitate proveniens. Et quoniam universo corpori hâc ratione nutrimentum conveniens subtrahitur, facile *atrophia*, *vel cachexia*, *aut hydrops*, præcipuè tympanitis, sequi solent.

Et si morbis acutis, vel chronicis, præcipuè hecticis supervenit, difficillimè curam admittit, cum vires tunc adhuc sunt admodum dejectæ & prostratæ.

Si verò diuturnis Lienteriis *ructus acidi* junguntur, qui ab initio non aderant, denotat, ventriculum operis sui reminisci, & non amplius permittere, ut cibus transeat omnino indissolutus, vel indigestus.

IV. In Curatione notetur, quod, *si ex nausea constet, ruditates viscidas* tunicas ventriculi lubricas tenere, tum admodum conducere queat vomitus ritè institutus,

Vel si vomitus haud convenire videtur, in usum veniat *Rhabarbarum*, *Pilulæ mastichinæ* &c. utpotè abstergentia & adstringentia simul.

Dehinc in usum veniant, *Amara*, *Aromatica ex Absinth. card. ben. menth. N. mosch. galang. cal. arom. macere, mastiche.* Nec blande adstringentia, & tonum ventriculi restituentia negligantur, *ex cydoniis, mespilis, sorbis, cornis, ribesiis* &c.

℞. *Carnis cydon. condit. Nuc. Indic. condit. Zingib. condit. Cort. citri condit.* aa. ʒß. *Rob. è cornis* ℥j. *Elix. ♃li M.* ʒij. M. fiat Elect. de quo detur sæpius nucis castan. quant.

V. Externe ventriculi regio inungatur *oleo nardino, absinth. menth. N. Mosch.* &c. & desuper imponatur *Empl. de crusta panis, de baccis lauri*, &c.

In Diæta potus sit paucus, & quidem *vinum amaricantibus & stomachicis* aliis impрægnatum & aromatisatum. Plura suppeditabit titulus de Diarrhœa.

Mania

Mania.

I.

EST imaginationis & ratiocinationis *ſingularis perverſio*, ſine timore & febre, ſed cum audacia, iracundia, furore, jurgiis &c. ſecus ac *in melancholia, quam timor & mœror ſaltem comitantur*, cum deliriis, vel riſu, vel fletu mixtis.

Melancholia tamen eſt proximus ad Maniam gradus, & facili operâ degenerat in Delirium cum ferocia & furore, ſive in maniam vel tantam animi perturbationem, ut beſtiarum inſtar obvios invadant, veſtes proprias dilacerent, vel ſibi ipſis violentas manus inferant.

Præterea *pertinaciſſimè vigilant Maniaci*, & inuſitato atque admirando corporis robore valent, famem pertinaciter ferunt, aſpectus oculorum eſt torvus & truculentus.

II. Malum quidem per ſe lethale haud eſt, niſi ægri ſibi ipſis violentas manus inferant, vel alii morbi accedant; ſed curatu tamen difficillimum eſt, & plerumque ad mortem uſque comitatur, cum in tanto perturbato animi ſtatu, medicamenta vix admittant.

Solet etiam malum hoc ſæpe certis temporibus hominem corripere, vel *propè Lunæ phaſes*, aut verno vel autumnali, in ſpecie verò æquinoctiali tempore, & diebus canicularibus, ubi ſæpè maximè ſævire ſolet, præcipuè ſi malum nunc inveteratum eſt; vel & *vinum, vindicta, ira, aut triſtitia* &c. occaſionem dederunt.

III. In cauſa ſunt, *ſpiritus animales ſive nervei*,

craſſi, acres, acidi, qui quando ad motum ſunt concitati, elaſticitatem adeò pertinaciter retinent, ut ad quietem poſteà difficillimè rurſus reduci queant.

Nonnunquam cauſam remotam fovent, *ſanguinis evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ*, ulcera inveterata clauſa, Epilepſia, & in ſpecie Philtra, quæ maniam ſæpè inducunt, nulla melancholia prægreſſa.

IV. Bonum eſt, & ſalutem promittunt, ſi inſignis fit per ſudorem, aut alvi fluxum evacuatio, aut hæmorrhagia copioſa è naribus hæmorrhoidibus, utero, varicibus, vel & hydrops aut dyſenteria ſuperveniunt.

V. In Curatione *reſpectus habeatur paroxyſmi præſentis*, in quo omni modo laborandum, ut nimia ſpirituum elaſticitas concentretur, & hi ad quietem diſponantur rurſus.

Hunc in finem *propinetur vomitorium ſatis validum*, dehinc alternis diebus in diverſis locis inſtituatur *V. ſectio*, imò utrorum temporum arteriotomia. Exemplum habent *Ephem. cur. Dec.* 3. *Anno* 4. *p.* 256. *ubi V. ſectio alternis diebus*, ad duodecimam vicem fuit reiterata. Ubi etiam omnibus aliis irritis tanquam ſingulare ſpecificum laudatur *Cerebrum canis cum pipere, cinamomo, macis, ſale & butyro*, inſtar cerebri vitulini conditum & comeſtum.

VI. *Ad vigilias pertinaces*, propinetur *Laudan. opiat.* ad gr. iv. vel pulveribus abſorbentibus admiſceatur.

V. g. ℞. *Ocul.* ♋. pr. *Margarit.* pr. āā. ℈j. *Cinnab. nativ.* pr. ℈ß. ⦶ *i prti.* gr. xv. *Camphoræ* gr. iij. *Extr. Opii* gr. ij. M. detur pro doſi ſæpius reiteranda.

Vehiculum poteſt eſſe *Aqua Hyperici*, vel *Decoctum*

coctum anagallidis flore purpureo, quæ aliàs hic specifica audiunt.

Alii in arcanis habent *sanguinem asini ex venis post aures emissum*, quæ linteolis mundis excipiunt, eaque siccant, postea ex his partem duos digitos latam & pollicem longam accipiunt, & in haustu aquæ fontanæ, vel si adest, ▽ anagallidis macerant, & hanc manè tribus diebus exhibent, & curant, ut æger sudet.

Præ aliis verò *Nitrum*, *tam in potu ordinario, propinatum, quam & in aqua nymphea solutum, & camphorâ additâ*, cum petiis capiti applicatum, optimum est, vel loco aquæ nympheæ, optimè sumitur *succus cancrorum*, *sedi majoris*, &c. aut *Balsamum* ♄ni fronti & temporibus inungatur.

VII. Inter externa maximi etiam effectus sunt *Canteria suturæ coronali applicata, vel & hirudines* ad tempora vel post aures, & anum, si ab hæmorrhoidibus suppressis, apposita.

Paroxysmo sedato, causa originalis impugnetur ex capite de Melancholia, ubi *vomitoria*, *acidulæ, aut* ♂*ialia* alia, sacra erunt anchora, utpotè quæ alternis vicibus, cum validis purgantibus veniant in usum, ad mucum viscidum eo magis colliquescendum & eliminandum.

Melancholia.

I.

Est Maniæ levior gradus, sive insania vel delirium sine furore & febre, cum timore tamen & tristitia, contra ac in Mania, in qua ægri delirant cum furore.

Melancholici verò ad levissimum strepitum sæpè exhorrescunt, & de hoc vel illud agendo, tam graves instituunt deliberationes, ac si de bello suscipiendo, vel de vita esset agendum. Nec antiquitas fabulosa tot metamorphoses excogitavit, quas melancholici de se ipsis credunt: his namque vigilantibus accidit, quod aliis sanis somniantibus.

Nonnulli delirant de rebus divinis, putantes se non posse esse beatos, *vel delirant de rebus humanis*, ubi se Reges, vel mortuos esse credunt, vel nates habere vitreas, aut se esse granum tritici, &c.

Cum verò Melancholici sic saltem morbo judicii laborent, hinc de cætero plerumque sani sunt.

Nonnullis delirium fixum est, circa unum saltem objectum, ubi alii pluribus absurdis sunt intenti.

II. Causa proximior consistit *in humorum circulantium crassitie singulari*, fluido nerveo laudabili generando ineptâ.

Fluidum verò hoc nerveum sive spiritus animales, crassitie peccantes, & singulari modo elastici, vestigia cogitationum absurdarum adeo pertinaciter cerebro imprimunt, ut difficillimè inde possint removeri.

Cogitationes verò fortes & diuturnæ de amore, vindicta &c. vulgò ad melancholiam disponunt, & potis-

potiſſimam occaſionem addunt: *dum ſpiritus taliſmodi continuis cogitationibus occupati ita diſponuntur, ut impreſſas tales perverſas ideas continuò animæ proponant, & deferant.*

Aliquando tamen *Malum hypochondriacum* cauſam ſuppeditat, vel & *Epilepſia* illam relinquit, aut menſes ſuppreſſi occaſionem addunt.

III. Eventum mali quod attinet, idem ferè experitur fatum ac Mania, cum eos, quos ſemel prehendit, ſæpe ad mortem uſque comitari ſoleat.

Si tamen Malum hypochondriacum, aut menſes ſuppreſſi ſunt in cauſa, tunc ruditatibus acidis viſcidis &c. correctis, eliminatis, & obſtructionibus ſublatis, aliquando reconvaleſcunt rurſus.

IV. *Cura* ergo ab initio *inchoetur ruditates acidas* primarum viarum *corrigendo* edulcorantibus, de malo hypochondriaco præſcriptis; dehinc evacuando vomitoriis reiteratis, vel & purgantibus, pro muci vel viſcidi conſtitutione, ſatis validis; pro hoc ſcopo Practici admodum extollunt *Extractum Colocynthitis*, *cum* ☿*io dulci* &c. combinatum, e.g.

℞. *Extr. Helleb. nigr.* ℈ß. *Colocynthit.* gr. iij. *Scammon. ritè* prti. gr. vj. ☿ *dulcis* gr. xij. M. fiant Pilulæ pro doſi.

Vel ℞. *Extract. Colocynthit.* gr. v. *Diagrid.* ♆. *Reſ. Jalapp.* aa. gr. iij. ☿ *dulcis* gr. iix. M. fiant Pilulæ no. 9. pro doſi.

V. Obſervandum tamen hic erit monitum *Williſii*, *qui prohibet frequentia cathartica*, ſed ſufficere ait intra 6. aut 7. dies, ſi opus, ea repetere.

Sed cum laxa alvus hic ſemper levamen afferat, & flatus incarcerati, à quibus dolores hypochondrii ſi-

niſtri cauſari ſolent, inde proſcribuntur, hinc *Clyſteres hic ſunt optimi uſus & effectus.*

Quibus intermedietur *Pulpa Paſſularum min. cum limatura ♂* in Electuarium redacta, poſt horam deſuper bibendo *ſeri lactis* bonum hauſtum &c.

VI. *Si poſt menſium ſuppreſſionem* Melancholia exoritur, tum ea veniant in uſum, quæ eas reſtituunt, e. g.

℞. *Chalybis ſubtiliſſ.* pl. ℥j. *Borracis* ʒij. *Cinamomi acuti. Caryophyll. Croci* ā ā. ʒj. *Sachari ad pondus omnium.*

Dentur mane & veſperi tres cultelli cuſpides, ſemper incipiendo 14. *dies ante novilunium* & ad dictum tempus continuando; intermediatis intereà purgantibus modo laudatis.

His in caſibus dabilibus, optimi etiam effectus eſt *ſpir. ✱ci ♂iatus, ⊖ vol. oleoſ. Eſſ. croci cum camphora & opio; Elix. Polych. Eſſ. fuliginis* &c.

VII. Sic & æſtivo tempore *ſacra anchora ſunt acidulæ, & Thermæ*, legitimo modo potæ.

Ubi tamen acidulæ haberi haud poſſunt, locum eorum nonnunquam egregiè ſupplet *Serum lactis caprini* per dies 14. vel ultra bibitum. Obſervarunt enim Practici, liquida, vel multâ aquâ diluta, hic feliciùs operari aliis, utpote quibus non tantum lympha viſcida eo melius diluitur, ſed & acidum eò magis eluitur, & infringitur. Hac ex cauſa etiam *Serum lactis debet ſumi majore copia*, nimirum ad ℔iij. vel plures, eadem methodo ac bibuntur acidulæ, modo ventriculus non adeo ſentiatur debilis.

In minori enim doſi parum præſtant, quoniam obſtru-

obſtructionis materiam, neque per alvum, nec urinam educunt.

Præcipitatur autem *Lac Caprinum in ſerum, cum ſucco citri, vel tamarindis.* Poſtea optime aliquando ſumitur cum *admixto ſyrupo de cichor. cum Rhab.* vel & *ſucco naſturtii, beccabungæ, acetoſæ, acetoſellæ, cochleariæ, cichorii, citri* &c. recenter tamen expreſſis: Sic egregiè his temperatur viſcerum calor; vel humorum acrimonia alcalica cicuratur.

VIII. Si malum ab aliis cauſis fuit enatum, & Judicium v. g. ex amore, ira, vindicta, adeo inverſum fuit, ut abſurda continuò mentem detineant occupata, ex repetita cogitatione, tum callidis & doloſis admonitionibus exerceantur, jucundis ſodalitiis aut ſtudiis divertantur, vel ut earum obliviſcantur, per mare aut terras iter cum eis inſtituatur.

IX. Si quis delirio ridiculo exerceretur, & putaret ſe non habere caput, ei imponatur pileus plumbeus, aut colaphus injiciatur, ſic forte ſentiet ſe capite non carere, vel ſi quis ſe eſſe granum tritici crederet, prout tales fuerunt, his ex improviſo aliquot gallinæ in cubiculum mittantur, & janua clauſa teneatur, ut ſic falſa imaginatio divertatur, &c.

Menſium emanſio.

I.

MEnſes ſi nec tempore debito, neque in debita quantitate fluunt, menſium emanſio audit.

Et fit *vel naturali modo*, plerumque poſt 49. ætatis annum, vel geſtationis & lactationis tempore, aut illis qui à gravi malo reconvaleſcunt, vel ubi ſanguinis evacuatio alia præceſſit &c.

II. *Præternaturaliter verò fit*, ferè ſemper, propter cruditatem ſive viſciditatem, & minus fermenteſcibilem diſpoſitionem, circulantium humorum; Cruditatis verò cauſa interna eſt indigeſtio, & cruditas acida ſtomachi.

III. Cauſæ aliæ externæ, ſunt *frigus pedum vel ſtomachi ſuſceptum*, vel imminente aut præſente menſium fluxu; nec non *ingeſta acida, Lac, panis recens*, item *triſtitia, metus, terror*, & ſimilia ſanguinis turgeſcentiam inhibentia.

IV. Symptomata quæ hunc defectum comitantur, ſunt *difficilis anhelitus*, dum moventur, *cum laſſitudine univerſali*, præcipuè circa lumbos, cum dolore tenſivo gravi: præterea *color faciei floridus perit*, oculi tument, tandem *accedit pica*, & perfecta cachexia.

V. Si fit emanſio menſium, *à vaſis uteri obſtructis*, tum ſtatis temporibus, quibus fluere conſueverunt, adſunt lumborum dolores, tenſiones & pulſationes, circa regionem pubis, vel & circa hypochondria, & in artubus, aut murmura, borborigmi, & dolores lancinantes in lumbis, &c.

Hæc verò omnia indicant, ſanguinem quidem

tur-

turgescere, sed impedimentum hærere in vasis obstructis; secus, quam si nullam patiuntur alterationem, illo tempore, ubi vitium hæret in sanguine haud legitime turgescente.

VI. Mox verò, & ab initio quidem succurratur naturæ, ne invalescente malo cachexia confirmata vel hydrops sequatur, aut per vias extraordinarias sanguis exitum moliatur.

VII. Sed cum malum hoc, symptomata plura, cum prægnantibus communia habeat, appetitum nimirum prostratum, vomitum, picam, &c. hinc probe inquiratur, num mensium emansione laborantem, vel prægnantem præ manibus habeas.

Difficulter tamen hoc sæpe cognoscitur, nisi successu temporis id patescit, ubi nimirum prægnantium symptomata, de die in diem minuuntur & sensim cessant, quæ verò in emansione mensium potius augentur & ingravescunt.

VIII. *Ab initio verò curationis, semper à mitioribus incipiendum*, & quidem talibus quæ aperiunt, attenuant, & leniter evacuant; in hunc finem præ aliis conducit vinum aliquod medicatum, e. g.

℞. *Herb. Card. ben.*
marrub. albi.
arthemis.
rorismarin. aa m. ß.
Fl. cent. min.
cheiri,
chamomill. aa p. ij.
Rad. rub. tinct.
aristoloch. rot. aa ʒ ij,
Fol. sen. elect. ℥ j.
Rhabarb. el. ℥ ß.

Cassia

Cassiæ Lign. veræ ℥ iij.
Cort. aurant. ℥ ij.
Macis ℈ ij.
Croci ʒ ß.
♂ *cum* 🜍 pr. ℥ ij.
🜂 *i crudi* ℥ vj.

Incisa dentur in nodulo pro *vini generosi* mens. una semis.

Incipiat verò ægra de hoc vino bibere, singulo mane ʒ v. à plenilunio, ad novilunium usque.

Vel ℞. ♂ *cum* 🜍 *e* pr. ʒ iij.
Rhabarb. opt. ʒ ß.
Herb. card. ben.
cent. min. aa m. j.
Cort. aurant. ℥ ij.
Macis ℥ ij.
Croci ℥ j.

Incisis, contusis, & nodulo inclusis, superaffunde *vini generosi* ℔ vj. stent in infusione 4. diebus, tunc singulo mane propinentur ʒ iiij. vel v. subsequente motu.

IX. *Si ex nausea*, & inappetentia, patet, ruditates pituitosas aut biliosas in primis viis turgere, tunc *vomitoria omnem absolvunt paginam*. Postea verò ad reliquias tollendas si adesse hariolantur, vel præscriptum vinum aperitivum, aut sequentes, vel similes *Pilulæ* optimè resolventes veniant in usum e.g.

℞. *Gummi Ammon. vino soluti & inspiss.* ℈ ß.
Extr. trochisc. alhand. gr. iij.
Scammon. correcti gr. v.
☿ *dulcis* ℈ ß.
Myrrhæ r. el. gr. v.

M. fiant Pilulæ pro dosi.

X. Pri-

X. Primis viis sic optimè depuratis, ad sanguinem ulterius corrigendum, & acidum destruendum, vel absorbendum.

℞. *Spec. Diaturbith. cum Rhab.* ℥ ß.
Limatur. vel Croci ♂ ʒ ij.
Borracis ʒ j.
Cinamom. ʒ i ß.
Macis,
Croci aa ʒ ß.
Sachari albi ℥ j.
M. detur dos. ℥ j. cum vino malvat.

In Ephem. Cur. Anno 5. *Dec.* 2. *p.* 236. admodum laudatur, si *Pomum aurantium excavatum Croco impletur*, dehinc chartæ madidæ involutum sub cineribus coquitur, coctum ℔ iij. *vini generosi* imponitur, ac de hoc tunc sæpius cochlearia 4. vel 5. hauriuntur.

XI. *Si adest plethora*, & dolores artuum gravativi, aut difficilis respiratio urgent, *secetur vena*, & quidem in brachio, si instant menses; ubi aliàs si fluentes ex improviso cessant, in pede ea secanda erit.

Instituatur verò Venæ sectio 4. vel 5. diebus, ante tempus, quo aliàs fluere consueverunt: & si ægra tempus hoc nescit, nec animadvertit, secetur vena 3. vel 4. diebus ante novilunium.

XII. Si emansio mensium *ex nimia refrigeratione* ortum traxit, optimè præscribuntur *salia volatilia oleosa*, quale hoc est,

℞. *Salis vol. C. C.* ʒ ij.
♀*i*,
Fl. ✱*ci* ♀ *sat.* aa ʒ i ß.
🜍 *succini*,

🜍 *sa-*

℞ *savinæ* aa ℈ j.
macis,
cinamomi aa ℈ß.
Probe mixtis & tritis affunde
Essent. myrrhæ ʒ ij.
croci,
castorei aa ʒ ß.
M. & sæpius exhibeantur 30. 40. vel 60. gutt.

XIII. *Si dolor uteri gravissimus* ex coagulato sanguine exoritur, aut ex subitaneo animi terrore contrahitur, optime etiam conducit *decoctum chamomillæ*, & *salia volatilia oleosa*, præcipuè si mensium paucitatem comitantur anxietates, palpitationes cordis, difficilis anhelitus & dolor lumborum pulsatorius.

Vel ℞. *Borracis* ʒ ß.
Myrrhæ gr. xv.
Cinamomi ℈ j.
Croci ℈ ß.
M. divide in 3. p. æq.

Conducit etiam R. *vitrioli* ♂ *Zvv. cum Essent. croci & castorei, Spir.* ✱*ci, liquore C. C. succinato*, &c.

Si verò menses fluunt cum dolore, detur *decoctum flor. chamomillæ, cum cinam. & croco*; calide, & *sacculus ex chamomilla*, & carminativis aliis, *in vino coctus & expressus*, calidè applicetur regioni pubis.

Et puellis, in quibus nunc expectatur mensium fluxus, detur singulis septimanis *Crocus cum vino calido, vel Theriaca, aut Spir.* ✱*ci, vel sal. vol. ol. cum Aq. pulegii*; aut supra doctum vinum medicatum, vel cum, vel absque laxantibus.

In puellis verò, quæ prima vice menses fuerunt expertæ, non semper adhuc legitimum tempus observat fluxus, sed nonnunquam per tempus rursus

emanet, postea verò redit, quoniam lactea sanguinis pars adhuc magna in copia ad corpus augendum insumitur, *propterea cautè tunc procedendum est*, & nisi male se habere observentur, legitimum tempus expectandum.

XIV. Aliàs *si instantibus mensibus, alvus obstructa existit, applicentur clysteres*, & *jusculum carnis* in diligenti sit usu, *cum radicibus petroselini, asparagi, fœniculi, macere & croco* decoctum.

Præterea *acidulæ hic sæpe sunt sacra anchora*, aliis nil juvantibus; *& præ his Thermæ*, pro potu & fotu sive balneatione in usum tractæ.

XV. *Neq; externa* alia hic sunt negligenda, sic aliquando menses egregiè ciet *suffitus ex scoriis Reg. ♁ in Spir. vini solutis*, tunc lateri candefacto affusis, per infundibulum utero exceptus.

Vel ex *urina antiqua scoriis & candefactis affusa*.

Sic & *pubis ac Ilii regio illinatur oleo cheiri, oleo diacolocynth.* cocto, & *oleo sabinæ & spicæ acuato*.

XVI. In Diæta, medicamentis victus ratio respondeat, *Panis semine anisi, fœniculi, vel cumini sit conditus*, bene fermentatus, & bene coctus: Et cibi condiantur *petroselino, satureja, roremarino, cinamomo* &c.

Pro potu in usum veniat *decoctum cicerum rubror. cum croco*. Exercitium sit frequens, & somnus moderatus.

Men-

Mensium nimius Fluxus.

I.

SI menses debitò copiosius fluunt, ita ut mulier inde debilitetur, tum in considerationem venire debent, dantur enim constitutiones vegetiores, sive plethoricæ vel scorbuticæ, quæ absque debilitate diuturnos ferunt fluxus.

Nimios ergò menses esse, præ aliis signis, indicat virium imbecillitas, ita, ut virium regulâ unicè sit metienda fluxus redundantia.

II. Causa verò vel *in sanguine, vel utero* quærenda venit. *Peccat* verò hoc in negotio *sanguis*, vel *effervescentia* aut ebullitione nimia, *ex aëre fervido, exercitiis nimiis, ira, salacitate, potu generoso* &c.

Vel *nimia fluxilitate serosa*, aut ex stomacho, alimenta nimis colliquante, vel *ex renibus, serum haud rite secernentibus*, ut in scorbuticis.

Vel ab acrimonia acido-salsa seri, vasa uterina erodente &c.

III. Ratione uteri in causa est *nimia vasorum uteri dilatatio, vel apertura*, aut ex sublatione oneris gravioris, cum forti nisu; aut ex sternutatione violenta, durante præprimis mensium fluxu: vel & ex abortu, partu difficili, &c. enata.

IV. *Si ex nimia sanguinis turgescentia* malum oritur, sanguis solet esse floridus & bonus. Sed si ex vasis nimium hiantibus, tunc brevi grumescit. Ubi verò dependet à nimia sanguinis serositate, tenuis effluit, & tardè grumescit, vel loturæ carnis est similis, aut linteo exceptus, circulum facit pallidum.

Si

Si ſanguinis acrimonia eſt in cauſa, conatus ejiciendi, cum pruriginis & roſionis ſenſu adeſt.

V. *In curatione*, turgeſcentia ſanguinis, acidis coercenda eſt, fluiditas & acrimonia corrigenda, & viæ patulæ conſolidandæ, & firmandæ ſunt.

Si tamen nulla ſupervenit debilitas, malum non eſt curandum, ſed naturæ relinquendum.

Turgeſcentiam ſanguinis optimè coërcent acida.

Vel ℞. *Aq. plantag.* ℥ iiij.
Aceti acerrimi ℥ ij.
Corall. r. pr. ʒ i ß.
R. anodin. ʒ j.
Syr. myrtini vel corall. ℥ ß.

M. dentur ſingulis horis cochlearia tria.

Spir. vitrioli cum aqua plantaginis etiam optime temperat ſanguinis turgeſcentiam.

Nec martialia hic ſunt excludenda, quoniam præter vim abſorbendi, adſtringendi etiam vires habent.

Omnibus hoc in negotio ferè palmam præripit *Tinctura antiphthiſica dicta, cum decocto Tormentillæ, millefolii, vel aqua plantag.* ſumta &c. & ſi dolor abdominis è regione uteri adeſt cum vigiliis, detur *Tinct. anodina* cum aliis remixta.

Vel ℞. *Tinct. croci,*
anod. aa ʒ ij.
Camph. ʒ j. *in* 🜄 ℥ ß. diſſolut.

M. dentur 30. gtt. ſexies in die, cum *Aq. cinnã fortis*, & *Aq. hordei* aa p. æq.

Hoc remedio admodum reficiuntur vires & dolor cicuratur.

Ex ſpecificis magis famoſus eſt, *Succus ſtercoris ſuilli, cum* 🜄 *plantag.* & *ſyr. myrtino propinatus.*

Sic ℞. *Stercoris suilli* ℥ ß.
Aquæ plantag. ℥ iij.
mixtis & expressis adde
Syrupi myrtini ℥ ß.
M. & detur reiteratis vicibus.

Vel & *Stercus suillum, cum Aqua fervida subactum*, & in forma cataplasmatis abdomini applicatum &c. tanquam expertum laudatur.

Hujus loco alii, adstringentes commendant fotus. e. g.

℞. *Cortic. granat.* ℥ ß. *Rad. Tormentill.* ℥ j. *Fl. rosar. rubr. balaustior.* aa m. j.

Coquantur in *Aqua Ferrarior.* ℔ iij. ad consumpt. ℔ j. Colatura detur pro fomentatione bis in die tepide applicanda.

Mictus Cruentus.

I.

EST depravata urinæ ſecretio, ubi urina ſanguine mixta, vel loturæ carnium ſimilis, vel plus, minus, nigreſcens, excernitur.

Sanguis vero talis ut plurimum ex renibus, nonnunquam ex veſica aut pene effluit.

II In cauſa eſt *arteriolarum* ad vias urinarias diſtributarum *apertio*, vel *eroſio*.

Apertura autem ſive anaſtomoſis talis, *vel critica eſt*, poſt ſanguinis evacuationes ſolennes ſuppreſſas, vel ſymptomatica poſt artus amputatos, aut febribus ardentibus accidens.

Talem verò mictum cruentum ex anaſtomoſi, comitari ſolet dolor gravativus, & tenſivus in loco anaſtomoſeos perceptibilis.

III. *Frequentior verò cauſa mictus cruenti* eſt ab eroſione, à ſero acri, ſcorbuticis præ aliis familiaris, vel & à calculo, ulcere renum & veſicæ, cantharidibus, abuſu aloës &c.

IV. *Eventus hujus mali* ſatis periculoſus eſt, ſi ex renibus eroſis, vel horum imbecillitate contrahitur, nec minus periculoſus eſt, ſi à veſica dependet, quia tunc facile periculoſa urinæ ſuppreſſio accidere poteſt, &c.

V. *In curatione* conveniunt ea, quæ ad hæmorrhagias alias commendari ſolent.

Semper tamen reſpectus habeatur ad acrimoniam ſeri urinarii, utpote cujus acrimonia omnem mictum cruentum exaſperat.

Q 2 Hunc

Hunc in finem bis de die ſumatur *decoctum contra mictum cruentum Mynſ.* Vel

℞. *Aq. portulac.*
plantag.
agrimon. aa ℥ij.
Tinct. corall. cum cera parat.
Terræ catechu aa ʒ iß.
Syr. de ſymphyto ℥ ß.
M. detur ter de die cochleare unum aut alterum.
Præterea commendetur quies.

Nephri-

Nephritis.

I.

IN ſpecie *eſt dolor renum, abſq; calculo affligens*, ab humoribus crudis viſcidis ſive acido-auſteris renes obſtruentibus.

In genere verò eſt renum dolor, à calculo excitatus.

II. Fieri verò ſolet, ut aliquando partes rudiores acres viſcidæ diutius cum humoribus reliquis quiete circulum abſolvant, à fortiori verò motu vel exercitiis eructentur, & vel ad renes delati, & inibi ſubſiſtentes, dolores excitent, hinc vel mictionem frequentiorem, vel mingendi difficultatem, cum ardore, ſtranguria, colica nephritica &c. inducant.

Hoc verò malo illi potius obnoxii ſunt, qui cruditate acida laborant.

III. In cura, ad paroxyſmum demulcendum, diligenti in uſu ſint *Clyſteres*, *cum carminativis aliis*, e. g.

℞. *Aq. Menthæ,*
carminativ.
Zedoar. aniſ. aa ℥i ß.
Eſſ. carminativ. W. ʒ ij.
Tinct. ♀. vel ♁.
anod. aa ʒ j.

M. dentur ſæpius cochlearia aliquot. Plura vide de Calculo.

Ophthalmia.

I.

EST vaſorum tunicarum oculi inflammatio, ſive obſtructio, cum calore, rubore, dolore, pulſatione, & lachrymarum effuſione, &c. Et, ſi in ophthalmia copioſum ſerum, ſalſum, & rodens, ex glandulis angularibus, vel palpebrarum glandulis erumpit, tum lippitudo audit.

II. *Cauſa*, uti dictum, *proxima*, conſiſtit in obſtructione arteriolarum, in tunicis oculi, unde rubent, dolent, &c.

Externæ cauſæ plerumque ſunt, nimius uſus vini, aromatum, calor ſolaris, fumus, feſtucæ, vel pulvis injectus &c.

III. *In curatione*, obſtructio inflammatoria auferatur, & ſeri acrimonia, ſi adeſt, temperetur.

Cum verò primarum viarum diſpoſitio huc multum tribuat, *optimè conducunt vomitoria*, tam curationis, quàm præſervationis gratia.

Cum etiam *Hippocrate teſte, alvus laxa, lippientibus ſolatio eſſe ſoleat*; hinc purgantia aliquando optima ſunt: hunc in finem,

℞. *M. P. Lucis maj.*
de ſuccino,
Extr. cochiar. aa ℈ß.
Diagrid. pr. gr. viij.
Troch. alhand. pl. gr. iij.

M. fiant Pilulæ num. 30. dentur pro duabus doſibus.

Neceſſe verò eſt, ut illi habeant alvum laxam, qui conſueverunt habere oculos inflammatos; hinc

& *Elect.*

& *Elect. de Tamarindis cum Fol. sen.* non erit inconveniens.

IV. Post hæc *Venæ sectio præsentaneum est remedium,* cui tamen sæpe *hirudines,* vel ad tempora, vel retro aures positæ, præferuntur.

Sæpe etiam *cucurbitulæ scapulis applicatæ*, sive scarificatio, egregii est usus, *cum vesicatoriis, vel & fonticulis,* in brachio, vel nucha excitatis, si rebelle malum adest.

V. Interea nec *externa* omittantur, *collyria* &c. ad acrimoniam stagnantis & prementis sanguinis, corrigendam. Distinguendo tamen, & illa dirigendo, vel ad serum magis crassum, aut magis acre, temperandum, vel utrumque corrigendum. Sic

℞. *Aq. Rosar.*
euphras.
chelidon. maj. aa ℥ ij.
Croci metallor. ʒ i ß.

Stent infusa per noctem, tunc addatur *Sachari candi* ℥ ß. & filtratus liquor instilletur oculis.

Vel ℞. *Aq. chelidon. maj.*
rosar. alb.
fœnic. aa ℥ j.
Sachari ♄*ni,*
Tutiæ pr. aa ℈ j.
Flor. Zinci ℈ ß.
margarit. pr. gr. viij.
⊖*li albi* gr. vj.

M. fiat collyrium, quod guttatim instilletur.

℞. *Vitrioli albi* ʒ ij.
Mastichis,
Thuris aa ʒ j.

Coquantur in Aquæ fontan. mensura j ß. ad re-

manentiam tertiæ partis, quæ servetur pro Aqua ophthalmica experta.

Aliàs etiam ab initio statim defluxionis, sive stagnationis, singulare euporiston præbet *Alumen cum albumine ovi terendo*, in pultem quasi redactum, & *cum stuppa cannabina* oculis impositum.

Si tamen magis resolvendum,

℞. *Spir.* ✻*cicum* ♆ *dest.* ℥ j.
Flor. virid. æris ʒ j.

Stent in infusione ad tincturæ extractionem, postea spiritum tinctum, cum *Aqua rosarum, chelidon. maj.* &c. guttatim instilla.

Optimi etiam usus & effectus hic sunt, *Unguenta Ophthalmica*, e.g.

℞. *Ung. nihili, de Tutia* aa ℥ ij.
Sachari ♄*ni margarit. ocul.* ♋ *Tutiæ, Corall. r.* aa pr. ℈ j. *Camphoræ* gr. xij. *Fol. auri & argenti*, num. iij.

M. fiat Unguent. Hora decubitus, lentis magnitudine, cantho oculi majori immittendum, & infra palpebras illinendum, ita commendante *Willio in Actis Haffniensibus* p. 302.

Item ℞. *Ung. albi camphorati* ʒ v.
Sachari ♄*ni* ʒ ß.
Tutiæ pr.
☿ *dulcis* aa ℈ j.
Cryst all. viride æris gr. vj.

Misceantur probe & circa oculum inungantur.

V. ℞. *Ung. albi camph.* ʒ ij.
Nihili ʒ i ß.
Tutiæ pr. gr. xv.
Lap. calamin. pr. ʒ ß.

M. fiat Unguentum.

Item

Item ℞. *Olei comm.* ℥ ij. *Alum. Nitri, Boli armeni, cerussæ, salis armon.* aa ʒ ij. *Aceti opt.* q. s.
Coquantur ad siccitatem, ut remaneat lapis, cujus ℞. ℥ ß. ad *Aquæ Rosarum vel fœnic.* &c. ℥ vj. quæ filtrata tunc constituit insignem aquam ophthalmicam.

Cl. Wedelius pro experta laudat, *Axungiam Viperarum*, leniter calefactam, & cum pennâ, oculo instillatam.

Barbette, in dolore maximo ophthalmico laudat seq.

℞. *Gummi tragacanth.* ʒ ij.
Mucilag. sem. psyllii ʒ iij.
Aq. Rosar. & plantag. aa. q. s.

Fiat collyrium mediocris consistentiæ, vel oculis instillandum, vel linteis in eo madidis applicandum.

Hildanus commendat hoc:

℞. *Grumor. panis albi* ℔ ß.
Sem. fœnugræci cydon. aa ℥ ß.

Coquantur cum *lacte vaccino* ad consistentiam cataplasmatis, cui adde *vitelli ovi* num. ij. *croci* ℈ j. misce, & calidè applica.

VI. Egregiè etiam conducunt, quæ *nuchæ applicata*, *loco vesicatorii*, catarrhi materiam divertunt,

Sic ℞. *Cæpar. allii* num. ij.
Croci ℈ j.
Album. ovi no. j.
Aq. rosar. q. s.

Contusa & conquassata, cum stupa cannabina paulisper calida nuchæ imponantur.

Vel ℞. *Saponis nigri* q. l. cum *salis comm.* & *aq. ros. alb.* parum, in cataplasmatis formam redacta nuchæ imponatur.

Vel fiat *sacculus interpassatus ex semine sinapi pulv.* Coquatur in vino, & applicetur calidè nuchæ, sic mirabiliter retrahetur defluxio ophthalmica. Oculo verò applicetur *sacculus floribus chamomillæ repletus calidè*; hæc verò reiterentur aliquoties, & si ex sacculo in nucham applicato, pustulæ excitantur, tractentur ut vesicæ per vesicatorium excitatæ.

VII. Si Cataracta interna metuitur, *Boyle* in suis experim. *commendat salivationem & vinum millepedibus infusum*, ac per tempus propinatum, p. 157. 226.

Vel ad confortandum visum, in suffusione, vel primo gradu cataractæ.

℞. *Confect. cubeb.*
Sem. anisi aa ʒ ij.
Radic valer.
irid. flor.
liquirit. aa ʒ j.
Cardamomi min.
Galangæ,
Macis,
Mastichis aa ʒ ß.
☍ *major. dest.* gtt. v.
Sachari q. l.

M. fiat pulvis, de quo sumatur sæpius cultelli cuspis.

Ad ungulam oculi, sive cataractam externam.

℞. *Sachari candi* ʒ j.
Tutiæ pr. ʒ ß.
Vitrioli albi ℈ ß.

M. fiat pulvis subtilissimus.

Vel ℞. ▽ *chelidon. maj. fœnic.* aa ℥ i ß. ☿*ii sublimat.* gr. vj. Misce & solutio filtretur, ac singulo mane & ve-

& veſperi oculo inſtilletur ſaltem unica gutta. *Ettmüll. in Schröd. p. 42.*

Scultetus admodum commendat, *fel lucii piſcis, cum parum ſachari* mixtum, & oculis inſtillatum: Hoc remedio, præmiſſa purgatione, & veſicatorio, retro aurem prius adhibito, ſe intra octo dies ſolviſſe cataractum in infante aſſerit.

VIII. *Diætam quod concernit*, ea ſit tenuis, *vitentur pinguia, ſalſa, acida, piperata,* vel omnia aromata, & in potu vinum & ſpirituoſa alia exulent; hujus vero loco bibatur *decoctum ex ſarſaparilla & china, cum parum cinamomi, & cort. citri* &c.

IX. Ad Lippitudinem oculorum, vor rinnende und trieffende Augen;

℞. *Terræ ſigillatæ,*
Lapid. calamin. pr. aa ℥ j.
Vini optimi q. ſ.

Stent die & nocte, poſtea mane & veſperi applicetur oculis, *Kornthauer.*

Vel ℞. *Tutiæ* pr. *Lapid. calamin.* pr. *nihili albi, Terræ ſigillatæ ceruſſ. albiſſ. ſachar. ♄ni* aa ʒß. *tragacanthi albi* ʒ j. cum vino rubro auſteriuſculo q. ſ. fiat collyrium.

X. Ad Hordeolum diſcutiendum,

℞. *Vitrioli albi* ʒ j.
Album ovi. no. ij.

Concutiantur invicem, tunc verò ſtent pauliſper, & liquor clarus aſſervetur, ac eo illinatur hordeolum.

Palpitatio & Tremor Cordis.

I.

Sunt motus ejuſdem convulſivi, ubi in palpitatione, muſculi cordis vehementiori contractione, ſyſtolen moleſtam efficiunt; In Tremore verò, ſyſtoles & diaſtoles contractas, & breviores, cauſantur.

II. Cauſa vel in ipſo corde vel in ejus nervis, aut ſanguine circulante, quærenda eſt.

In ipſo corde, & quidem externè, non rarò *hydrops pericardii* vel *vermes* intra pericardium cordi adhærentes, ſunt palpitationis cauſa; in ipſis verò ventriculis, nonnunquam *ſanguis grumoſus*, *calculi*, vel *polypi* exiſtentes moleſtum hunc & periculoſum affectum concitant.

III. Ratione nervorum generatur hoc malum, quando cordis nervuli, convulſione vel ſpaſmis afficiuntur, quæ ſanguinis circulum turbant; Cauſa utplurimum ab animi affectibus, in ſpecie *terrore*, vel & à depravata diſpoſitione ſpitituum nerveorum, in *malo hypochondriaco*, vel *affectione hyſterica*, deducenda eſt.

Ratione ſanguinis circulantis aliquando contrahitur palpitatio cordis, quando peccat viſciditate, & craſſitie, unde ad ſtagnationem pronus eſt; demonſtrant hoc *ſubjecta cachectica, vel menſium ſuppreſſione laborantia*, quæ poſt levem aliquando motum, cordis palpitationibus moleſtantur.

IV. Malum verò hoc etſi non ſemper lethale ſit, tamen non eſt abſque periculo: Et quæ ſubjecta, in juventute, aut magis conſiſtente ætate cordis palpitationibus ſæpius moleſtantur, vix multos annos numerant.

Sita-

Si tamen ex malo hypochondriaco, affectione hysteri-ca, suppressis mensibus, cachexia &c. originem trahit, tum malo originali sublato facile cedunt palpitationes, vel etsi sæpius recidivent, nondum sublatâ causâ tali, tamen non adeò periculosæ esse solent, nisi originale malum, nunc incurabile existit. Vel conformatio cordis læsa, aut polypi, calculi, vermes &c. in causa sunt, ubi ferè incurabile est malum.

V. *In Curatione*, causa probè inquirenda est, *aliquando verò V. sectio necessaria est*, in subjectis plethoricis, vel ubi ex terrore sanguis stagnat, vel ex crassitie, lentè circulatur.

Si malum Hypochondriacum, affectio hysterica, menses suppressi, cachexia &c. sunt in causa, tunc malo originali sublato, cessat effectus.

Vitentur tamen nimis volatilia & oleosa, in hypochondriacis & hystericis, quibus genus nervosum debile est, vel spiritus habent leviter mobiles & elasticos, quo in casu plus conducunt acida. v. g. *spir. nitri dulcis*, &c.

VI. In Paroxysmo ergò, si ex crassitie humorum circulantium, & spirituum vigore imminuto malum dependere videtur,

℞. *Aq. Epil. L. Hirund. cum castor. melissæ cum vino* ā ā. ℥ij. *vitæ Matth.* ℥ß. ℞. *castorei, croci anodin.* ā ā. ʒj. ⊖ *is vol. ol.* ℈ij. *Sir. cinam.* ℥ß. M. detur sæpius cochleare unum aut alterum.

Vel ℞. *Aq. melissæ cum vino* ℥iij.
Zedoar. anis. ℥ ij.
vitæ Matth. ℥j.
Ess. Bez. opt. camphorat. ʒj.
castorei.

Spir.

Spir. ✱*ci* ā ā. ʒß.
Syr. cort. aurant. ℥ß.
M. & detur cochleatim.
Ve ℞. *Margarit.* pr.
Smaragd. pr.
Cinnab. nativ. pr. ā ā. ℈ß.
Ther. cœlest. gr. ij.
M. detur pro dosi.

Vel ℞. *Extr. castor.* ℈j. *Theriacæ cœlest* ℈ß. *opii* gr. iij. *Cinnab. nativ.* pr. ʒß. M. fiant Pilulæ no. 60. Dentur pro dosi no. xi. vel plures.

Vel ℞. *Cinnab. nativ.* pr. *margarit.* pr. ā ā. ʒj. *Ess. ambræ sicc.* ʒß. ℅ *cinam.* gtt. v. *Croci* ℈ß. M. detur sæpius cuspis cultelli.

VII. Si spiritus nimis elastici vel activi, spasmi sunt causa.

℞. *Aq. melissæ cum vino* ℥ij.
hirund. cum castor. ij.
℞. *Bez. absque acido & spir.* ⊕ *i dulci acidulat.* ʒij.
anodinæ per acidum parat. ʒj.
Syr. Flor. tunicæ ʒiij. M. detur cochleatim.

Externè cordis regioni & carpis manuum applicetur hoc vel simile.

℞. *Aq. carfunculi*
Naphæ ā ā. ℥ij.
Croci ʒj. M. & applica.

Potest addi *camphora*, *castoreum*, &c.

Vel ℞. *melissæ viridis*, *conquassetur cum aqua rosarum*, *& aceto fl. tunicæ*, & externè calidè applicetur.

Paralysis.

I.

Est & dicitur, si in hoc vel illo membro, vel parte motus perit, manente magis minus sensu.

Hinc à paralysi differt stupor, quia in hoc sensus perit, remanente motu.

II. Si verò *post colicam biliosam, sive convulsivam*, partes extremæ motu destituuntur, remanente tactus sensu, tum *Paresis dicitur* malum.

In Paraplegia quidem, partes affectæ destituuntur & privantur motu, ac in paralysi, interim tamen inter se differunt origine, *nam Paraplegia, sequitur cerebri morbos, utpote Apoplexiam, Epilepsiam, Convulsiones &c.* ubi Paralysis, vel scorbutum, vel colicam convulsivam excipit.

Sic in Paraplegia nervi; in Paralysi verò musculi & tendines afficiuntur.

In Paraplegia etiam plerumque cum motu tollitur sensus tactus, qui in paralysi remanet, aliquando cum dolore.

III. Distingui verò solet Paralysis *in privativam & positivam.*

Privativa paralysis, paraplegia est, & à nervorum obstructionibus originem sumit, quando spiritibus animalibus liber motus per nervos denegatur, ut in Apoplexia.

Positiva verò est, quando ipsa ligamenta, & partis hujus vel illius tendines, veluti proximiora motus instrumenta, relaxata vel obstructa sunt.

IV. Causæ hujus paralyseos sunt *vel interna, vel externa.*

Inter-

Internæ, dependent à particulis crassis, austeris, flatulentis, quando hæ spiritibus immixtæ, ligamenta & tendines obstruunt, ut ad motum fiant ineptæ.

Atque sic *causa proximior est denegatus spirituum animalium influxus*, ob tubulorum nerveorum, partis affectæ, majorem, minorem, obstructionem.

Inter causas externas præ aliis symbolum addunt nimia mora, & natatio in frigida, in genere, humectatio & refrigeratio nimia.

Sic & affectibus paralyticis, frequenter infestantur, qui vapores mercuriales sæpius hauriunt, ut deauratores, & mercurio eruendo in fodinis occupati.

Aliquando pabulum ministrat cibus & potus, & quidem præ aliis vinum Austriacum, vel Moravicum &c.

V. Si malum adhuc vagum est, curatu paulo facilius existit, quam si partes omnino contractæ sunt, vel ubi senibus accidit.

Sic frigiditas & laxitas partium, item atrophia, & pallor membrorum, quoniam indicant partes admodum esse obstructas; malum exitum denunciant, & quo plures partes paralysi affliguntur, eò pejus existit malum, & curatu difficilius.

VI. *Curam* quod attinet, *aliam Privativa, aliam Positiva*, postulat.

Paralysis Privativa, sive Hemiplexia, eandem cum Apoplexia curam exigit, *per vomitoria, purgantia, sudorifera* &c. vel si malum contumax *per salivationem*.

Externa verò, quæ hic requiruntur, vel vertici, vel spinæ dorsi, applicari debent.

℞. *Olei*

℞. *Olei Galbaneti*
Spir. vini camphorati
Formicarum āā. ℥ij.
Salis armon. fortiss. ℥ß. M.
Vel ℞. *Spir. lumbr. terr.* ℥vj.
Cochleariæ ʒiij.
Formicar. ℥iiß.
✱ci fort. ℥j.
Olei sapon. Ven. ℥ij.
Camphoræ ℥vj.
Castorei ℥ß.
Croci or. ʒj.
Opii ℈j.
M. digere, postea filtra & serva.

Plura huc spectantia consule de Apoplexia.

In Positiva autem Paralysi *fugiantur Purgantia fortiora*; sed in usum potius veniant *antiscorbutica*; ut *Ess. Pini, cochleariæ, Tinct. C. Cervi succinata, Sal. vol. ol. ex* ☍. *Ligni sassafr. Tinct. castorei, cinnabarina*, & ex his parata varia.

Æger verò semper detineatur in blando sudore, id quod egregiè obtinetur, per *Tinct. meam* C.C. *succinatam*. &c. vel *Decoctum sarsaparillæ* &c.

Inter externa, quæ in hâc paralysi, ipsi loco affecto sunt applicanda, observetur an pars affecta tumeat, frigeatque, hoc in casu magis subtilia, & volatilia, sunt applicanda. e. g.

℞. ☍ *Galbaneti*
Spir. vini camph.
✱ci fortiss. āā. M.
Vel ℞. *Spir. lumbr.* ℥ij.
Cochlear. ℥j.
✱ci ℥ß.

In his solve
Sapon. Veneti ℥j.
camphoræ ʒiij.
Croci ℈j. M. & digere per aliquot dies, postea filtra & applica.

Vel ℞. *Sp. vini alcohol.* ℥ij.
✱ci fortiss. ʒij.
Olei succini
Macis. ā ā. ʒj.
M. & serva pro usu.

Vel ℞. *Aq. Anhalt.*
Spir. lumbr. aa. ℥j.
✱ci ʒiij.
Ess. succini
Castor.
Pini aa. ʒij.
M. detur ad usum.

VII. *Si verò pars Paralytica emarcescer eobservatur*, tunc magis temperata sint, quæ externè applicantur. Qualia sunt *Ung. Nervinum*, *Martiatum* *Pinguedo humana*, *Oleum lumbricorum*. Vel.

℞. *Ung. Nervini*
☋o *Galbaneti*
Petræ
Juniperi M. fiat linimentum.

Vel si contractura est magis contumax.

℞. *Pingued. Taxi*
Olei lumbricor. aa. ℥ij.
Alum. plumosi ʒß.
Euphorbii
Spec. diatrion piper. aa. ʒij.
Cantharid. ʒß.
M. & infricetur diligenter parti affectæ.

Vel ℞. *Therebinth.* ℔ij. *Axung. Taxi, Vulpis* aa. ℥iv. *Olei Lauri* ℥ij. *Ceræ lumbricor.* aa. ℥iiß. ☍ *spicæ, mastichini* aa. ʒß. *Axung. human.* ℥ij. *spir. vini* ℔ij. mixta circulentur per tempus, tunc Oleum separetur à spiritu.

Nec hoc *Oleum Galbanetum* est contemnendi usus & effectus.

℞. *Gummi Galbani elect.* ℔ß. *Gum. Ammoniaci, Tacamahac. myrrhæ opt. mastich. el. storacis calam. Benzoi. Ladani, Olibani, storac. liquidæ Nuc. moschatæ* aa. ℥ß. ☍, *succini, spicæ* aa. ℥j. *Laurini* ℥ij. *Spir. Therebinth.* ℔.ij. Mixta destillentur per retortam. & oleum prolectum servetur.

VIII. *In Paresi sive Paralysi ex Colica convulsiva*, vitentur purgantia, *Clysteres verò sint frequentiores*, ut semper partes acriores aliò transmissuræ leniter semper proscribantur.

Membra contracta fomententur Decocto sequenti.

℞. *Herb. Abrotani, Origani, Salviæ, majoranæ, rorismarini, Flor. lavendulæ, sambuci, summit. Pini, Juniperi* aa. q.l. Coquantur in vino, & mediante spongia huic intinctâ foveantur membra paralytica.

Vel fiat *Balneum ex acervo formicarum*, ovis multis referto, additis *frondibus Pini, juniperi, origano, lavendula* &c. saeculo inclusis & aquæ incoctis, ultimo additis vini fœcibus mensuris aliquot.

Vel *si Thermæ haberi possunt*, hæ illis præstant, in usum simul, pro circumstantiarum ratione, tractis *acidulis*.

Post Balneationem partibus paralyticis infricetur hoc linimentum.

℞. *Spir. vini Junip.* ℥v.

Sapon. veneti ℥ iß.
Axung. catti ſilv.
Taxi
ardeæ
urſi aa. ℥ ß.
Leni igne ſolutis adde
°°*Petræ*
ſpicæ
juniperi
lauri aa. ʒ ij.
Camphoræ ʒ j. M.
IX. In Linguæ Paralyſi
℞. *Spir. Lil. convall.*
Lavendulæ
▽ *magnanimitat.*
ſerpilli comp. aa. ℥ ij.
∽ *✱ci fort.* ʒ iij.
Rad. Pyrethri ʒ iiß.
Sem. ſinapi ʒ ij.
Theriacæ ℥ ß.
M. fiat Eſſentia diligenter in ore detinenda.

X. Præter hæc, plura alia, à Practicis, ad membra Paralytica reſtituenda, commendari ſolent. Etenim *ipſas partes affectas paralyticas ad ſudores diſponere jubent*, & hoc fieri volunt, *per evaporationes, ex Decocto herbarum cephalicarum, ſive aromaticarum, cum vino parato*, ut halitus calentes partem affectam attingant, *affunditur verò Decoctum, lateri ignito*, & æger vapores inde exſurgentes in ſtuffa excipit, vel ad partem affectam dirigit, atque hoc bis vel ter ſingulis ſeptimanis repetit.

Species pro tali decocto poſſunt eſſe ſequentes.

℞. *Herb.*

℞. *Herb. ſalviæ, roriſmarin. hyſſopi, origani, thymi, majoranæ, pulegii, Flor. chamomillæ, meliloti, Bacc. junip. lauri* &c.

Autumnali tempore membra paralytica immergere jubent *vinaceis ex uvis maturis expreſſis & effer-*veſcentibus, per horam unam vel longius. Poſtea verò inungere præcipiunt unguento, vel linimento convenienti, uno vel altero modo enumerato, idque per 14. & plures dies.

Eundem effectum & *fœces vini* præſtare aſſerunt, ſi in illis calefactis, partes reſolutæ, vel contractæ, quotidiè bis foventur.

Dehinc convenit *membra paralytica tegere pelle vulpina, leporina, cati ſylveſtris* &c.

Non verò omittantur *frictiones moderatæ*, utpote ad calorem excitandum, & ad ſpiritus revocandos, vel vias illis, hâc methodo, aperiendas, admodum conducibiles.

XI. Cum præterea paralyticis utplurimum alvus adſtrictior eſſe ſoleat, *non omittantur Clyſteres.*

Pestis.

I.

IN genere nihil aliud est, quam morbus maximè contagiosus & epidemicus, qui originem trahit ex venenato miasmate, ab aere primum suscepto, dehinc per contagium propagato; quique latenter & occultè homines aggressus, in summum vitæ periculum conjicit: & *veluti peculiaris morbi species, Bubones, carbunculos, subinde etiam petechias, secum habet comites.*

II. *Propagatur* verò miasma illud summè subtile, & venenosum, non per immediatum contactum solum, sed & *per media varia*, utpote vestes, literas, nummos &c.; quæ aërem inquinando, venenum propagant, cujusque medio venenum pestilens inspiratum, *spiritus vitales prosternit, & perimit*, & subitam mortem adscisit. Spiritus verò metu percussi, tunc promptè contagium, sive miasma venenatum, cujus natura nondum satis explicata est, suscipiunt.

III. *Causas remotas aliquando addunt singulares aëris alterationes*, ex cadaveribus post prælia putredine resolutis, vel & effluvia alia acria venenata, post terræ motus, exclusa, item fames &c.

IV. *Ratione Symptomatum*, aggreditur hoc malum periculosum homines, vel cum, vel absque febre: & hoc quidem pessimum est, quoniam denotat spiritus quasi syderatos, & uno ictu quasi prostratos existere; ubi *febris adhuc indicat naturæ robur.*

V. Ægrum verò ex contagio suscepto, Peste esse correptum, indicat Nausea sine manifesta causa.

Vel

Vel si praecessit metus, & aeger in inguinibus sub axillis vel parotidibus sentit puncturas, plures vel pauciores, vel unam saltem quasi candente acu factam, cum insigni dolore capitis, vel subitanea præternaturali corporis alteratione alia, tunc *Lindanus* certum esse ait, ægrum Peste esse correptum.

VI. In hoc verò truculento malo, *si Bubones & tumores citò erumpunt*, cum remissione symptomatum, tum bonum denunciant exitum. *Bubonaria verò Pestis est omnium mitissima*: Illa cum anthracibus media, & cum petechiis pessima.

Sic Bubones plures & boni coloris, salutares, anthraces verò sive carbunculi quo plures eo periculosiores existunt.

Si venenum discutitur per sudores largiores, bonum est. Sed si sudor frigidus existit, vel si extrema frigent, in specie nares, malum est, sed narium stillicidium lethale.

Et si exanthematibus vel bubonibus eminentibus supervenit singultus; vel super bubonem carbunculus erumpit, lethale signum præbet.

Tumores verò inflammati, non adeo sunt periculosi, quam si circulo livido sunt circumdati.

Cantharides applicatæ, si vesicas non excitant, vel si post vesicatorium, aut cauterium actuale applicatum, & apertum, intra 12. vel 14. horas progressus carbunculi ad vicina, non inhibetur, vel & locus aridus permanet, æger interit. Quo majores enim vesiculæ erumpunt, & laudabilis materia generatur, eo melius degit æger.

Si bubones in collo, vel propè aures, dolores gutturis causantur, & deglutitio citra insignem in-

ternam inflammationem impeditur, tunc æger ultra 12. vel 15. horas vix supervivet.

Et si Febris adest gravis, cum cordis anxietatibus, minus periculosa est, quam si anxietates cordis adsunt, citra insignem Febrem.

Tum &, si anthraces oriuntur in oculis, manibus, stomacho &c, rarò evadunt; & quidem summis cum torminibus, si in vesica urinaria excitantur.

VI. *Cura vel Præservatoria est vel Curatoria. Præservatoria* potissimum consistit *in spirituum confortatione*. Et cum Pestis jejunos facile aggrediatur, hinc ante egressum ex ædibus sumendus est *haustus vini absinthitis cum parum Tinct. Bezoard. camphoratæ. Vel cum Elixirio propr. camphorato*, & cum *spir.* 🜍 *acidulato*. Vel comedatur *Butyrum cum ruta*.

Qui Theriacalia, vel aquas spirituosas pro præservatione amant, non nisi acidis remista ea assumant. Hinc egregiè pro præservatione conducunt *Aceta Bezoardica, sive Theriacalia cum camphora, cum buccella panis assumta*. Vel ad cochleare unum propinata.

Vel & *Theriaca, myrrha & camphora in s. vini sol.* & cum aceto mixta, quotidie assumantur cum panis buccella.

Vel ℞. *Rad. Angelicæ, Zedoar.* aa. ℥ß. *Flor.* 🜍. *Myrrhæ* aa. ʒj. *Croci* ℈j. *Camph.* ℈ß. Cum s. q. *sachari, & mucilag. tragacanthi*, fiant rotulæ, de quibus sæpe teneantur aliquot in ore, ad salivam condiendam: quæ aliàs diligenter expuenda, neq; unquam deglutienda est.

Vel ex speciebus his cum *conserv. pulpæ citri*, fiat Electuarium, cum *aceto Bezoard.* sumendum.

VII. In-

VII. *Inter externa præservativa* optimè conducit *ſpongia, aceto Bezoardico camphorato imprægnata*, & naribus admota, in pixide perforata.

Circa cordis regionem appendantur pro amuleto, *trochiſci, ex Magnete arſenicali* cum ſ. q. *Benzoes* facti, & ſyndone rubro obducti.

Vel illud *ex mercurio per fumum* ♄*ni coagulato* paratum: Aut ab *Helmonte* tantopere commendati *trochiſci ex bufone*, circa focum ſuſpenſo, & ejus vermiculis in patella cerea rejectis, &c. & in trochiſcos formatis.

Pauperes horum loco bufonem per caput transfoſſum, & ſiccatum appendunt.

Præterea Aër corrigatur per accenſum pulverem pyrium, & crebriores tormentorum bellicorum exploſiones in civitatibus.

Acetum rutaceum cum camphora lateribus candefactis affundatur, pro ſuffitu.

Vel ℞. *Picis* ℔ iij. 🜍 *comm.* ℔ jß. *Nitri* ℔ß. *Benzoi* ℥ ij.

Singula groſsè contuſa, miſce cum fomitis igniarii ℔ j. in particulas minimas forfice diſcerpti, & de hoc pulvere carbonibus inſpergantur cochlearia aliquot.

Lac calefactum reponatur in conclavi ſuſpecto, ut infectio lacti ſe inſinuet: Obſervatum vero fuit cruſtam viridiuſculam ſupernataſſe à tali miaſmate.

Medicus ægrum viſitans manu teneat facem piceam, hancque verſus patientis os dirigat, ut halitus peſtiferi per ignem deſtruantur.

Vel ut eo ſecurius degat, *fonticulos* ſibi facere curet. Sentiet verò punctiones in fonticulis quando ignarus ad infectum accedit.

VIII. *Ipsam Pestis curationem* quod concernit, consistit potissimum in eo, ut susceptum venenum, potenti sudorifero alexipharmaco camphorato, expellatur. Hâc tamen methodo:

1. Ut singulis octo horis repetatur, & diu continuetur, absque metu prostrationis virium, cum ægri dum sudant, melius se habeant, virium tamen & malignitatis, majoris, vel minoris, habeatur respectus.

2. Sudans arceatur à somno, admovendo naribus *spongiam, aceto Bez. camphorato imprægnatam.*

3. Dum sudat æger, *umbilico applicetur panis parvus, à furno calens*, cujus cavitas *Theriacæ* ℥ ij. repleta est, detractâ crustâ inferiori. Vel & tali pani infundatur *spir. vini camph.* & umbilico apponatur, ut foramen ei respondeat. Sic æger sudabit, licet nil assumserit: venenum verò pani se insinuabit, qui propterea defodiendus est.

4. Si adest inquietudo, delirium, agrypnia, sudoriferis *addantur opiata*, præcipuè ab initio,

5. Si Febris ardens, & effervescentia insignis adest, Theriacalia non conveniunt, nisi acidis remixta. Vel *Bezoardici pulveres cum salibus lixivis* veniant in usum.

Sorbaith sequenti pulvere tot centena pauperum se curasse asserit, in peste Viennensi; scil,

℞. *Flor.* ♁. *myrrhæ. el. Nitri* aa. ℈j. *camphoræ*. gr. v. M. fiat pulvis pro dosi, sæpius augendâ, vel minuẽda.

Si verò febris mitis, vel nulla adest, conducunt *Theriacalia aromatica*, ut debita sanguinis æstuatio restituatur.

6. *Nunquam sunt omittenda acida*, sed semper sudoriferis miscenda. Sic & post sudorem optimè reficiunt, & simul malignitati resistunt. 7. Quem-

7. Quemadmodum fonticuli præservando, sic *vesicatoria, vertebris colli, vel versus humeros aut carpos in brachiis, item cruribus & suris internis, applicata*, admodum conducunt. Sint verò acerrima, & ulcera inde excitata, diu relinquantur aperta. Si verò urinæ ardor, vel nimia virium prostratio, aut mictus cruentus adsunt, tum omittantur.

8. *A Venæ sectione semper abstineatur ubi bubones, carbunculi vel petechiæ se manifestant.* Vel si administrari necesse est, mox desuper propinetur sudoriferum sat validum, ne, si forte exanthemata dicta erumpere incipiant, rursus intro vergant.

9. Si in principio morbi *nausea* indicat, venenum inprimis viis hærere, *propinetur vomitorium.*

10. Sed si vomitus ægros urget, ut omnia rejiciant quæ assumunt, tunc solo integumentorum pondere sudor provocetur.

11. *Aliàs non sunt cogendi ægri, ut absolutè sudent*, sed cum natura hoc sudationis opus sibi relictum velit, hinc non statim, dato alexipharmaco sudorifefero, culcitris vel stragulis sunt obruendi, sed tempus aliquot horarum expectandum, antequam lecto contegitur æger, & ad sudandum cogitur.

IX. *Reliqua hujus mali symptomata* utpote capitis dolor, vigiliæ, somnus profundus, æstus, hæmorrhagiæ, sitis, cardialgia, alvi fluxus, abdominis tormina, urinæ suppressio, angina, lipothymia &c. nihil habent peculiaris, ab aliarum Febrium malignarum symptomatibus, sed eandem requirunt medelam, & eadem remedia, sublatâ verò causâ, omnes tolluntur effectus.

Quod anthraces vel carbunculos & bubones attinet, hæc ad chirurgiam spectant & manu Chirurgi sunt medicanda.

Phreni-

Phrenitis.

I.

Est delirium, *ab interna meningum cerebri, inflammatione, sive obstructione*, exortum, & cum Febre junctum; hinc quod est erysipelas in parte quadam membranosa hujus vel illius membri, vel partis, illud est phrenitis in cerebri meningibus.

II. *Paraphrenitis est levior hujus morbi gradus*, & quemadmodum phrenitis ab inflammatione, sive obstructione, sic paraphrenitis ab effervescentia saltem humorum lente circulantium nec adeo impetuosè motorum, vel nimium elasticorum dependet.

III. *Causa mali* proxima est varius & confusus spirituum nerveorum motus, qui variis phantasmatibus occasionem præbet.

Causæ remotiores sunt ætas juvenilis, quorum spiritus ita sunt dispositi, ut facile ad talem excandescentiam possint adigi; sic & aër æstivus, potus generosus, vel & suppressa lochia, hæmorrhoides &c. Item animi pathemata, imprimis ira, & Febres malignæ, in genere possunt esse hujus mali causa.

IV. *Distinguitur tamen Phrenitis*, ab aliis cognatis affectibus, quod in phrenitide adsit febris continua, delirium perpetuum, & vigiliæ pertinaces, vel somnus interruptus.

Præterea facies & oculi rubent,, in auribus percipitur

cipitur ſibilus, ſonitus, tinnitus, lacrymæ ex oculis erumpunt, & hi inordinatè moventur, ægri ſe variè jactant, & movent, frequenter exſcreant absque neceſſitate, urinæ ſunt crudæ & albæ. Porrò ægri facile obliviſcuntur eorum quæ loquuntur, reſpondent cum iracundia, & adſtantes torvis oculis intuentur.

V. *Ratione genii, malum hoc eſt admodum periculoſum*, ſi enim vires ſunt languidæ, vel ſi phrenitis mutatur in lethargum, aut ſtridor dentium, convulſiones, aphonia, ac inſcia fœcum & urinæ dejectio, ſuperveniunt, ægri raro evadunt.

VI. *In Curatione*, effervescentia ſive ebullitio ſanguinis & ſpirituum, eſt compeſcenda, *Venæ ſectione* in pedibus inſtituenda, & reiteranda.

Carpis manuum veſicatoria ſunt applicanda, *Plantis pedum* revellentia, ut *ſapo niger*, *braſſica captitata & muria condita, vel fermentum*, eſt imponendum.

Capiti raſo reſolventia ſunt admovenda, ut *columba vel gallina recenter diſſecta*. Vel fronti & temporibus *epithemata applicanda*, v. g.

℞. *Sperm. ranarum* ℥ vj.
Succi cancror. fluv. ℥ iij.
Opii aceto correcti ʒ ß, vel ℈ ij.
Camphor. ℈ ß.
Croci gr. viij.
Miſce.

Vel *Sedum majus*, *portulaca*, *cum aceto contuſa*, plantis pedum & teſtibus admovenda.

Inter interna eadem conveniunt, quæ in aliis febribus acutis, qualia ſunt Bezoardica antimonialia, nitrata, camphorata, cinnabarina, emulſiones, &c. Sic

℞. *Pulv.*

℞. *Pulv. Bezoard. Anglici* ℥ ß.
Arcani duplic. ℈ ß.
Camphoræ gr. iij.
M. detur pro dosi.

Nitrum in potu ordinario copiosè propinetur & *Tinct. Bezoardica* sæpius detur acidula.

Opiata verò quemadmodum in nulla inflammatione, ita *nec hic locum habent*, nisi cum Diaphoreticis maritentur in urgentibus vigiliis.

Clysteres sint frequentes, & ægri de urina reddenda moneantur, cum eam reddere obliviscantur.

Phthisis Pulmonalis.

I.

Est totius corporis tabes, *quam hic exulceratio pulmonum causatur.* Phthisis namque vocabulum, in genere corporis extenuationem indicat, quacunque ex causa introductam, quæ non tantum ab exulceratione Pulmonum, sed & ab exulceratione obstructoria renum, glandularum mensenterii vel alterius visceris, originem trahere potest.

Cum verò Pulmonum textura, adeo sit rara & disposita, ut facilius, quam alia viscera obstrui, & exulcerari queat, hinc *Phthisis vocabulum, potissimum eum denotat morbum*, & tabem, quæ non solum ab exulceratione, sed & alia insigniori labe, ut calculis, scirrhis &c. Pulmonum, fuit introducta.

II. *Causæ* verò Phthiseos Pulmonalis, sive *exulcerationis Pulmonum*, *Internæ* sunt sanguinis & lymphæ singularis acrimonia, acida, salsa, &c. *Externæ* sunt aliquando variæ & diversæ; Occasionem verò exulcerationi tali addere possunt *vulnera*, *casus ab alto*, & inde generatus sanguis grumosus; *Potus vini, vel frigidæ, post maximum corporis æstum, avidè haustus*; vel & copiosus nicotianæ usus, *inspiratio habituum acidorum corrosivorum*, tum & Pleuritides, ac Peripneumoniæ malæ curatæ, sputum sanguinis, variolæ, phthiseos authores, frequentes, &c.

Insuper *Phthisis vel est malum hereditarium*, quoniam ex traduce non rarò propagatur, *vel contagiosum*, quoniam materia ulceris per halitum exspira-

ſpiritum, aut per ſaniem expectoratum, conjugem aliosque inficit, ut Phthiſin incurrant. Tantâ verò acredine & malignitate ſputum imprægnatum eſſe, ut muſcas inſtar arſenici interimat, teſtis eſt *Panarolus.*

III. *Incipientes verò Phthiſici*, ab initio, de virium labefactatione, nunc cum, nunc abſque manifeſta cauſa conqueri incipiunt, cum appetitu plus minus dejecto, vel ſaltem carnes horrente; ſentiunt ſubſtantiæ carnoſæ flacceſcentiam in artubus, tuſſiunt, ſed inaniter, ſaporem in ore percipiunt ſalſum, præſertim verò mane, progrediente verò malo, putridum cinereum, item ſaporem piſcium, & carnium putridarum.

Tuſſis intenditur ſucceſſivè, præcipuè veſperi, aut poſt lecti introitum; ſupervenit verò febricula lenta ferè inſenſibilis, vel levis ſaltem calor, poſt paſtum, cum pulſu ſemper celeri, frequente & plus minus parvo, febris enim adeſt lenta & continua.

Interea veſpertina Tuſſis exaſperatur, reſpiratio fit difficilis, & exſpuuntur alba nonnihil viſcida, tandem augetur hectica tuſſis, calor poſt paſtum, & ſudores nocturni moleſtant; Veſperi verò minus, plus mane rejicitur materiæ copioſæ viſcidæ, quæ ſucceſſivè flaveſcere, aliquando liveſcere, tandem nonnihil fœtere, & denique ferè purulenta evadere ſolet.

Tandem ſymptomata omnia augentur, quamprimum enim oculos claudunt, ſudore diffluunt, capilli defluunt, & vel ſuffocantur, vel diarrhœa, aut pedum tumore intereunt.

IV. Quod verò malum hoc ſit grave, periculoſum, ac curatu difficile, in cauſa ſunt *Ulcus Pulmonum,*

monum, curatu difficillimum, tum inde dependens febris lenta continua, & totius corporis conſumtio.

Cum vero ſanies & pus in ſpongioſa & molli illa carne, citra tuſſim rejici nequeat, hinc *conquaſſatione tali pulmones indies magis læduntur*.

Qui tamen facile per tuſſim ſputum rejiciunt, idque album, æquale, & ejusdem coloris. Vel quibus id, quod à capite defluit, ad nares convertitur. Aut qui febre non affliguntur; & alvum quotidie dejiciunt, & id quod egeritur, durum eſt, vel conſiſtentia mediocri præditum, ac illis, quæ aſſumuntur, copiâ reſpondet, neque homo extenuatur; hos *Hippocrates* ſalvos prædicat.

Cum autem Phthiſis malum ſit tam periculoſum, ei maturè occurrendum erit, & licet ægri prehenſi hoc malo, plerumque incurabiles ſint, tamen absque auxiliis non ſunt relinquendi, cum aliquando miracula fiant in natura.

V. Tres verò ſunt ſcopi, quibus vulgò *curatio hujus mali* inniti debere, Practici volunt *Ulcus ſcil. Pulmonum*, ut abſtergatur & conſolidetur, *Febris* ut refrigerantibus & humectantibus demulceatur, *&* *corpus extenuatum*, humectetur & nutritione reſtauretur.

Sed cum *Ulcus*, *à quo reliqua accidentia omnia*, utpote Febris, Extenuatio &c. dependent, magis conſiderabile ſit ſymptoma, quod ſui ablationem requirit, hinc impedimenta ſive *cauſa præcipua impugnanda eſt, à quo Ulcus hoc ortum traxit*. Hæc verò cum ſint *humores, in ſpecie lympha craſſa, plus minus acris*, hinc ante omnia hæc medelam exigit.

Et, cum *lymphæ depravatio, ex primis viis*, vel depravata digeſtione, originem trahere ſoleat, hinc

ab initio vomitoria sæpè necessaria sunt, Neque in ulcere Pulmonum confirmato omitti debent, dum vires adhuc constant, ubi respiratio, aut materiæ excretio difficilis est, tum enim potenter & copiosè, ex pulmonibus saniem evacuant, *cavendo tamen,* ne dentur in metu advenientis, vel præsentis, sputi sanguinis.

VI. *Purgantia alia per inferiora semper ferè nocent,* quoniam à lenissimo purgante, sæpe cum insigni virium jactura, & tussis vespertinæ exacerbatione, copiosissimè evacuari solent Phthisici.

Si tamen laxans aliquod desideratur; clysteres lenientes hoc optimè præstant, *aut Rhabarbarum cum passulis majoribus sumtum sufficit.* Vel

℞. *Gallum antiquum,* deplumbatum & exemtum, repleto *Passulis mundat.* no. xx. *Jujubis, sebesten.* no. x. *Medullæ sem. carthami* ʒ vj.

Coquantur in aquæ ℔ vj. ad consumtionem tertiæ partis, & mane sumatur jusculum, cui pro lubitu *mannæ* ℥ j. vel ij. addi possunt.

Veteres catarrhis plerumque originem mali adscribere non dubitabant, sed cum depravata lymphæ dispositio etiam hujus mali sit causa, hinc *fonticuli in Phthisi nil amplius præstant, ac in catarrhis.*

VII. *Venæ sectio verò hic non indicatur,* utpote per quam propterea lymphæ crassities & corrosivitas non tollitur, nisi cum vita tota massa humorum circulantium depromatur.

Ante omnia ergo *acidum corrosivum,* lympham imprægnans, incrassans, & ad corrosionem atque exulcerationem disponens, *hic corrigatur,* ut sic correcta vel dulcificata corrodere desistat, & pro corrosione, corruptas partes resarciat.

VIII. *Me-*

VIII. *Media*, quibus hic quæritur scopus, partim sunt ea quæ ulceris detersioni inserviunt, & ne sordes in pulmonibus subsistant, has leviter expectorando proscribunt, tales verò sunt *saccharata & mellita*; optimè namque abstergit mel crudum, in specie verò *syrupi* inde parati, *ex succo tussilag. capill. ven. marrubio, hyssopo, aristolochia* &c. nec *therebinthina* hic negligatur. Sic

℞. *Axung. canis* ℥ij.
Therebinthinæ opt. ℥j.
Mellis ℥iiij.
M. detur sæpius cochleare.

Ad acrimoniam verò acidam, corrosivam lymphæ demulcendam, varia sunt & diversa, quibus hoc concreditur negotium. *Practici verò admodum commendant passulas*, eisque adscribunt, ut præter vires acrimoniam temperandi, bene nutriant, & pinguefaciant, unde admodum laudant *harum decoctum*, cum *hordeo, liquiritia, helenio* &c. paratum.

Alii cum *Avicenna* miris modis commendant *Rosarum conservam recentem succi plenam*, hinc ad abstergendum & consolidandum magis aptam. Nobis propterea in usu est *conserva rosarum per decoctionem foliorum parata*, utpote succi, præ alia per contusionem parata prægnans.

Etsi verò saccharum aliquando sit nocivum, tamen in conserva rosarum præter abstergendi vim simul nutrit.

Sunt verò *conditiones* quædam, quas *in usu conservæ Rosarum observandas* esse Practici volunt.

1. Ut conserva rosarum recens succi plena, utpote majorem adhuc abstergendi vim habens, adhibeatur. 2. Ut magna quantitate exhibeantur, & qua-

& quasi cum cibo & potu quotidie sumatur. Et 3. si ob ejus usum sputum retinetur, & difficilis respiratio redditur, *Syrupus de hyssopo* vel expectorantia alia exhibeantur.

Cl. Wepferus de cicuta aquatia p. 269. ad corrigendam lymphæ acrimoniam, hanc commendat methodum, e. g.

℞. *Rasur.* C. C. ℥iiij. affunde *aquæ font.* ℔ xv. stent in loco calido, in vase vitreato, per 12. horas, postea adde *Flor. bellidis min. Herb. nummular. veron.* aa m. j. *Conserv. Rosar.* ℥ij. *Passul. maj. exacinat.* ℥j. Coquantur leni igne ad consumtionem dimidiæ partis, tunc exprimantur fortiter, & fiat Gelatina.

Post sumtam gelatinam, bibat æger jusculi, ex portulacæ, endiviæ, & bellidis min. succo ℥iiij. calidè. Noctu verò si admodum tussiunt, exhibeantur *Diacodii Montan.* cochl. ij. vel iij.

Vel *si Tussis nocturna sicca magis est*, in initio morbi *largiores exhibeantur opii doses*, utpote quas Phthisici tunc sine noxa ferunt, diu verò ejus usus continuari debet, quoniam puris proventum, & sudores nocturnos coërcet, vel materiam magis coctam facilius exspuere facit. *Si verò difficilis adest anhelitus*, ex materia viscida expectoranda, tum ne excretio sistatur, cautè usurpetur. Vel

℞. *Storac. calamit.*
Myrrhæ,
Thuris,
Extr. liquirit.
Opii,
Croci aa ℈j.

M. fiant

M. fiant Pilulæ grani pondere, & dentur 5. ad 9. sub introitum lecti.

In Ephem. Cur. Dec. 3. ann. 2. p. 189. 190. admodum commendatur sequens pulvis:

℞. *Herb. Trifol. Fibr.* pl. ℥j.
N. Moschat. ʒß.
Zedoariæ,
Myrrhæ,
Ocul. ♋ aa ʒ j ß.
Balsam. Peruv. sacharo subacti ℈ ij.
Laud. op. ℈ ß.

Misceantur exacte & hora una aut altera, post cœnam exhibeatur ʒß. vel ℈ ij pro dosi.

Vel ℞. *Rad. Aristol. rot.* pl. ℥ß.
iridis flor. ʒ ij.
Herb. hederæ terr. ℥ iij.
Saniculæ,
Veronicæ aa ʒ ij.
Antihect. Poter. ʒ ij ß.
Sach. ♄*ni* ʒ j.
Croci ʒ ß.
Bals. Peruv. ℈ ij.
Laud. op. ℈ j.
Syr. de symphyto q. s.

M. fiat Electuarium quod ad acrimoniam corrosivam lymphæ temperandam, præcipuè calore hectico præsente, non inconveniens est.

Si lympha acriori correcta, *Ulcus consolidari* posse videtur.

℞. *Therebinth. ven. coctæ* ℥ß.
Bals. Peruv. ʒ j.

Cum *Pulv. liquirit.* q. s. fiant Pilulæ grani pondere, de quibus dentur 5. 6. singulis diebus pro dosi.

IX. *Si Phthisis ex contagio fuit hausta*, tunc specificè conducere *Decoctum Ligni sancti*, pro ut in morbo gallico adhibetur per 4. septimanas, *Ephem. Cur. Dec.* 3. *ann.* 2. *p.* 83. habent. *Decoctum tamen Rad. Chinæ & Sarsaparillæ* etiam hic non est contemnendi usus, modo calor hecticus nondum excedat.

In Calore verò Hectico continuo & sudoribus nocturnis, præ aliis conducit *Tinctura Antiphthisica*, vel *Antihect. Poterii cum Conserva Rosarum cocta*, & sæpius exhibita. Nec minus utile hic est *Lac ebutyratum* diligenter propinatum.

X. Præterea, *ubi calor hecticus non adeo urget, unicum illud asylum*, quo omnes Practici refugiunt in Phthisi confirmata, *Lac est*: modo omnibus aliis esculentis & potulentis proscriptis, solum sit in usu.

Attamen sedulò attendatur, num ventriculus illud digerat, neque verò acescat, id quod facile palam fiet, si æger ex ejus usu nullam sentit ventriculi inflationem, nulla tormina, vel diarrhœam, aut ructus acidos.

Si sitis imminuitur & æger benè dormit, tum non exigua reconvalescentiæ spes affulget, licet non omnis difficultas sit superata, nam si ulcus copioso chylo lacteo, saltem crusta quasi est obducta, & id palliativè consolidatum est, tum levi occasione recrudescit malum & æger interit.

Quo tamen ventriculus ab initio lac ferre asuescat, semel saltem ab initio, deinde bis de die detur debita dosis, incipiendo à ℔j. ad ℔ ij. usque. Si verò Lac crudum non adeo conveniens videtur: *tribus partibus Lactis addatur Aquæ font. una pars, cum parum sachari*, & coquantur ad consumtionem aquæ. Hoc vero Lac tunc hauriatur, vel comendendum detur cum pane albo.

Et si

Et si tunc ventriculus Lac bene digerit, & non reluctatur, tunc sensim singulis diebus quater propinetur, mane circa horam septimam, circa duodecimam, & à meridie circa quartam, & vesperi hora septima: Semper incipiendo ab ℥ iiij. & ascendendo ad ℔ ij. ne una vice ventriculus obruatur.

Ex omni lacte præferendum est Lac muliebre, huic succedit *Asininum*, utpote alio magis serosum, *tum Caprinum* & vaccinum. Si muliebre haberi potest, nutrix talis abstineat à vino & omnibus acidis, &c. *Vide Waldschmidt* de Phthisi.

XI. Ubi Lactis cura haud necessaria esse videtur, vel extenuatio sive macies corporis post hanc curam ulterius convenienti Diæta corrigi posse videtur, in usum cedant *alimenta boni & multi succi*, qualia sunt *gallinarum, caponum, phasianorum, perdicum, cancrorum fluviatil. pulpa*, & inde parata *juscula restaurantia sive consummata.* His subjungantur *Cremor hordei, avenæ, cum amygdalis, pineis, pistaciis, seminibus frig. maj. excorticatis*, vel in emulsf. redactis. *Oryza & amylum, cum jusculo carnis* melius præbent nutrimentum quam cum lacte.

XII. Et si Lactis cura ex causis antea dictis, locum haud habet, pro potu ordinario fiat *Decoctum ex hordeo, Rad. Chinæ, passulis liquirit. sem. anisi* &c. cum *parum cinamomi* in fine addito. Vel

℞. *Rad. Sarsapar.* ℥iß. *Chin.* ʒvj. *Symphyti maj.* ℥ß. *Liquirit. rasæ* ʒ iij. *Summit. Pini, Cort. Tamarisci* aa ʒiß. *Herb. hed. terr. Sanic. pilosellæ*, aa m. ß. *Sem. anis.* ʒj. *Bacc. junip.* ʒ ij. *Passul. maj. & min.* aa ℥ ß. Incisa coquantur *in Aq. mens.* ij ß. pro potu ordinario.

Vel ℞. *Rad. aristol. rot.* ℥ j. *Helenii* ℥ ß. *Polypodii* ʒ vj. *Herb. veron. Fl. rosar. r.* aa m. ij. *Passul. min.* ℥iß.

 Inci-

Incisa coquantur in Aquæ mens. ij. ß. pro potu medicato. Vel cum *sero lactis caprilli & amygd. pineis, pistaciis* &c. fiant emulsiones, si vigiliæ urgent. asuetis etiam *cerevisia, præcipuè triticea*, dicta Brühan/ *non deneganda est, neque vino omnino interdicendum.*

XIII. Quantum etiam Aer calidus conducat, *Veteres* docuerunt, qui *suos Phthisicos ad Tabios mittebant*, monticulum propè Neapolim in Italia; ob siccitatem aëris commendatum, & *Angli adhuc hodierno tempore suos phthisicos*, *ad peregrinationes suscipiendas*, adhuc satis robustos, *in Galliam & Italiam mittunt*, ut Aërem Angliæ crassum & pluviosum, cum sicco & calido illarum regionum permutent. *Celsus* hâc ratione navigationes longas præcipit: Et ob siccitatem salsedinis marinæ, *Aretæus ex Italia in Ægyptum navigare suadet.*

Quibus tamen hæc denegata sunt itinera, conclavia sua ex lignis resinosis piceis ædificent, ut hunc odorem Balsamicum siccantem, continuò hauriant; sic Deo benedicente, fortè superabitur malum nondum radicatum, & confirmatum.

Si post vulnera vel ulcera fistulosa pectoris, tabes metuitur.

℞. *Olei Hyperici* ℥ j.
Bals. 🜍 *anis.* ʒ j.
Peruv. ʒ ß.

M. dentur aliquoties de die ʒ ij. cum jusculo calido, præter pectoralia alia, modo recensita.

Pleu-

Pleuritis & Peripneumonia.

I.

PLeuritis vera, est hujus vel illius medietatis Pulmonum, nec non pleuræ, & musculorum internorum istius lateris, inflammatio, sive obstructio, cum febre acuta.

Sed si utriusque lateris Pulmonum lobi cum pleura, vel hujus loco, cum mediastino inflammantur vel obstruuntur, tum Peripneumonia audit.

Ast *ubi musculi saltem thoracis tam externi, quam interni, cum febre lenta, vel nulla*, tussi rara, dolore pulsante, non pungente, sed contactu manus sensibiliori, & pulsu minus duro, affliguntur & inflammantur, *tunc Pleuritis Notha vocatur.*

II. *Symptomata Pleuritidis veræ*, sunt respiratio difficilis, & frequens, febris acuta, cum insigni ardore, pulsus frequens & celer, in progressu parvus, tussis primo sicca, tunc cum tenui sanie varie tincta, dehinc sputum fit cruentum, & tandem album, crassum, coctum, caput dolet cum vigiliis & siti.

In Peripneumonia omnia Symptomata sunt graviora, & ægri hâc afflicti, primis diebus vomunt, pleuritici non item, sic & respirandi difficultas in Peripneumonia gravior est, ut non nisi erecti spirare queant, dolor etiam pectoris est gravativus magis, spinam quasi attingens & facies admodum rubet.

III. *Aliquando diaphragma inflammatum, Pleuritidem mentitur*, sed in ejus inflammatione, dolor circa costas & sternum est exiguus, respiratio adest inæqualis, & tussis non admodum humida. Interim

ægri delirant, & ſubinde convulſionibus tentantur.

Et hæc eadem ſymptomata adſunt mediaſtino inflammato.

IV. Si in Pleuritide *quarto die ſputum apparet album, leve & æquale*, tunc ſeptimo die terminatur morbus. Sed ſi ſeptimo demum die incipit ſputum laudabile, cum aliis bonis ſignis, tunc morbus non extenditur ultra 14. dies.

Et ſi intra 14. *dies corrupta lympha purulenta non expuitur*, tunc facile in Empyema tranſit.

Sic & Pleuritis ſi molliter incipit, ac ſexto die primum exacerbari incipit, difficilis eſt.

Vomitus verò in principio *copioſus*, *& bilioſus, ſalutem promittit.*

Si Peripneumonia in anginam mutatur, tunc intra ſeptem dies intereunt ægri.

Aliàs terminari ſolent Pleuritis & Peripneumonia vel diſcuſſione per ſudores, hæmorrhagias, vel & interdum per diarrhœam; *melius tamen & ſecurius terminantur cum copioſa ſputi excretione*: In his verò morbis ſigna bona ex ſputo petenda ſunt. Diarrhœa autem, ſi ante declinationem ſe aſſociat, ſputum ſiſtit, & ad interitum facile deducit.

V. *In Curatione* ante omnia *urgens ſtagnatio*, & circulatio in tubulis membranaceis ſufflaminata, *per venæſectionem, in brachio lateris affecti, eſt mitiganda.* Et ſi ſanguis admodum coagulatus obſervatur, ex cruſta alba ſebacea ſanguinem in ſuperficie tegente, tunc reiterari V. ſectionem neceſſe eſt.

Statim verò poſt Venæſectionem, & ſi opus eſſe videtur, etiam vomitu ante V. ſectionem præmiſſo; *propinetur ſudoriferum ſat validum*, & quidem ad

dolo-

dolorem urgentem leniendum, *cum opio* maritatum; utpote quod in principio & incremento pathemata dolorosa optime lenit, in statu vero expectorationem impedit.

℞. *Aq. card. ben. vel Mar.*
papav. errat. ā ā. ℥iij.
℞. *Bezoard. parum acida* ʒij.
anodina ʒß.
♁ *Diaphoret.*
Dent. apri
Mandib. lucii ā ā. pr. ℈j.
Syr. papav. err. ʒiij.
M. detur pro duabus dosibus.

Hæc verò mixtura singulis diebus ad minimum bis debet propinari, ad septimum diem usque, donec symptomata sunt mitigata, & sputum laudabile bene procedit, ac levamen affert. *Qui vero in hoc morbo facile sudant, facile etiam reconvalescunt.*

VI. *Si verò sputum ob tenacitatem, difficulter procedit*, tunc ad expectorantia sensim fiat accessus. Nam statim ab initio, materia nondum cocta vel dispositâ, nocent, quoniam tussim excitando, Pulmones absque effectu concutiunt.

Inter expectorantia verò præstant Decocta, ex *speciebus Decocti Pect.* Vel similibus parata; sed si hæc sunt nimis mitia, *Oxymel squilliticum* vel per se, vel si paulo mitius expetitur, cum *syrupo de hyssopo, de farfara, papav. errat.* &c. mixtum sæpius exhibeatur, id quod optime expectorat.

Vel *si Diarrhœa non est metuenda*, omnibus expectorantibus prævalet. *Oleum lini* ad ℥ij. vel tres, aliquoties de die, *cum spiritu vini camphorato & crocato*, datum. *Tackenius* hoc raro fallere asserit.

Sunt,

Sunt, qui ab initio morbi ad dissipandam stagnationem, exhibent *succum stercoris equini masculi, cum Aq. card. ben.* solutum & expressum, insigni cum effectu.

VII. Si malum circa septimum diem sensim declinare observatur, tunc ad reliquias promovendas, detur seq. pulvis. e. g.

℞. ♁. *Diaphoret.* ʒj.
Mandib. lucii
Ocul. ♋.
Cinab. ♁. ā ā. ʒß.
Extr. opii gr. ij.
M. divide in 3. p. æq.
Si Diarrhœa jungi vult.
℞. ♁ *Diaph.* ℈ij.
Unicorn. foss. ℈j.
Camph. gr. v.
Extr. Op. gr. j.
M. detur pro dosi.

Sed si *obstructa alvus* sollicitari necesse habet, tuto propinatur ♁. *Diaphoret. non edulcoratum* à ʒß. ad ℥j.

Pro expectoratione verò securè finienda detur *Syrupus de farfara, de hyssopo &c. cum Balss. sulfuris anisato.*

Cum optimo etiam effectu, ab initio, ad dolores lateris demulcendos, & expectorationem promovendam, applicantur Externa. e. g.

℞. *Cæpar. sub ciner. assat. no.* xij.
Olei chamomill.
anethini ā ā. ℥ij.
Sapon. opt. ℥ß.
Croci ʒj.
M. & calidè applica.

Vel

Vel ℞. *Ung. alth.* ℴ *amygd. d.* ãã. ℥ß. *croci* ʒj. *camphoræ* ℈j. M. fiat linimentum, quod illinatur, desuper verè imponatur *Empl. de Meliloto.*

VIII. Diæta, ut in omnibus Febribus ardentibus, sit tenuis. Pro potu verò in usum cedat *Decoctum specier. pectoral.* quorum ℥ij. coquuntur in Aq. font. mens. iij.

Vel ℞. *Radic. Helenii, liquirit. Angel. tussilag.* aa. ʒij. *Herb. tussilag. scabios. capill. vener.* aa. m. ſ. *Flor. violar. rosar. r. papav. err.* aa. p. ij. *sem. anisi* ʒij. *Rasur.* CC. ℥j. cum Aq. mens. iij. fiat Decoctum.

Vel solum Decoctum. CC. cum syr. papav. err. paulisper edulcoratum, & cum paucis guttis spir. sulfuris, parum alteratum pro potu calidè propinetur.

Omnis verò potus in hoc morbo sit calidus, ac ei ab initio morbi sæpius instilletur *Tinct. Bezoardica acidula.* Multos verò aliquando necat potus frigidus, qui servari aliàs potuissent.

Rabies.

Rabies Canina sive Hydrophobia, vel Aquæ Pavor.

I.

Est miserrimum morbi genus, in quo ægri simul & siti, & aquæ, vel liquidorum omnium metu, cruciantur.

II. Causa est *venenum peculiare, à canis rabiosi morsu homini communicatum.* Et si venenum hoc fortius est, tunc etiam *per animalis rabidi osculum*, quo vel saliva, vel halitus excipitur, vel & per solum contactum salivæ rabidi animalis, imò ex sola manus impositione in os canis rabidi, venenum homini potest communicari. Si verò venenum animalis rabidi magis debile est, tum neque contactu, nec etiam morsu semper rabiem infert.

III. Post communicatum verò venenum, *alii citius, alii tardius in rabiem aguntur*, alii quidem post paucos dies, & intra septimanæ spatium, alii post longius tempus; utplurimum tamen ad quadragesimum diem neglectis, differri solet; neque tamen alios post annum, vel plures etiam, securos mansisse, sed hydrophobia affectos fuisse constat.

Probè ergò *investigandum an canis qui momordit fuerit rabiosus:* Fieri hoc solet nuce juglande contritâ, vel medulla panis vulneri imposita, & per noctem vel diem relicta, dehinc *gallo vel gallinæ devoranda projecta.* Si vero gallina inde moritur, canem fuisse rabidum certum est.

Vel medulla panis vulneri affricetur, ut sanie vel sanguine inficiatur, ac cani devoranda objiciatur, si verò

ſi verò illam aut comedere, vel etiam non olfacere velit, aut ſi comederit, inde rabidus fiat vel moriatur, ſignum eſt, canem qui momordit fuiſſe rabidum.

V. *Signa, quibus canis rabidus cognoſcitur*, hæc ſunt: Nonnulli ab initio ſegnius incedunt, & veluti ſomnolentiores exiſtunt, demiſſa cauda ambulant, ac potum & cibum averſantur, ſpumantem pituitam ex ore & naribus emittunt, ac torvè ac ſolitò triſtius intuentur, oculos habent inflammatos & rubentes, & linguam exſerunt, atque anhelant; Tandem fiunt adeò deliri ut ne familiariſſimos cognoſcant, ſed hos primum attingant, in omnes tamen paſſim ſine latratu irruunt, & tam feras quam homines impetunt & mordent, ſæpe citra rationem velociter currunt, deinde rurſus ſubitò ſubſiſtunt, vel & in curſu, in arbores, vel alia obſtacula impingunt, & canes ſani eos fugiunt.

Homines qui à cane rabioſo *commorſi* ſunt; & nunc in rabiem, modo citius, modo tardius, agi incipiunt, *primò fiunt anxii & iracundi abſque ratione*, cum corporis gravitate, & impotentia ad omnes actiones, adſunt vigiliæ vel ſomnus perturbatus, præterea ſecum loquuntur, & murmurant, & lucem etiam de die ad luminum accenſionem optant, & in parte vulnerata vel commorſa, etſi ulcus diu conſolidatum ſit dolorem quendam percipiunt. Ventriculus ſentitur gravatus, *& licet ſitis admodum urgeat, tamen omnia liquida abhorrent*, & cum pauxillum liquidi vident, timent, & pejus habent, imò ad nomen, vel ſonum aquæ vel potulenti alterius exhorreſcunt.

Inducitur verò ſic ſenſim à veneno canis rabioſi,

nova quasi natura canina, homini commorso, unde aliquando canum more latrant, & obvios dentibus, præter voluntatem tamen impetunt, uti canes linguam exerunt, atque bolos canum more avidè appetunt, & devorant; & licet erecti ab omni potu abhorreant, tamen *canum more procumbentes, potulentorum aspectu admodum delectantur*, & licet etiam vehementer appetant, tamen stomachus, tanquam contra rem maxime odiosam, insurgere solet, neque salivam propriam proinde deglutiunt absque gravi noxa & horrore; non quod mente sint alienati, sed quoniam stomachus salivam venenatam planè aversatur, & quasi convellitur.

VI. Cum verò malum hoc crudele adeò periculosum sit, ita ut cum metus aquæ vel potulentorum nunc adest, haud amplius curabile existat, hinc danda opera, ut quamprimum homo à cane rabido morsu vulneratus est, vel ejus salivam ore vel alio modo tetigit, licet nil incommodi ab initio sentiat, tamen omni opera præserveturs ne hydrophobiam incurrat incurabilem.

Ante omnia ergò, quamprimum hoc fieri etiam potest, *locus commorsus scarificetur*, (si vulnus exiguum est, si enim vulnus satis magnum, tunc non opus est locum vulneratum scarificare,) ac cucurbitula apponatur cum multa flamma, *& quantum fieri potest sanguis extrahatur.*

Hoc facto *totum brachium abluatur posca*, in quá *theriaca* & parum *salis marini*, soluta sunt, ut sic etiam saliva cuti fortè adhærens maturè abluatur.

Et tunc *morsus cauterio actuali undique inuratur, & quidem satis profundè*, quoniam melius est hic in excessu, quam defectu peccare, modo partis conditio

ditio hoc ferat. Poſtea *ulcus diu ſervetur apertum.* Sunt tamen qui loco cauterii actualis, *veſicatorii* applicationem ſuadent.

Poſt inuſtionem vulneri imponatur *goſſipium, aquâ vitæ, in qua theriaca ſoluta eſt, madefactum,* atque his ſuperimponatur *cataplaſma ex capis* ſub cineribus aſſatis, *ſem. ſinapi, fermento, herb. ſcordii, ruta & Theriaca cum melle paratum.*

Et poſtquam medicamenta hæc per noctem applicata fuerunt, altero die incidatur eſchara ubique, quantum fieri poteſt; & dicta medicamina rurſus imponantur, ad ſeparationem uſque eſcharæ; *quo citius verò ſeparatur eſchara, eo ſecurius eſt*, cruſta namque ulceris, ſi diutius relinquitur, verendum ne venenum ad interiora penetret.

Poſt ſeparatam verò eſcharam *ne labia ulceris citius coaleſcant bis in die piſum imponatur*, ſicut fit in fontanellis, & ſupra dictum cataplaſma ſive Emplaſtrum deſuper applicetur, & ad plures menſes ulcus apertum ſervetur.

Singulis etiam hebdomadibus bis vel ter ulceri inſpergatur *pulvis ex ☿ præcip.* & *rad. Angelic.* ā ā. factus, ut quovis modo venenum compeſcatur.

Quo autem innoteſcat, *an venenum omne nunc evocatum ſit*, neque aliquid periculi amplius ſubſit, tum *medullam panis, vel nuces juglandes tritas, ulceri impone*, & gallinis vel cani ſano devoranda projice, & ſi non moriatur animal, tum rem in ſalvo judica.

VII. Præter hæc verò auxilia chirurgica etiam alia *interna ſpecifica* non ſunt negligenda; reliquit verò *Galenus* neminem morſu canis rabidi vulneratum mortuum eſſe, qui *cancrorum uſtorum pulvere*

usus sit, præcipit verò sumere *cancrorum ustorum &* *pulv.* ℥ij. *gentian. pulv.* ℥j. & cum vino quotidie bibenda exhibere.

Vel ex *Asclepiade* recipit, *cinerum cancrorum*. part. X. *gentianæ pulv. p.* v. *thuris* p. j. & hujus pul. exhibet cochlear. sive ℥j. per 40. dies.

Alii hic admodum commendant *Theriacam*, utpote cui tuto in hoc malo præcavendo fidi possit.

Palmarius suum hic extollit alexipharmacum, quo, etiam neglectis omnibus aliis, etiam omissâ vulneris curâ, quocunque à morsu tempore, usurpato periculum hydrophobiæ superari posse confidit, modo partes capitis, ore superiores, non sint morsu vulneratæ, neque vulnus aquâ frigida elotum fuerit, est verò tale

℞. *Fol. rutæ, verbenæ, salviæ, plantag. polipod. absinth. vulg. menth. arthemis. melissophill. beton. hyperici, centaur. min.* ā ā. p. æq.

Colligantur singula quo tempore viribus magis pollent, & inclusa chartis papyraceis siccentur in umbra. Postea redigantur in pulverem, de quo singulis diebus exhibeantur ℥iß. vel ℥ij. cum sacharo, vel cum vino aut jusculo jejuno stomacho.

Vel ℞. *Rad. Gentian.*
contrajerv. ā ā. ℥ß.
Fol. rutæ
salv.
beton.
Flor. hyperici aa. ℥iß.
ciner. cancror.
mandib. lucii aa. ℥v.
camphor. ℈j.
M. fiat pl. qui detur sæpius ad ℥j.

Post

Post alexipharmaca etiam sudorifera optima sunt ad venenum proscribendum; atque in hoc casu *Tinct. Bezoard.* insignis erit effectus, utpote ex alexipharmacis optimis simul constans.

In horum verò medicamentorum usu, per tres, quatuor aut plures menses, inhærendum esse Practici volunt.

Præter hæc antidota, *nullum securius & certius præservans* ab hydrophobia inveniri posse, *quam subitaneam & improvisam submersionem, vel projectionem in mare*, si procul haud abest, vel in aquam aliam; confirmant per experientiam *Tulpius* & alii, modo statim post morsum, hæc cura præservatoria, instituatur; postmodum hydrophia nunc præsente, nil levaminis afferens.

Raucedo.

I.

SIve vox rauca, accidit, *quando membrana laryngem & asperam arteriam investiens, exasperatur & inaequalis redditur*, quæ in statu naturali lævis esse solet, & æqualis.

II. Originem vulgò trahit à catarrhis, *ubi lympha fit acris & mucosa*, vel ob inclementiam aeris hyberni, vel ob fumi sulfuris inspirationem, aut aquæ frigidæ potum, vel & nimiam vociferationem &c. Sic & à tussi vehementiori sæpè inducitur raucedo; id quod Phthisicis vulgare est, ob crebram materiæ acris rejectionem; vel si aspera arteria est exulcerata, prout in Lue venerea accidere solet;

III. Et, si lympha ex propriis laryngis & asperæ arteriæ glandulis exsudans, est mucosa & acris, qui asperam arteriam successivè excoriat, tum si hoc diutius durat, sensim raucedo inveterascit; ob integræ massæ lymphaticæ singularem acrimoniam & viscidiatem.

Si tamen *Raucedo à causis evidentibus, sive externis oritur*, tum *facilius curatur*, quam si ab internis inducitur.

Tunc verò si interna lymphæ acrimonia causam fovet, & raucedo inde dependens per annum unum aut alterum nunc confirmatum existit, tum vix sanatur.

Raucedo verò *qua Phthisicos* tandem molestat, futuram mortem fere indicat.

IV. *In hujus mali curatione* attenuetur lympha in faucibus hærens, & lentore suo vias aeri ita obducens,

ducens, ut permeans vel nullum vel raucum sonum edere queat.

Et *si senibus accidit*, tum aliquando est *apoplexiæ prodromus*, & antapoplecticis curari debet.

Aliàs si à lympha catarrhali crassa & viscida, ortum trahit, conducunt *lenientia & vocis instrumenta lævigantia*, qualia sunt quæ parantur *ex caricis, uvis passis, liquiritia, hyssopo, thure, myrrha, croco, oxymelle squillit.* si mucus est nimis viscidus; sic & *Looch sanum, Looch de Pino, de caulibus*, &c. non sunt contemnendi usus.

Vel & *Balsamus* ♁ *anisatus. spir.* ✱*ci anisatus* &c. in raucedine inveterata optima sunt.

Alii cum *Lobelio* laudant *Syrupum de erysimo* tanquam optimum expectorans in raucedine inveterata, & egregium muci incidens.

Optimè etiam conducit *pulv. Rad. aronis cum sacharo candi, & syr. de erys. in Elect. redact.*

In Ephem. Cur. Dec. 3. *anno* 1. p. 56. pro experimento certo commendatur *syrupus ex succo raphani*, & in iisdem *Ephem. Dec.* 3. *anno* 6. admodum laudantur tanquam omnibus palmam dubiam reddentes *trochisci Plateri ex myrrha, thure, & sachari candi* aa. *cum mucilag. tragac. facti.*

Vel ℞. *Succi liquirit.* ℥ß.
Croci ʒ j.
myrrhæ, thuris aa ʒ iß.
gummi tragacant. ʒ vj.
carnis dactylorum &
vini dulcis, q. s.

Fiant trochisci sub lingua tenendi.

Vel ℞. *Syrup. de eryſimo*
Aq. Looch ſan. aa. ℥iß.
Spir. ✻ci aniſ. ʒj.
M. deglutiatur ſemper aliquid.
Vel ℞. *Succi braſſic. depur.* ℥iij.
Syr. de eryſ. ℥jß.
M.

Pro potu ordinario detur *Decoct. liquirit. cum hordeo, aniſo* &c. vel ex ſpeciebus Decocti Pect. in Aqua coctis fiat potus.

In malo inveterato etiam conducunt *Fonticuli, ſudorifera, & anticatarrhalia* ex Ligno ſaſſafr. vel *Therma Emſenſes.*

Scabies.

I.

QUando humores, per poros cutis, exhalando proſcribendi, ſunt nimis acres, & craſſi, ita ut in poris hæreant, & inibi cumulati, fibrillas cutis diſcerpant & rumpant, tunc pro humidi iſtius ſtagnantis diſpoſitione, oritur *Scabies, vel magis humida, aut magis ſicca.*

II. *Cauſa*, vel vitio primæ digeſtionis ſanguini communicatur, quando ejus error non corrigitur in circulatione, *vel ex contagio ſuſcipitur*, ubi ſal tale contagioſum, humores per cutem circulantes, inquinat, ut in talem intemperiem acrem ſalinam degenerent, & cutem exulcerent.

III. Veteres, Hepatis intemperiem accuſare ſolebant, ſed cum ipſius *Hepatis intemperies, non niſi à depravata ſanguinis diſpoſitione* dependeat, hinc certus eſt canon, nimirum, qualis cibus, talis chilus, qualis chylus, talis ſanguis, & qualis ſanguis, talis viſcerum intemperies.

Error verò in prima digeſtione commiſſus, nunquam, vel rarò poſtea, corrigitur in ſecunda, ſive ſanguinis circulatione; & hæc cauſa eſt quod malum hoc ſæpe adeo ſit contumax, ut difficulter cedat, quoniam ſuccus ille nutritius, ſive chylus, ſemper de novo inquinatur, chylo ex prima digeſtione depravato, ſanguini circulanti admixto.

In ſcabie ſicca ob acrimoniam magis alcalicam, & humidi exhalaturi penuriam, parvæ puſtulæ oriuntur, quæ parum ſaniei fundunt.

In humida verò, lympha ab acido singulari copiosè coagulata, pustulas sanie repletas excitat.

Quod verò noctu inter stragula major sentiatur pruritus, causa est calor lecti, cujus ope stagnans acris lympha suscitatur & expanditur, ac majori impetu in fibras cutis impingit.

IV. In curatione semper primæ digestionis respectus habeatur, & si malum inde originem traxisse videtur, præmittatur lenè aliquod purgans, e. g.

℞. *Extr. fumar.* ℈ß.
diagrid. ♃. gr. viij.
☿ *dulcis* gr. xij.
M. fiant Pilulæ adultis pro dosi.

Vel ℞. *Extr. Panchymag. Cr.* ℈j.
trochisc. alhand. gr. iij.
☿ *dulcis* gr. xij.
M. fiant Pilulæ adulto pro dosi.

V. Post hæc ad majorem lymphæ & seri correctionem, & attenuationem absorbentia sive dulcificantia veniant in usum. Et quidem si malum est contumax ex sero nimis viscido, tunc alternis, aut ternis diebus dentur ☿*ii dulcis* gr. xij. per aliquot septimanas, e. gr.

℞. *Extracti Fumar.* ℈ß.
☿*ii dulcis* gr. xij.
M. fiant Pilulæ pro dosi.

Et si serum abundare, & non adeo viscidum esse deprehenditur, tunc etiam diaphoretica & sudorifera conveniunt, e. gr.

℞. *Aq. fl. sambuci* ℥ ij.
Rob sambuci ʒ vj.
♁. *Diaphoret.* ʒß.
M. detur adulto pro dosi ad sudorem ciendum.

Vel

Vel ex alcalicorum prosapia *Tinct.* ♁. optima detur ad guttulas 70. vel 80. pro dosi cum *Aq. flor. sambuci.*

VI. Si autem ob acrimoniam alcalicam *Scabies sicca* excruciat, detur *serum lactis caprini cum floribus acatiar.* vel cum *famaria* decoctum.

A sudoriferis verò hic abstineatur, ne humido nimis absumto, sal acre, majorem concipiat acrimoniam.

VII. *Et si à contagio*, uti vulgarissimum est, scabies fuerit contracta, & humores non adeò depravati esse videntur, tunc ut plurimum absque aliis præmissis, sola externa topica malum tollunt.

Me rarò fallit hoc simplex ex ☿io paratum:

℞. *Ung. Rosati,*
de cerussa aa ℥ ß.
Flor. 🜍. ʒ ß.
☿. *vivi* ʒ j.

M. fiat unguentum, de quo singula nocte, juncturis brachiorum & pedum, infricetur quantitas magnitudine pisi.

Cl. Wedelius in Pharm. acroam. p. 352. hoc suum commendat euporiston, e. g.

℞. 🝆 *sambuci,*
🜿 *i per deliq.* aa. p. æq.

Conquassentur invicem in vitro, atque in instanti inde fit linimentum quo inungantur loca scabiosa.

Vel ℞. *Aq. calcis vivæ* ℔ i ß.
Sulfuris pulv. ℥ i ß.

Coquantur probè & aquâ hâc laventur membra scabiosa.

VIII. *Si vero Scabies malignior sit*, loco 🜍. adde ☿*ii dulcis* ʒ iij. atque coquantur, licet verò ☿ius rur-

 sus

ſus præcipitetur, tamen aqua viribus ejus impræ-
gnatur & ſanat. Vel prout *Eph. Cur. Dec.* 3. *Anno* 1. p. 192. habent.

℞. *Aquæ calcis vivæ* ℔ j.
Sachari ♄*ni,*
☿ *dulcis* aa ℥ ij.

Coquantur ad ſolutionem ingredientium, & hoc decocto lavetur ſcabies à muliere inſana contracta.

Internè ſæpius detur ſulfur in ſubſtantia ad ℈ j.

Externè applicetur Elixir meum Balſamicum, ſic contumaciſſima ſcabies mox exareſcit.

Pauperes ſolo Decocto Nicotianæ in cereviſia facto, loca ſcabioſa lavant & ſanant.

IX. *In Diæta* vitent afflicti omnia acida, ſalſa & viſcida, nocet etiam vinum, ſpiritus vini, & cereviſia craſſa, horum verò loco bibatur Thea, vel *Decoctum C. C. cum ſarſaparilla, ſantalo, cinamomo,* &c. ſic etiam puſtulæ & furunculi in facie, imò gutta roſacea ceſſabunt, e. g.

℞. *Raſur. Ligni Quajaci,*
Rad. ſarſaparillæ aa ℥ ß.
C. C. raſpati ℥ vj.
Santali rubri ℥ ij.

Inciſa coquantur in Aq. font. menſura una, in fine adjice *Cinamomi* ℥ j. cum parum *Cort. citri,* & colatura detur pro potu ordinario, etiam ſcorbuticis ſcabioſis proficuo.

Scor-

Scorbutus.

I.

CUm malum hoc plurima ſymptomata, cum aliis morbis communia habere ſoleat, hinc *Practici plures*, ex recentioribus, firmiter ſibi perſuadent, *omnibus morbis in genere aliquid ſcorbutici ſubeſſe.*

Si tamen conſideramus ſcorbutum propriè dictum, à ſingulari diſpoſitione, & putredine aëris non omnibus, ſed regionibus maritimis utplurimum eſſe endemium, atque ſymptomata ſcorbutum ab aliis morbis diſtinguentia, non omnibus morbis eſſe familiaria, hinc ſcorbutum proprie ita dictum, conſtituere morbum ab aliis planè diverſum ſymptomata docent.

II. Hæc verò *ſcorbuti ſymptomata* ſunt laxitas & varia excreſcentia vel intumeſcentia, aut exulceratio gingivarum & faucium, Sic & gingivæ fricatæ, vel ſanginem ſtillant admodum ſalſum, vel ſerum. Saliva eſt valde ſalſa, præcipuè matutino tempore. Accedunt tandem tumores artuum nunc protuberantes, nunc evaneſcentes; Pruritus corporis, & ſi ſe ſcalpunt, loci intumeſcentia, & rubor brevi iterum evaneſcens; Aliquando in locis quæ ſcalpuntur, excitantur ulcera ſerum acerrimum plorantia, & ad gangrænam facile degenerantia.

Si tumores ſunt conſtantes, tam glandulas artuum occupant.

Obnoxii etiam ſunt, catarrhis circa caput, doloribus artuum, nunc vagis, nunc fixis, præprimis tempore nocturno; plures excruciantur doloribus arthriticis vagis longo tempore.

Acce-

Accedunt frequentiſſimi partium internarum ſpaſmi, utpote glandularum inteſtinorum & meſenterii, unde dolores abdominis & circa dorſum, cum umbilici retractione, & aliis ſymptomatibus hyſtericis & hypochondriacis familiaribus, multum faceſſunt negotii.

Urina ſæpius eſt flammea, cum copioſo ſale tartareo rubro, frigabili, & inde dependente, & ſupernatante pellicula pingui, quæ ad latus aſpecta variatur inſtar caudæ pavonis &c.

Cauſa eſt acidum corruptum, & ab effluviis ſalinis aëreis, qualia aër marinus, & aquilonaris, loca paludoſa perflans, in ſinu ſuo fovet, exacerbatum.

III. *Signa quæ latentem ſcorbutum, à malo hypochondriaco, & aliis morbis diſtinguunt*, modò ſunt tradita, ſed in ſpecie tamen gingivæ laxæ, vel exulceratæ dolentes, cum dentibus, & urinæ memorata ſigna, ac maculæ purpureæ imprimis in cruribus, cum puritu vel arthritidæ vaga præ aliis ſignis ſunt diſtinctiva ſcorbuti phœnomena.

IV. *Curatio* hujus mali in genere *inſtitui ſolet, & debet per ſpecifica ſua antiſcorbutica*, qualia ſunt, vel volatilia plus minus acria, ut *cochlearia, naſturtium; chelidon. maj. & minus, trifolium aquat. Radix Raphani, ſem. ſinapi, eruca, gentiana* &c. Quæ tamen in temperamentis calidioribus, billioſis dictis, temperanda ſunt, per *acetoſell. & citrata.* Vel ſunt talia quæ reſpiciunt noxam nervis illatam; qualia ſunt *oleoſa ſulfurea, balſamica*, in ſpecie *Pinus cum ſuis ſtrobulis, Lign. ſaſſafr. & Radix China.*

Priora modò tradita antiſcorbutica infunduntur cum vino, in bilioſis verò, & qui phlogoſibus vagis obno-

obnoxii ſunt, cum ſero lactis; exprimitur verò ſuccus blando tepore depurandus, & ad uncias aliquot propinandus.

Mediantibus vero his ſuccis etiam cum limatura ♂ parari poſſunt Eſſentiæ, qualis eſt Tinct. ♂is antiſcorbutica &c.

V. Si Scorbutus nulla pathemata calida juncta habet, & alvus lenta exiſtit.

℞. *Radic. Raphani armorac.*
Polipod. q. aa ℥ ß.
Herb. cochleariæ,
naſturtii aquat. aa m j ß.
Flor. cichorii,
acatiarum aa m. j.
Fol. ſenn. el. ℥ j.
Rad. helleb. nigri ʒ vj.
Rhabarb. elect. ʒ ß.
Cinamomi opt. ʒ ij.
♁ i crudi ʒ iij.

Inciſa dentur ad nodulum menſuræ vini immittendum.

VI. Si verò ubique calor excedit, & phlogoſes vagæ, admodum moleſtant, atque ſic ſcorbutus calidus prævalet, tunc

℞. *Radic. raphani armorac. rec.* ʒ j ß.
Herb. cochleariæ,
naſturtii aquatici,
acetoſæ aa m. ij.

Conciſa & contuſa infunde in *Seri Lactis* per *ſuccum citri* deputati ℔ ij ß. & coque in cucurbita alembico ſuo munita deſtillando ad medias, *Colaturæ clarificatæ ſume* ℔ j. adde aquam ab ea prolectam, & in ea diſſolve R. ♂. *cum ſucco pomorum facta* ʒ vj. M. & dentur ſingulo mane ℥ iiij. Poſt

Post hæc ad evacuandas ruditates acriores, fiat *Decoctum Passulatum, cum foliis sennæ.*

Præter hæc ad nervorum noxas egregii usus sunt *strobuli pini, vel abietis albæ,* mense Martio collecti, & inde paratæ Essentiæ, cum *Tinct.* ♉ij. ⊖ *e vol. ol.* & ℅ *Ligni sassafras.* e g.

℞. *Aq. antiscorbutica, spleneticaSchr.* aa. ℥iij. *Essent. Pini* ʒij. ⊖ *vol. ol.* R ♉ij. aa ʒj. M. & detur sæpius cochleare.

In diligenti etiam usu sit *Potus Thee cum trifol. fibrino, cochlearia* &c. sæpius item exhibeatur ⊖. vol. *CC.* ad ʒj. de die cum ℞. ♂ *aperitiva, spir. cochlearia* &c.

Semper verò reflectendo ad Scorbutum vel frigidum vel calidum: Sic volatilia spirituosa, & oleosa modo tradita conveniunt scorbuto frigido, calido vero nocent.

VII. Symptomata Scorbuti urgentia, quod concernit, ex quibus Gingivarum laxitas, intumescentia, cruentatio, putredo &c. distinctivum Scorbuti signum exhibent, & à saliva; sale scorbutico inquinato, texturam Gingivarum laxante & rodente, dependent, curantur sequentem in modum:

Remedia sint *collutiones oris ex Decocto Salviæ, aquileg. Fl. balaust. Rosar. malv. hortens. nasturt. Polipod. summit. Pini,* additis ℞. *gummi Laccæ myrrhæ, alumine, spir. cochleariæ, Aq. virid. Hartmanni, ung. Ægypt.* &c. quæ in specie vide de Dentium vacillatione &c.

VIII. Dolores abdominis sive colica convulsiva scorbutica, cum retractione umbilici, & aliis symptomatibus hystericis vel hypochondriacis, demulcentur per clysteres &c. impetus convulsivi sistuntur per salia vol. ol. cum castor. opio, vel ex cochlea-

ria, cortic. aurant. castoreo, lumbricis, spir. *ci &c. fiant Essentiæ, & quæ sunt alia de Dolore Colico in specie tradita.

IX. *Dolores Scorbutici vagi* sive arthritis vaga scorbutica differt ab anthritide proprie dicta, sive fixa, in eo, quod vaga sit mox unum, mox alterum artuum affligens, & in qua contracturæ spasmodicæ, non verò materia tumorem inferunt, neque tophos relinquunt, item quod partes musculosas potissimum occupet, & tempore nocturno ingravescat. *Solvi solet nunc per sudores & urinam, nunc per excretiones cutaneas, vel & purpuram, cum maximè pruritu cutis.*

X. *In Cura* impetus salis scorbutici refrænetur, non tamen per volatilia in principio paroxysmi. Hinc eminet hic *Bezoard. solare*, & nonnunquam *salia fixa alcalica.*

Dehinc fiat accessus *ad volatilia* scorbuticis mixta. Inprimis *lumbricalia* quæ ex lumbricis conquassatis, & in vino, vel si phlogoses adsunt, in lacte infusis constent. *Egregius verò est liquor lumbricorum*, in vase, massæ panis incluso, paratus, & ad ℥ß. exhibitus.

Declinante Paroxysmo, conveniunt *remedia ex Pino, bacc. junip. antiscorbuticis* juncta &c.

Externè fiat suffitus ex Decocto lumbricorum & formicarum calidè excepti, ita ut membrum sudet. Potest etiam illiniri liquor lumbricorum, vel spir. formicar. cum spir. *ci mixtus, & si quasi erysipelas adest, solvatur camphora in dictis spiritibus. Vel & *Tinctur. Balsam. Deckeri* in Praxi Barbette descripta applicetur. Contracturæ artuum paralyticæ curentur ex capite de Paralysi. &c.

Singul-

Singultus.

I.

EST sonus ingratus inspirationis interruptæ, & cum impetu factæ; quem *alii orificii ventriculi* superiori, spasmis afflicto, *alii Diaphragmati*: deorsum versus contracto adscribunt; & hoc quidem inde demonstrant, quod singultus sæpius curetur inspiratione continuata, ex inhibita exspiratione, unde, si esset motus ventriculi, per inspirationem, in qua diaphragma stomachum premit, potius aggravaretur malum; Item quod joco quandoque vel terrore, aut alio animi motu nimio cesset; vel & sternutatio superveniens singultum tollat, quoniam sub forti exspiratione, diaphragma concussum illud dispellit, quòd antea ad spasmos irritabat, & sonum illum ingratum excitabat, &c.

II. *Causa* interim est omne illud, quod diaphragma ad reciprocam atque violentam contractionem, cogere potest, sive hoc hæreat in ventriculo, superius hujus orificium affligens, & ab assumptis vel citò nimis ingurgitatis dependens; vel per consensum, *ut in vulneribus capitis, nephritide, hernia,* &c. excitatum.

Ventriculi verò orificium affectum, & diaphragmatis posteriorem musculum, per quem transit, exinde irritatum, singultum facile inducere, demonstrant, *compressa thoracis vertebra undecima*, costarum ad ventriculum detrusio, *purgatio enormis, & febris continua*, quando convulsiones imminent, &c.

III. *Singultus, qui supervenit purgationi, diarrhœa, dysenteria, ileo imminenti* &c. periculi plenus est. Et si in febre continua accidit, plerumque mortem

præ-

prænunciat, ſic & in ſomno profundo, animi deliquiis, aut tetano, mortem non longe abeſſe indicat.

Sed ſi à frigore, vel cibo & potu excitatur, minus periculoſus exiſtit, quam ſi affectus modo dictos, aut eorum cauſam inſequitur.

Sæpe verò diuturnum malum eſt ſingultus & ægrum admodum affligit, ſic alii per 12. alii 20. imò alii per 40. dies laborarunt ſingultu & tamen curati fuere, hic aquis thermalibus, ille *mechoacannæ* ℥ ß. in fino infuſa, & inter alia purgantia, propinata.

IV. *In curatione hujus mali* conſideretur, an ſingultus alium morbum ſequatur, utpote quo ſublato, ſimul hoc accidens ceſſat; vel an ex refrigeratione, aut repletione nimia, aut ab humoribus acribus, æruginoſis &c. excitatus ſit, &c.

Aliquando *ſaburra aceſcens* ab aſſumtis enata, eſt in cauſa, & *mediante vomitorio removenda.*

Dehinc *abſorbentibus & edulcorantibus* contenta acria, *vel æruginoſa,* demulcenda ſunt.

V. Si ſenibus accidit absque febre conveniunt antapoplectica vel antiepileptica cum carminativis mixta, e. g.

℞. ▽ *carminativ.* ℥ iij.
Elix. vitæ Matth. ℥ j.
Eſſ. ambræ,
Confect. alkermes aa ʒ ij.
M. detur ſæpius cochleare.

Vel ℞. ▽ *Zedoar. aniſat.*
cinamom. cydon. aa ℥ ij.
Elix. vitæ Matth. ℥ j.
Cryſtall. mont. pr. ʒ j.
Syr. cynamomi ℥ ß.

U M. de-

M. detur sæpius cochleare unum aut alterum.

VI. *Si Febribus ardentibus supervenit.* Ephemer. Cur. Dec. anno 5. p. 235. admodum commendant sequentia, e. g.

℞. *Spec. Diacretæ* M. ʒ j.
Bezoard. min.
Lapid. prunellæ aa ʒ ß.
laud. op. gr. vj.
M. fiat pulv. qui dividatur in 3. p. æq. porrò.

℞. *Sem. melon.* ℥ j.
papav. albi ʒ ij.
Amygd. d. excort. no. xxx.
Cum *Aq. Scorzoner. compos.* ℥ xij. fiat emulsio, quæ sacharo edulcorata propinetur,

Ad stomachum fiat cataplasma hoc:

℞. *Fermenti acerrimi* ℥ j.
Theriacæ ʒ iij.
Nuc. moschat. no. j.
ol. menthæ ʒ j.
M. ut fiat cataplasma.

In Diæta fugiantur omnia frigida, acida, acria & flatulenta. Potus verò sit decoctum hordei cum cinamomo vel galanga. Vinum autem exulet.

Ster-

Sternutatio immoderata.

I.

Est motus convulſivus *muſculorum Pectoris, &c. expirationi inſervientium*, in quo aër poſt aliqualem inſpirationis ſuſpenſionem, ſubito per nares & os, una vice exploditur.

II. In hoc actu thorax à ſuis muſculis conſtringitur, & abdomen etiam à ſuis comprimitur, ac diaphragma, à ſurſum contentorum motu, intra thoracem cogitur. *Hinc ſternutare in difficili partu proficuum, in Herniis verò noxium exiſtit.*

III. *Cauſa hujus motus convulſivi occaſionalis*, eſt omne id, quod membranam narium internam ſuperiorem irritat.

Irritamenta verò hæc ſunt *vel externa*, utpote odorata acria, & vellicantia, qualia præbent pulveres varii ſternutatorii, *vel ſunt interna*, ut in coryza, lympha aris &c.

In omni tamen ſternutatione, cerebrum videtur inſons, nam quæ ejus ope ejiciuntur, ſunt ex glandulis, poſt membranas narium & faucium ſitis, vel partim ex aſperæ arteriæ bronchiis; hinc proficua exiſtit ad pituitam, ex bronchiis expellendam, quæ aliàs tuſſi non poterat rejici.

IV. Si ſternutatio ſine manifeſta cauſa crebrius repetit, epilepticos aut convulſivos inſultus denunciat. Et ſi Apoplecticos vel epilepticos, non movent, vel ad ſternutationes irritant ſternu-

tatoria, malum eſt. Aliàs oculis non ſunt proficua.

V. Ad removendam cauſam irritantem, poſt acrius ſternutatorium adhibitum, conducit naribus injicere *lac tepidum*, vel *cremorem lactis cum mucilagine ſem. pſyllii, vel cydoniorum, cum ▽ nymphea extractam*, vel & pro odoratu naribus admovere *ſem. fœnic. vel aniſi aceto infuſa.*

Egregii etiam uſus & effectus eſt *oleum roſaceum, opio impragnatum*, & interioribus naribus illitum.

Stranguria.

I.

Est doloroſa urinæ excretio cum ſtillicidio, & continuâ ad mingendum irritatione, quam cauſatur urinæ acrimonia, magis urethram, quam collum veſicæ afficiens.

II. *Et hæc acrimonia generatur ex aſſumtis non ritè digeſtis, ſed aceſcentibus*; ſic ex cereviſia non rite defæcata, & in ſtomacho acore ſuo haud privata, ſæpiſſime ſtranguria cauſatur.

Et ſi ſenibus accidit, ex defectu digeſtionis primæ, incurabilis ferè eſt.

III. *In curatione*, ſi ex digeſtionis vitio, vel aceſcentia generatur in ſenibus, conducit vinum Hiſpanicum, Malvaticum, juniperinum, vel Spir. vini junip. ſub introitum lecti cochleatim bibitus.

Ratione continuitatis umbilici cum veſica per urachum, irritationem optimè demulcet, *axungia hirci, vel ſevum cervinum*, umbilico, forti triturâ infricatum.

Quibus conſueta eſt ſtranguria ex cereviſia, illi cereviſiam bibant cum *pulv. N. Moſchatæ*, vel *oculos cancri cum cort. aurant. pulv.* aut gutt. aliquot *Balſ. copaivæ cum Spir. vini junip. vel vino malv. aſſumant.*

Vel ℞. *Ocul.* ♋ pr. ʒ j.
N. Moſch. pl.
Cort. aurant. pl. aa ʒ ß.
☍ *ſtill. cort. aurant.* gtt. v.
Sachari ʒ ij.
M. fiat pulvis ſæpius ſumendus.

Suffocatio.

I.

E*St abolita inſpiratio*; & exoritur vel vitio viarum aerem non tranſmittentium; vel vitio Pulmonum aerem non admittentium, & denique vitio muſculorum ac nervorum thoracem haud legitime dilatantium & moventium.

II. Vitia quæ vias occludunt, ut aërem non tranſmittant, ſunt laqueus in ſtrangulatione laryngem conſtringens, vel inflammatio faucium tonſillarum, aut muſculorum adjacentium, item deglutita varia, ratione nimiæ molis in faucibus hærentia, & epiglottidis motum impedientia. &c.

III. Vitia quæ Pulmones obſtruunt, ut aerem non admittant, ſunt, vel *ſanguis propter ſui abundantiam ſtagnans, vel calculus in arteria venoſa latens, aut materia viſcida, vel polypus* in dextra cordis auricula deliteſcens.

Nonnunquam item oritur ſuffocatio ex ſanguinis coagulatione, quando poſt nimium corporis calorem, ſubitò potus frigidus ingurgitatur. Item quando quis aquis ſubmergitur, & ex impedita aeris admiſſione vel aquarum irruptione, ſuffocatur.

IV. Spectant & huc *ſuffocationes, quæ ex fumis ſubterraneis, aut carbonibus accenſis & gas venenoſum exhalantibus*; vel ab exhalationibus vini fermentantis, parietibus, calce viva recenter incruſtatis, odore aquæ fortis vel accenſi ſulfuris &c. accidere ſolent. Dum vel inde ſanguis coagulatur, aut ſpiritus inebriando & figendo interimuntur.

Denique in muſculis & nervis thoracis ſuffocatio quærenda venit, & ex hac cauſa ſuffocatio fieri ſolet

in

in Apoplexia forti, in syncope ex spirituum animalium defectu.

V. Sic & aliquando *ex spasmis*, *& convulsionibus partium membranosarum abdominis*, & musculorum thoracis, suffocatio, solet trahere originem, qualis est illa, quæ *Suffocatio uteri* audit.

Nonnunquam etiam *ex venenosis fungis strangulatoriis comestis*, suffocatio causatur.

Vel jucundo magis modo, nonnullis ex coitu, tanquam parva alias epilepsia, oriri solet.

VI. *Cura ergò suffocationis variat, pro causarum ratione*, e.g. Si quis laqueo suffocatus restituendus esset, tunc soluto laqueo, tali vena secetur, spirituosa infundantur, atque in loco calido collocato, frictiones artuum instituantur.

Si à frusto vel bolo, in faucibus hærente, quis suffocationis metum incurrit, descensus ejus promoveatur vel per concussionem in dorso, vel instrumento flexibili in stomachum detrudatur bolus &c.

Si Sanguis in Pulmonibus stagnans videtur causam fovere, tum vel *Venæ Sectione*, vel sanguinis coagulum dissolventibus, suffocatio tollatur.

Et si post potum frigidum in nimio æstu, quis sensim suffocari velle videtur, tum coagulum illud optimè solvitur per *succum expressum florum bellidis flore rubro*, debite propinatum.

Si autem quis aquis submersus, suffocatus fere est, is elatis pedibus, inclinato corpore concutiatur, ut aqua effluat. Vel per canalem aut tubulum, *ano insuffletur aër*.

Illis verò qui *ex noxiis fumis*, suffocati videntur, propinetur *vomitorium satis validum*; dehinc adhibitis *Aq. Apoplect. Spir. theriacali*, vel *sternutatoriis* naribus insufflatis, revocentur. *Suffo-*

Suffocatio Uteri, sive *Affectio*, aut *Passio Hysterica*.

I.

PAucissimas fœminas, ab omni horum affectuum specie prorsus liberas, *Sydenham* pronunciat, nisi illæ excipiantur, quæ laboribus assuetæ, vitam durè tolerant.

Suffocationis nomen sortitur *à præcordiorum insigni angustia*, & respirationis tantâ difficultate, ut laqueo quasi constringi, & suffocari velle videantur: imò eousque interdum procedit malum, ut nulla sensibilis respiratio, vel sensus superstes esse videatur.

II. Utplurimùm verò paroxysmus inchoat per oscitationes, & pandiculationes, nonnullæ verò scotomia & vertigine prius infestantur: In aliis notabilis quædam externarum partium refrigeratio, symptomatibus aliis viam sternit, & plerumque non nisi paroxysmo finito dispellitur.

Paroxysmo præsente in inferiore ventre percipiuntur borborygmi, & *cujusdam globuli superiora petentis, & versus gulam ascendentis motus sentitur.*

Subinde sentiuntur hypochondriorum tensiones à flatibus, nunc per os, nunc per anum erumpentibus, unde dolores vagi abdomen plurimum excruciant.

Præterea appetitus nonnullis est prostratus, & alvus lenta vel durior: Nonnullæ, palpitatione cordis, vomendi conatu, &c. affliguntur.

Sunt etiam, quas copiosus risus, vel lachrymæ involuntariæ, exercent; vel in graviori malo, miris arti-

articulorum gesticulationibus, sive convulsionibus, sensibus etiam illibatis, excruciantur.

Nonnullæ fatigantur dolore capitis, in aliqua saltem parte, qui dolor propterea *Clavus hystericus* vocatur, *quemque comitantur vomitiones enormes*; Aliquando tussis sicca, sine remissione exercet.

Nonnunquam dolor quidam, *iliacæ passioni haud absimilis* exercet, unde ægra colluviem quandam viridem immodicè vomit, & postquam ægra ad multos dies, nunc dicto dolore, & continuô vomiturītionis conatu tantum non fuit enecta, tandem ictero solvitur paroxysmus.

Aliquando *atrox dolor alterutrum ex renibus* aggreditur, & paroxysmum nephriticum mentitur.

Nunc in ventriculum decumbit malum & vomitum vel diarrhœam excitat, & quæ sunt innumera hujus mali phœnomena interna.

Ubi etiam nec externæ partes manent illibatæ, quando maxillas, humeros, manus, crura, tibias, nunc tumor, nunc dolor occupat, vel dentes saltem excruciat.

Proprium tamen & ferè inseparabile phænomenon suppeditat, Urina planè, instar aquæ limpidæ, copiosè emissa; nec non tristitia, mœror, aut alia aliqua animi perturbatio.

III. *Causa mali* hujus primaria & efficiens, *sunt spiritus animales in perturbato motu constituti*, qui impetu facto, in hanc vel illam partem irruunt, & organorum functiones pervertunt, atque spasmis vel convulsionibus afficiunt.

Causæ antecedentes ad hoc malum disponentes sunt variæ, in specie tamen *acidum vitiosum* potissimam mali hujus causam fovet.

Quid ingravidatio, mensium suppressio, aut animi passiones graviores huc tribuant, notum est.

IV. *Veteres Uterum accusant*, & mulierculæ nostrates medicastræ, adhuc dum in ea persuasione perseverant, Uterum nimirum commotum, sursum ascendere, & gulam petere; non considerantes, vel nescientes, firmam uteri, cum intestino recto, & osse pubis connexionem, hoc negare.

Hystericam verò passionem, sive uteri suffocationem *& malum hypochondriacum virorum*, *unum & idem esse malum*; demonstrant æqualia morborum horum phænomena, excitata à perturbato spirituum animalium motu, & singulari horum debilitate, mutabilitate, & agilitate, introducta, ab acido non solum singulariter depravatè disposito, sed & *animi variis alterationibus*, vel *odoribus spiritibus infestis*, sive suaveolentibus, aut minus gratis, &c.

V. *In Curatione* ante omnia paroxysmo compescendo insistatur, spiritus nimirum ad tantum pr. nat. motum acti, ad quietem reducantur.

Vestes circa pectus solvantur, & illis quæ graveolentia ferunt *odoranda adhibeantur*, *Spir.* ✱*ci cum castoreo*. Vel nodulus *ex Castoreo*, *ruta*, *& asa fœtida* naribus admoveatur, vel fiat *suffitus ex plumis perdicum*, *verrucis equorum*, *aut ungula caprina* accensis.

Vel quod aliàs facilè ad se redire facit afflictas, *pili pubis vellicentur fortiter*. Vel vulvæ in loco clitoridis illinatur *Balsamus Apoplecticus*, vel *Zibeth.* cum moscho.

Et si hæc non sufficiunt, *naribus inspirentur sternutatoria ex castoreo, pyrethro, helleb. albo* &c.

Abdomini sive regioni umbilicali inungatur

Oleum

Oleum ſuccini cum dimidio *Olei ſpicæ*, deſuper imponendo *Empl. ex galbano* ſeq.

℞. *Gummi galbani* vino ſoluti & ad pultis conſiſtentiam rurſus inſpiſſati ℥ij.
Caſtorei pl. ʒij.
Olei ſuccini ʒiß.
Spicæ ʒj.
M. fiat Empl. ad umbilicum.

℞ *Azung. caſtorei* ʒj.
Olei ſuccini ʒß.
Spicæ ℈j.
Zibethi gr. vj.
M. ad inungendam umbilici regionem.

Clyſteres etiam carminativi diligenter injiciantur.

VI. Ex internis conducunt, illa quæ de malo hypochondriaco ſunt commendata, ubi ea quæ acidum corrigunt, & exinde flatuum proventum inhibent, ſpecifica ſunt; In paroxyſmo tamen electis illis quæ ex *caſtoreo, ſale, vol. ſuccini, opio, Zedoaria, leviſtico* &c. ſive in Eſſentias, ſive ſalia volatilia oleoſa &c. redacta ſunt, e.g.

℞. *Fl. ✻ci tartariſat.*
⊖is C.C. volat. ā ā. ʒj.
Camphoræ ℈iß.
🜍 ſuccini deſt. ℈j.
Optimè tritis affunde
Tinct. caſtorei ℥ij.
M. & ſtent pro uſu. Doſis ſunt 30. 40. 50. guttæ.

℞. *Aq. bryon. comp. meliſſ. menthæ.* ā ā. ℥j. *⊖is vol. oleoſi modo præſcripti gtt.* 50. R. *anod.* ℈j. *Syr. cort. aurant.* ʒij. M. & detur pro doſi.

Vel ℞. *Aq. carminativ.*
Zedoar. ā ā. ℥iß.
meliſſ. cum vino ℥ij.

R. C. C.

℞. *C.C. succinat.* ʒij.
anodin. ʒj.
Syr. kermes. ʒij.
M. detur sæpius cochleare unum aut alterum.

Vel ℞. *Rad. Galang. Zedoar.* ā ā. ʒij. *Cinamomi* ʒiß. *Herb. matricar. menthæ, melissæ* ā ā. m. ij. *Bacc. lauri* ʒiij. *Castorei* ʒiß. *sem. carvi* ʒj. Incisis & contusis affundatur *spir. vini juniperini* ℔j. & de spiritu probè imprægnato detur cochleare unum aut alterum.

Vel ℞. *Castorei* ʒj.
⊖ *is succini vol.* ʒß.
Extr. rutæ q. s.
Ut fiant Pilulæ no. 60. de quibus singulis noctibus dentur no. 6. vel 7. pro dosi.

In defectu horum generosiorum egregium euporiston præbet *succus stercoris equini cum Aq. menthæ vel vino* expressus & propinatus.

VII. *Qui fœtida* sive externè, sive internè ferre haud possunt, illis *suaveolentia odoranda* exhibeantur & interne.

℞. *Extr. Ligni aloes* ℈j.
Moschi opt. ℈ij.
Laud. Opiati gr. iij.
☍ *Cinam.* gtt. iij.
M. fiant Pilulæ pro tribus vel quatuor dosibus.

Extra Paroxysmum conveniunt eadem, quæ hypochondriacos juvare solent, in specie *marti alia* ad modum *Sydenhammi* exhibita.

Syncope, Lipothymia &c.

I.

QUando vires ſubito proſternuntur, tunc vel lipothymiam, vel ſyncopen, aut omnimodam aſphyxiam, incurrit æger.

Si Lipothymiam; tunc præter pulſum admodum debilem, *ſenſus ſimul externi & interni obſcurantur*, & motus animalis tam voluntarius, quam naturalis, magis minus aboletur, adeo ut etiam reſpiratio ferè ceſſet.

Et ſi pulſus plane ſubſiſtit, neque reſpiratio obſervatur, ubi æger ſubitò concidit, friget & pallet, vel ſudor frigidus erumpit, aut urina & alvi, excrementa ſponte effluunt, tunc major gradus lipothymiæ, *Syncope vocatur*, vel ſi ſymptomata hæc ingraveſcunt, *aſphyxia* audit.

II. *Cauſa* horum affectuum in genere, eſt *deficiens ſanguinis turgeſcentia*, vel ſpirituaſcentia in pulmonibus & ſiniſtro cordis ventriculo, & inde inducta circulationis ſanguinis ſubſiſtentia, à ſpirituum animalium motu intercepto, vel ad tempus abolito.

Aboletur verò ſpirituum animalium motus & intercipitur *à terrore ſubitaneo, gaudio immoderato, vel ſola imaginatione rei horrendæ*; Aliis accidit ex ſingulari idio-ſyncraſia, dum quis felis præſentiam vel aliud quid abhorret; *vel quando hyſtericis odor ſpiritibus infectus*, ſive graveolens, ſive ſuavis, odorandus occurrit.

Sic alii lipothymias vel ſyncopen incurrunt, ex nimia ſanguinis vel ſeminis profuſione, vel ſola

ſaltem

ſaltem Venæ ſectione, nimio ſudore, vel dum hydropici per paracentheſin nimia aqua una vice evacuantur, &c. Aut quando quis rarioris texturæ gravi dolore affligitur, vel purgante fortiore exhibito hypercatharſin incurrit, vel nimio corporis motu, nimium defatigatur, &c.

Frequens etiam ſolet eſſe ſyncope vel lipothymia *ex ſtomach*, e.g. *ab eſu fungorum* venenatorum, *à lacte coagulato*, vel humoribus acrioribus, æruginoſis, orificium ventriculi ſiniſtrum afficientibus, & qui ſic animo delinquunt ex affecto ſtomacho, præter inexplicabiles moleſtias circa regionem ſtomachi, ſentiunt vertiginem & oculorum caliginem, imminente ſyncope.

III. Qui verò poſt exhibita ſpirituoſa, poſt irrorationem faciei cum frigida, vel poſt ptarmica &c. ad ſe non redeunt, in periculo vitæ verſantur.

Et ſi ſudor frigidus ſupervenit, tum quo copioſior & frigidior emanat, eo pejor exiſtit.

In quocunque etiam morbo, ſi præter manifeſtas cauſas, mox ſupervenit *ſumma virium proſtratio*, *tum malignitatem ſubeſſe* indicatur.

Imò, ſi quis ſine manifeſta cauſa languidus exiſtit, tum in morbos hos inclinat; vel qui à morbo acuto reconvaleſcens, diu languidus manet, vel recidivam, aut cachexiam incurrit.

In curatione ante omnia Paroxyſmus abigendus, *Balſamo Apopl. vel Spir. *ci* naribus admoto, vel ℞. *Cinam. opt. garyophyll. N. moſch. Nuc. Perſic.* aa ʒ ij. *Herb. rutæ min.* inciſ. p. ß. *micar. panis* q.ſ. M. immittantur nodulo, & irrorentur vino vel alio liquore, & naribus admoveantur.

Facies irroretur aqua frigida, item *Spiritus vini cam-*

camphoratus cordis regioni & pulsibus applicetur. Vel *Confect. alkermes* ʒ ij. *cum Aq. Apopl.* ʒ j. frusto scarlatino illitæ, calidè regioni cordis adponantur. Vel *fiant sacculi ad pulsus*, qui irrorentur, *aquâ carfunculi, cinamomi, flor. naphæ* &c. aut in calore præt. nat. humectentur *cum aceto camphorato* & tepide pulsibus, vel cordis regioni applicentur.

Extremæ etiam partes fricentur *cum aceto*, in quo *sal & theriaca* sunt soluta.

IV. Paroxysmo superato *pro causarum varietate cura variatur*, e. g. in syncope stomachica, si nausea &c. adest, *propinetur vomitorium*, & ne in vomitionis actu delinquant, *odor vini generosi, vel aceti* naribus adhibeatur.

V. *Si ex Purgatione nimia* syncope imminet, convenit *Theriaca, vel extract. theriacale cum Aq. cinam. conf. alkermes*, &c.

VI. *Si ex terrore* videtur traxisse originem, tum *vena secetur*, & *sal volat. oleosum*, vel simile exhibeatur, e. g.

℞. *Aq. cinamomi opt.*
rubr. idæi aa ℥ ij,
Elix. vitæ Matth. ℥ j.
⊖*is vol. ol. cinam.*
Tinct. cinamomi aa ʒ j.
Ess. ambræ ʒ ij.
Conf. alkerm. comp. ʒ j.
Syr. è succo kermes ℥ iij.

M. detur sæpius cochleare unum aut alterum.

VII. *Si ex gaudio*, vel Spiritibus alia ratione exsolutis dependet, conveniunt *Julepi aciduli*, vinum generosum Rhenanum. Vel

℞. *Aq.*

℞. *Aq. ceraſ. nigr.*
roſarum,
rubi idæi aa ℥ ij.
℞. *cinamomi* ʒ ij.
Spir. ⊕ *i dulcis* ʒ iij.
Syr. acetoſ. citri ℥ ß.
M. detur ſæpius cochleare.
Vel ℞. *Conſerv. Roſar. coctæ,*
Pulpæ citri aa ℥ j ß.
Confect. alkerm. compl. ʒ ij.
Spir. ⊕ *i dulcis* ʒ ij. *Syr. rubi idæi* ℥ ß.
M. detur ſæpius cuſpis cultelli.

VIII. *Qui ex V. Sectione* facilè animi deliquium incurrit, *illi ſal. comm. ori immittatur*, & ſupinus in pavimento deponatur. Vel ut hoc præcaveatur, *ſumat juſculum ante Venæ ſectionem*, de hinc in dorſo cubanti V. aperiatur.

Et ſi ex nimia ſanguinis profuſione ſyncope metuitur, tum *acida opiatis ſociata & cum corall. pulv.* mixta optima ſunt. Atque hoc in caſu egregii uſus eſt *mixtura Sylvii* &c.

Tusſis.

Tussis.

I.

EST sæpius reiterata, momentanea tamen, musculorum thoracem cingentium contractio, atque *pectoris motus convulsivus*, ubi thoracis nervi & musculi à spirituum impetu, in motum convulsivum aguntur.

Et si motus hi spasmodici, convulsivi, ex sola saltem irritatione, sive in ipsis nervis Pectoris exorta, sive ex consensu aliunde dependente, uti *hypochondriacis & hystericis aliquando solet esse familiare*, excitantur, tunc *tussis hæc sicca sive convulsiva* audit; ubi magno labore nihil excernitur, sed universum corpus tussi inani fatigatur, aliquando cum capitis aut hypochondriorum, aliarumque partium dolore; insequente non raro hernia, vel urinæ aut alvi excretione. Si verò concussionis illius ope, humor sive serosus sive mucosus, per os rejicitur, tunc *humida tussis vocatur*.

II. Tussim utramque, sive siccam sive humidam, Practici moderni *in pectoralem vel stomachalem* distinctam esse volunt.

Sic Pectoralis sicca tussis aliquando excitatur ab aere inclemente, aut fumis acidis mineralibus, qui asperam arteriam irritant & contrahunt, ut pectoris angustia, vel sensus pulmonum compressivus inde excitetur.

Hæc verò tussis, ex læsione successiva irritatæ partis, tandem fit humida.

Vel excitatur *vitio lymphæ acrioris*, *& Tussis catarrhalis dicitur*, quando aliquid febrilis combi-

natur, & nocte adveniente totius corporis æstus, præcipue capitis sentitur, qui revertente aurora cessat: aliquando tamen etiam tussis talis catarrhalis, sine febre affligere solet.

III. Magis tamen frequens est *tussis nocturna* Phthisicis, & scorbuticis, quam tussi simplici afflictis.

Ut plurimum verò *tussis nocturna catarrhalis radicem habet in stomacho ex chylo* in primis viis haud ritè elaborato, qui sui labem, mediante lympha pulmonibus, & aliis partibus communicat.

Ad has tusses catarrhales, spectat illa *tussis, quæ in principio variolarum & morbillorum*, molestat, vel à scabie aut tinea repulsis excitatur.

Sic ejusdem speciei sunt *tusses, in febribus ardentibus, vel pleuritide molestantes*, quæ in principio sunt siccæ in progressu verò morbi ex lympha & sanguine mixtis, mucosæ, & in pleuritide suppuratâ purulentæ evadunt.

IV. *Ut tamen Tussis pectoralis à stomachali cognoscatur* sequentia observentur. Jubeatur scil. æger ut profundius respiret, tum si mox tussire incipit, indicium est in pectore vel pulmonibus vitium latitare. Sic & respiratio circa superiora pectoris loca magis impedita, tussim pectoralem indicat; Imò sonitus locum monstrat. Et ubi noctu magis affligit tussis, vel febricula simul noctu accedit, tussim pectoralem esse denotat.

Stomachalis verò cognoscitur, quando anorexia adest, & dolor plus minus compressivus circa scrobiculum cordis sentitur, vel tussis vomitum concitat, & si aliquid catarrhalis subest, vespertino tempote exasperatur; item si senes, sine occasione inspirati aëris, copiosa viscida per tussim excernunt. Sic

& ar-

& arthriticorum tussis humida, quæ superveniente podagra quasi sponte evanescit, stomachalis esse solet.

Plerasq; verò tusses originem ducere ex materia salsa, vel tenui, in rugis & orificio ventriculi superiore vellicante, quotidiana confirmare videtur experientia; vel hoc demonstrare videtur, quod, ab ab aqua vitæ, vel alio quodam liquido spirituoso acriori gulam transeunte, tussis aliquando satis vehemens excitetur, etsi asperam arteriam ne gutta quidem intret.

V. Ratione eventus, notetur, *Tussim catarrhalem pectoralem, nocturnam, plerumq; esse prodromum phthiseos*; Sic etiam illi phthisin vel hæmoptisin vix declinant, quorum lympha vel sanguis, salso & acri sero refertus est, & pulmones debiles habent, ac frequentiori tussi exercentur.

Quæ verò *à causa externa* excitatur *periculosa haud est.* Uti nec illa quæ in declinatione febris continuæ accidit, & ubi expectoratio succedit.

VI. In cura *Tussis pectoralis siccæ*, acre vellicans mitigetur, & materia pro meliore expectoratione, ad moderatam consistentiam disponatur *incrassantibus*, *opiatis* nimirum & temperatis, quæ irritationis sensum sistunt, e. g.

℞. *M. Pil. de cynogloss.* ℥ ß.
Extr. liquirit. ℈ j.
croci ℈ß.
opii gr. vj.

M. fiant Pilulæ no. 60. de quibus singulis noctibus sumantur no. 5. vel 7.

Eundem effectum etiam præstant *Pilulæ de styrace*, si febris non adest.

Vel ℞. *Spec. diaireos* ʒ ij. *Flor.* 🜍 ℈ ij. *antihect. Pot.* ʒ ß. *extracti opii* gr. iij. M. detur pro tribus doſibus.

Si tuſſis eſt catarrhalis & nocturna, tum præmiſſo vomitorio detur *Spir.* ✱*cianiſatus, cum Eſſ. opii,* vel *liquor C.C. ſuccinatus*, ſi febris adeſt.

VII. *Si humida eſt tuſſis pectoralis*, & lympha tenax exiſtit, tunc *vomitorio* interpoſito, incidentia & expectorantia veniant in uſum, e. g.

℞. *Aq. aſthmaticæ,*
Oxymellis ſquillit.
Syr. de farfara aa ℥ j.
M. detur ſæpius cochleare.

Vel ℞. *Spir. vini aniſati* ℥ v. *gummi ammon. diſſol.* ʒ j. *Oxymellis ſquillit. Syr. de farfara* aa ℥ j. M. detur ſæpius cochleare.

Aut in expectoratione difficili infantum,

℞. ☍ *amygd. dulc.* ℥ ij. *Sperm. ceti* ʒ ij. *Syr. de jujubis* ℥ j. M. detur pro aliquot vicibus.

Conducunt verò hic omnia illa, quæ in aſthmate ſunt commendata.

VIII. Et ſi his & ſimilibus expectoratio optimè fuit promota, tum ad *pectoralia vulneraria* fiat acceſſus, quæ irritationem ulterius inhibent, hunc in finem detur *Balſamus* 🜍*is aniſatus, cum ſyrupo de farfara*, vel *decocta pectoralia ex tuſſilag. ſcabioſa, hædera terr. helenio, veron. ſaſſafr.* &c. veniant in uſum.

IX. *Si ab aëris inclementia* Tuſſis fuit contracta, optimus eſt Spiritus vini cum ſacharo & ficubus, combuſtus, vel

℞. *piritus vini* ℔ ß.
Sachari ℥ iij.

Spiritus

Spiritus vini deflagret, tunc adde
Aq. Flor. acat.
Syr. capill. Veneris aa ℥ i ß.
M. bibatur sæpius cochleare plenum.

X. *Tussis stomachalis* sicca curatur præmisso vomitu, iisdem temperantibus & opiatis, supra in tussi pectorali sicca laudatis.

Sic & Tussis humida stomachalis, *præmisso vomitu*, curatur per *Aquam asthmat. spir. vini cum ficubus* deflagratum, *spir. ✱ci anisatum, Tinct. ♁ acrem, Elixir menthæ* & similia.

XI. In *Tussi ferina*, egregiè etiam conducunt *sudorifera*, & quidem ex *Guajaco*; hujus namque decoctum materiam pulmonibus impactam admodum attenuare & evacuare compertum est.

Nec Venæ sectio semper omittenda, præcipue in plethoricis, quibus haud leve levamen afferre solet.

Et si alvus lenta existit, ℞. *M. Pil. de hiera cum Agarico* gr xv. *Gummi ammon. aceto soluti* ℈ß. *extr. troch. alhand.* gr. iij. cum *olei fœnic.* gtt. aliquot fiant Pilulæ pro aliquot dosibus, laxandi saltem gratia;
Vel clysteres exhibeantur.

Infantibus, qui ex difficili dentitione tussiunt, *Sydenham vesicatoria commendat.*

XII. *Diæta* pro circumstantiarum ratione *sit excarnis*, & pro potu in usum cedat *Thea cum sacharo*. Vel ex *Rasur. Ligni Sassafr. Rad. Chinæ, cum passulis* fiat decoctum &c.

Vertigo.

I.

RAtione graduum *triplex datur*. Sic ubi corpus, & exteriora, ſaltem circumgyrari videntur. *Primus adeſt gradus*. Si autem Scotomia accedit, i. e. quando oculi velut affuſa caligine obſcurantur, aut varii colores præ illis verſari videntur. *Secundus*. Et ſi oculorum caligo tantum invaleſcit, ut æger concidat, tunc tertius hic gradus dicitur *vertigo caduca*, & proximus eſt ad Epilepſiam, vel Apoplexiam greſſus.

II. *Cauſa eſt motus ſpirituum animalium inordinatus*, quando in oculis, auribus, & aliis ſenſuum organis quaſi circumgyrantur & inordinate agitantur, ob craſſiores immiſtos, prout in ebriis conſpicuum, ubi rudiores vini ſpiritus, animales in ſuo blando undulatorio motu interturbant, atque vertiginem excitant.

Remotiores quod concernit cauſas, vertigo vel per conſenſum ab aliis organis affectis, vel per Eſſentiam vitio cerebri qualicunque, trahere ſolet ortum.

III. Organa ſive partes, quorum cauſa vertigo accidere ſolet, ſunt *inprimis ventriculus*, & in ſpecie *in eo latitans ſui generis, acor volatilis*, orificium ſuperius affligens, cujus manifeſtum indicium præbet *jejunium vertiginem inferens*, in juvenibus ſtudioſis, hypochondriacis, & ſenibus, debili ſpirituum diſpoſitione laborantibus.

Sic & *cibi flatulenti*, *vermes inteſtinorum*, *ebrietas* &c. ad vertiginem diſponunt. &c.

Per

Per Essentiam exoritur vertigo, si ipsa massa sanguinea præt. nat. est constituta, & hinc spirituum animalium motus perturbatur.

Vel si vitium cerebri, conformationis accidit, ex contusione, casu, abscessu & similibus, texturam cerebri lædentibus.

IV. Eventum hujus mali quod concernit, notandum erit, quod *in senibus periculosior* existat vertigo *quam in juvenibus*. Et quod, si diuturnius, & gravius citra manifestam causam molestat, *in junioribus Epilepsiam, in senibus verò Apoplexiam* prænunciet.

V. *In curatione vertiginis consensualis*, utpote quæ ferè semper *vitio stomachi* generari solet, convenit ante omnia *vomitus*, dehinc *antiepileptica & opiata*.

In malo inveterato conducunt *M. Pil. de succino extracto colocynth. acuata.* Vel etiam *Pilulæ mastichinæ cum extr. Helleb. nigri*, & ☿io *dulci* combinatæ, omnibus novi- & pleniluniis instantibus, vesperi exhibitæ, ad primas vias mundas servandas.

Senibus & cacochymicis admodum conducunt *fonticuli brachiis inusti.*

Curato verò paroxysmo, & corpore purgato, *præservationi insistendum*, & ventriculo prospiciendum. Hunc in finem ℞. *Galangæ* ℥ß. *Cubebar.* ʒij. *Sachari* ℥ iß. M. fiat tragæa, de quâ pani biscocto inspergantur ʒij. *vino generoso* intinctus panis comedatur una aut altera hora ante paroxysmum.

Vel quod *Ephem. Cur, Dec.* 2. Ann. 8. p. 114. commendant.

℞. *Nuc. moschat.* no. j. *cubebar. cardamomi* ā ā. ℈j. *garyophyll.* gr. xv. *cinamomi, macis* ā ā. gr. xvij. ♁ *Diaph.* ʒj. *cinnab.* ♁ ℈ß. *elæosach. levistici* ℥j. M.

 fiat

fiat pulv. de quo post pastum sumatur cuspis cultelli.

VI. *In habituali* autem vertigine magis appropriata addantur, ex quibus præ aliis eminet *stercus Pavonum*, vel *Laud. opiat. cum Oleo vel sale vol: succini* combinatum; aut *Liquor. CC. succinatus*, vel R. *CC. succinata, sal. vol. ol. sassafr.* &c.

E. g. ℞. *Aq. Apoplect.* sive
Serpilli comp. ℥iij.
⊖ *is vol. ol. succini*, sive
R. *CC. succinatæ*, ʒiß.
Castorei ʒj.
Syr. flor. pœoniæ ℥ij.
M. detur sæpius cochleare.

Vel ℞. *Aq. Apopl. parum camphoratæ*,
chærefolii spirituos. ā ā. ℥ij.
⊖ *is vol. ol. succinati.*
sassafrati ā ā. ʒiß.
R. *anod.* ʒj.
Syr. fl. pœon. ℥ij.
M. detur sæpius cochleare.

Vel ℞. *Sterc. Pavon.* pl. ʒiij.
Cinnab. nativ. pr. ʒij.
Cubeb.
Galang. aa. ʒß.
Aq. chærefol. ℥iij.
Liq. CC. succin. ʒj.
M. detur sæpius cochleare.

Cl. Wedelius admodum commendat *Pilulas de Ladano Hartmanni.*

Et Cl. Wepfer de cicuta aquat. extollit hoc suum secretum, v. g.

℞. *Rad. Valerian.*
pœon. ā ā. ℥ß. *cry-*

crystalli pr. ʒij.
Cinnab. nativ. pr. ℈iv.
Nuc. moschatæ, ʒj.
Flor. euphras. ʒiß.
Sachari ad pondus omnium, detur dosi ʒß.

Vel ℞. *Extr. Rad. Valerian. Gummi ladani* aa. ℈ij. *cinnab.* ♁ prti. ʒiß. *camphoræ* ℈ß. M. fiant Pilulæ no. 180. de quibus dentur no. 15. noctu, longè post pastum.

VII. Si vertigo est *effectus febris latentis* in stomacho, ℞. *Elect. Diacor.* ℥j. *Cort. Peruv.* pl. ʒvj. *cubebar. cardamomi*, aa. ʒß. *cinnab.* ♁. ʒij. *Syr. è succo Kermes* ℥iß. ☍ *levistici* ℈ß. M. detur mane & vesperi nucis castan. quontitas.

Præterea vertiginosi *caput tegant cucupha* ex cephalicis confortantibus constante.

Naribus odoranda offerantur *Spir.* ✱*ci C.C. fuliginis, cum castor.* & ☍ *ligni sassafr.* distillato. Vel ex *Oleo Ligni sassafr.* & *levistici*, mediante *sale vol.* CC.&c. fiat sal vol. oleosum, interne & externe proficuum.

Vinosis vertigine laborantibus sæpè *prodest V. sectio in manu instituta.*

Et si hypochondriacus hoc malo affligitur, sibi commendatas habeat *acidulas.*

Vomitus, Nausea.

I.

SI pylorus, mediantibus suis fibris circularibus & transversis, à gravi aliqua irritatione contrahitur, tum sequitur totius *stomachi & gulæ convulsio & vomitus.*

Si autem orificium saltem superius stomachi contrahitur, *tum nausea* insequitur.

II. Irritatio verò talis, quâ Pilorus in vomitu, & orificium superius stomachi, in nausea, contrahuntur, *fit vel per Essentiam, vel per consensum.*

Per Essentiam irritationem talem præstant *humores acres*, ex duodeno in ventriculum regurgitantes, prout non raro accidit in initio Febrium, vel quando stomachus inflammatur aut exulceratur, quando assumuntur stomacho ingrato, item quando audimus res horridas, aut olfacimus ingratas &c.

Vomitus verò diuturni sæpè oriuntur à pyloro callo obducto, vel *herpete ventriculi*, aut *pancreate scyrrhoso* vel *lapidoso.*

Per consensum, ad nauseam & vomitum, ventriculus adigitur, *in doloribus, colicis, in doloribus nephriticis*, mensibus haud ritè fluentibus. &c.

Vomitus quando per Essentiam affligit, tunc post propinatum vomitorium, remanet adhuc vomendi conatus cum nausea, inflatione stomachi &c.

Symptomaticus autem sive consensualis vomitus aggreditur sine prægressa nausea, vel debilitate stomachi.

III. *Ratione eventus, vomitus ille salutaris est*, qui

ab

ab assumtis ventriculo ingratis, vel molestis, excitatur. Sic & *in principio Febrium acutarum criticus*, bonus est.

Nec ille noxius, qui hypochondriacos, vel mulieres hystericas aliquando periodicè affligit, modo non sit nimius.

Sed si in morbis malignis vomitus lividi, fusci, aut fœtidi, vel cum rejectione vermium, accidunt, plerumque sunt lethales.

IV. *In curatione, vomitus spontaneus* cum euphoria ægri, *prout & criticus non spontaneus, non sunt curandi*, nisi nimii sint, & debilitent.

Aliàs si per Essentiam excitatur vomitus, inquirendum, an dependeat à fibris stomachi irritatis, & aliunde advehatur, prout gravidis aliquando accidit, *quibus nimium vomentibus, venæ sectio* saltem conducit. Sic & *per opiata* sistitur talis vomitus, à fibris stomachi irritatis, ubi

℞. *Theriacæ* ʒß.
☉, macis dest. gtt. ij.
Laud. op. gr. j.
succi cydon. q. l.
M. detur pro dosi.

Vel ℞. *Mastichis* ʒij.
garyophyll. ℈iß.
vini rubri opt. ℔ j.

Coquantur, & de vino sæpius propinentur cochlearia 3. vel 4. calidè.

V. Si humores in stomacho corrupti, per ructus, cibi fastidium, nauseam, gravitatem stomachi &c. se produnt, tum omnem paginam absolvit *vomitorium* in tempore exhibitum.

Dehinc si vomendi conatus adhucdum molestat,

℞. *Aq. Menthæ* ℥ iij.
Mastichin. ℥ ij.
Vitæ Matth. ℥ ß.
Tinct. Bezoard. ʒ ij.
Cinamomi ʒ j.
Anodin. ℈ ij.
Ess. macis ʒ j ß.
Syr. Cinamomi ℥ ß.
M. detur sæpius cochleare.

VI. *Si bilis æruginosa* videtur malum fovere.
℞. *Pulv. Bezoard. Senn. Crystalli mont.* pr. aa ℈ j. *Ther. cœlest.* gr. iij. ♂o *macis dest.* gtt. ij. M. fiat pulvis pro dosi.

VII. Præterea, *Externa etiam*, non minimam sæpe conferunt operam. e. g.
℞. *Spir. vini rectif.* ℥ iiij. *Theriacæ* ℥ ß. *Camphor.* ʒ j. M. & applicetur cum petiis calidè.
Vel ℞. *Herb. menth. pulv. marrub.* pl. *Fl. balaust.* pl. aa ℥ j *Mastichis, Galang.* aa ℥ ß. *N. mosch.* ʒ ij. *Garyophyll.* ʒ j. *Fermenti acerrimi* ℥ v. *Aceti Bezoard. vel rosacei* q. s. M. pro cataplasmate calide applicando.

Alii cum successu applicant *Theriacam in aluta* extensam, & *pulv. macis*, ac *garyophyl.* consperfam.

Sic nec *Empl. stomachalia* sunt contemnendi usus, quale est *Empl. stomachale Regium Zwelfferi*. Vel
℞. *Gummi Tacamahac. mastichis, styracis calam.* aa ℥ ß. *in therebint. opt.* ℈ ij. solutis & colatis adde ♂o *still. absinth. garyophyll.* aa ℈ ß. *Bals. Peruv.* ʒ j. M. fiat Empl.

Si vomitus nimius excitatur, *post vomitorium* propinatum, propinetur *Spir. vini cochleare unum* aut alterum, vel *Aq. mastichin.* tantundem, aut

℞. *The-*

℞. *Theriacæ* ʒ j. *Confect. alkermes* ℈ j. *Laud. op.* gr. j. M. detur pro dosi.

Crusta panis tosta, & vino generoso imbuta, ac *pulvere aromatico conspersa* applicetur ventriculo &c.

Alii *pumicis pulv.* cuspides aliquot cultelli propinant. Aliàs, præ aliis talem *vomitum optimè sistit somnus.*

VIII. *Si quis verò mane jejunus* vomitu sæpius vexatur, illi exhibeantur *cruditatem acidam corrigentia*, dehinc vomitus imperetur.

Et si vomitus ex liberaliori vini generosi potu, ebrios fatigat, *sistatur solo frigidæ potu.* Vide M. N. Cur. Ann. 4. & 5. Dec. 2.

Si in Febribus malignis vomitus excruciat, propinetur sudoriferum cum anodinis, e. g.

℞. *Aq. Card. ben.* ℥ ij.
Aceti Bez. ℥ ß.
R. *Bezoard.* ʒ j.
anodin. ℈ j.
Pl. Bez. Senn. ʒ ß.
Syr. papav. err. ʒ ij.
M. & detur pro dosi.

Vomi-

Vomitus Sanguinis.

I.

Fieri solet, ex *arteriola aut venula*, quacunque ratione aperta *ad stomachum pertinente*; & hoc quidem *vitio suppressarum mensium, hæmorrhoidum* &c. vel vitio pancreatis, aut splenis ex aperto vase brevi, ubi infarctus splenis, sanguinem in vase brevi stagnare facit, unde eum ad ventriculi fundum deponit.

In spleneticis autem, *ante talem vomitum sentiuntur pulsationes circa dorsum*, propè latus sinistrum.

Et *si ex Pancreate* dependet, quod sanguinem ad duodenum derivat, ex una aut altera vena, ab acriore lympha exesa; tum *sentitur dolor profundus, ubi ductus pancreaticus in Duodenum inseritur*; percipitur etiam dolor gravativus in superiore lumborum parte, ubi pancreas situm est. Aliquando etiam sequi solet puris vomitus, propter pancreas exulceratum.

Sanguinis verò si ex arteriolis profluit, fluidior est, & magis rutilans, ex venis autem, grumosus & fusci magis coloris existit.

II. *In Cura præsente paroxysmo* V. secetur, vel hirudines hæmorrhoidibus applicentur.

Dehinc si ab excretionibus sanguinis consuetis suppressis oritur, illæ revocentur.

Præterea exhibeantur illa, quæ aliis sanguinis excretionibus præternaturalibus dicata sunt, qualis est *mixtura Sylvii*, vel *Aq. urticæ cum Spir.* ⊕ *i acidulata*, &c.

Si

Si verò metuitur ſanguinis coagulatio in ſtomacho, id quod ſtomachi inflatio, pulſus debilis, vel ſyncope, indigitare videntur; Dentur *Oculi ♋ cum aceto.*

Detur item *Decoctum urticæ minoris*, vel *Ung. rubrum potabile cum ſpermate ceti*, aut *pulvis contra caſum, Balſ. ♄ aniſ.*

Urinæ Incontinentia.

I.

ACcidit, quando musculi sphincteris vesicæ constrictio deficit, neque hic orificium vesicæ debitè claudit, vel constringit.

II. *Læditur verò constrictio dicta vel ex casu aut luxatione vertebrarum dorsi, vel à defectu spirituum, in morbis acutis & apoplexia*, ubi nervi ad sphincterem derivati, paralysi afficiuntur.

III. Item, quando fibræ sphincteris à nimia distensione relaxantur, prout accidit à nimia fœtus magnitudine, vel quando fibræ dictæ lacerantur à vulnere, ut in lithotomia, vel à partu difficili, aut sinus pudoris prolapsu, &c.

IV. *Impropriè verò huc spectat* illa urinæ incontinentia, *quæ infantibus, vel & senibus, aut asuetis inter dormiendum accidit*, ubi spiritus animales tonum fibrarum musculi sphincteris non satis firmant.

V. Spectat & huc vitium illud, quando, vel à calculo irritante, aut exulceratione colli vesicæ, mole gestantis uteri gravante, item tussi graviori in corpore obeso &c. ob continuum in vesica stimulum, urina satis diu retineri nequit.

VI. Malum hoc *si in senili ætate accidit, incurabile ferè esse solet*, prout &, si vitio cerebri, aut spinalis medullæ paralysi causatur.

In pueris verò, progressu ætatis curationem admittit, *modo annum* 25. *non excedat, ubi incurabile fieri solet.*

VII. In curatione conveniunt *Nervina* & *adstringentia cum specificis.*

Speci-

Specifica verò hic admodum laudata sunt, *guttur galli tostum*, tritum & cum vino exhibitum. Item *Pulvis cineris erinacii cum medulla saxorum*. Nec non *pulvis interioris tunicæ ventriculi gallinæ*. Vel *Farcimen, aut pulvis vulvæ suillæ, aut mures exsiccati & pulv.* vel in butyro elixi.

Aliàs lectimingiis etiam interne convenit, *Pulv. cupul. glandium, mastichis, thuris, calaminthæ, agrimoniæ, castor. sem. hyperici* &c.

In dispositione paralytica, ℞. *Calaminthæ, myrrhæ, castorei* aa ℨ iij. *cupul. gland.* pl. ℨ vj. M. fiat pulv. subtilis, qui detur ad ℨ j. cum vino.

Vel ℞. *Tunic. inter. stomachi gallinæ* pl. ℥ ß.
Erinacii usti ℥ j.
Mastichis,
Medull. lapid. pl. aa ℨ ij.
Herb. agrimon. pl. ℥ ß.
M. fiat pulvis qui detur sæpius ad ℨ j.

VIII. Inter externa in usum veniant *Thermæ vel Balnea, ex mentha, Tormentilla, Flor. Balaust. Rosar. r.* in aqua ferrariorum cocta, &c.

Os sacrum & lumbi, vel vertebræ circa originem nervorum, inungantur *oleo nardino, myrtino, menthæ, absinth. castorei* &c. ac desuper imponatur *Empl. oxycroceum.*

Quæ fœminis *post partum difficilem* accidit, à læsione sphincteris vesicæ, non nisi *thermis* curabilis existit.

Urinarum Judicium in genere.

I.

SI urina è longinquo apportatur, & per concussionem, aut temporis moram, *alterata & perturbata* existit, tum *aquæ calidæ immergatur* vitrum, donec particulæ confusæ suarum positionum loca repetierunt.

II. Cum verò *urina sanorum* ordinariò debeat esse *citrina, cum nubecula æquali alba in fundo*, utpotè quæ constat ex fibrillis tenuibus, in urina quiescente subsidentibus, & se apprehendentibus; hinc Medico judicandum incumbit, num ab illo colore debito, & consistentia illa legitima deflectat, vel non.

III. Et si offertur *urina quoad consistentiam & colorem sanorum similis*, Medicus aliquid negative pronunciare potest, nimirum ægrotantem non laborare febre, (nisi sit ardens) concoctionem stomachi nondum esse adeò depravatam; hinc nisi ad hecticam inclinet, vel & externo quodam vitio, vulnere scil. aut abscessu afficiatur, morbum non esse periculosum, aut curatu difficilem.

IV. Aliquando tamen *Urina citrina*, mediocris consistentiæ, *nullam autem nubeculam habens, Hecticæ indicium* præbet; nisi nubeculæ absentia, vel à motu fortiori, vel à sudoribus nocturnis, aut materia fibrillarum, penitus in nutrimentum absumta, dependeat.

V. *Nubecula* verò si apparet *confusa*, denotat concoctionem sive *digestionem in ventriculo*, non adeò

adeò *exiſtere laudabilem*, nec particulas nutritias eſſe, ex omni parte homogeneas. Conſiſtit verò nubecula talis ex digeſtionis primæ ruditatibus, à ſanguine præcipitatis, quæ quando craſſiores ſunt, tunc urinâ alteratâ, ſeparantur à liquidis, & ſedimentum conſtituunt.

VI. *Quantitatis ratione*, urina debet reſpondere, potulentis aſſumtis; ſed cum potulentorum pars, partim tranſpirando exhalet, vel & partibus hinc inde humectandis impendatur, hinc ſemper paulò minor quantitas urinæ eſſe ſolet.

VII. *Si verò deficit urina*, neque excernitur, tum vel per alias evacuationes fuit abſumta, vel in Maſſa ſanguinea, aut veſica reſtagnat, aut ad aliam partem deponitur, *prout hydropicis* plerumque accidit.

VIII. *Si verò copioſius debitò excernitur*, tum tranſpiratio vel eſt ſuppreſſa, vel humores nimium colliquantur, ut in diabete; vel excretio quædam critica accidit, ut in hydrope aliquando inſtitui ſolet.

Urina Pallida.

I.

URina præternaturaliter tincta, vel ad aquæ colorem propius accedit; vel flavedinem citrinam excedit.

II. Quemadmodum verò color naturalis citrinus, à contentorum Urinæ solidiorum, & intimius admixtorum proportione dependet; *Sic pallidior, ab eorundem defectu, Rubicundior verò*, & ad nigredinem usque vergens, *ab illorum copia*, & ubertate, originem sumit.

III. *Color debitò remissior*, indicat *cruditates primarum viarum*, & spirituascentiæ debitæ defectum; Unde nausea & gravitas stomachi, & hypochondriorum; anhelitus gravis, somnolentia, artuum gravitas, &c. Et si color faciei pallet, ac pedes, vel venter intumescit, tum hydropem futuram denotat.

IV. Aliàs *Urina pallida* & tenuis, arguit *aut potum nimium, aut nephritidem, vel affectionem hypochondriacam, aut hydropem*, præcipuè si contentis ordinariis caret.

Ubi verò *in Febre ardente* urina excernitur *pallida* absque crisi bona, tum delirium vel phrenitis instat.

V. Si *Lactea urina* mingitur, in qua partes heterogeneæ albicantes, cum urina confusæ excernuntur, & *post brevem quietem ad fundum præcipitantur*

tantur, liquore ſupernatante pellucido manente; in infantibus denotat elaborari chylum crudum; in aliis verò vel *gonorrhœam*, aut *fluorem album*, vel purulentam materiam indicat.

VI. Si Urinam jumentorum refert, color & craſſities, dolores capitis, vel præſentes, vel futuros denotat.

Urina nimis Colorata,

I.

ET ad rubedinem magis vergens, communis solet esse *in omni ferè febre* , si non in principio, attamen in augmento.

II. Familiaris etiam esse solet *Ictericis, Scorbuticis, Arthriticis, ac hydropicis, & phthisi consummata laborantibus* absque Febre ; quoniam vero his in morbis sal acidum, tartareum sive scorbuticum, in sanguine prædominatur, hinc parietibus vitri, utplurimum sal tartareum rubicundum adponitur.

III. Si aliàs urina *semper nimis colorata* emingitur, licet cum contentis & consistentia laudabilibus, tamen arguit *dispositionem ad Hecticam.*

IV. *In Febribus acutis*, si *cruenta* mingitur urina, cum virium singulari imbecillitate, periculum indicat & mortem.

V. *Si viridescens emingitur*, icterum nigrum denunciat; Et si in Febribus malignis ita emingitur, utplurimum interitum præsagit. In hypochondriacis verò per se nil periculi indicat, uti nec nigrescens.

VI. Sed si *in acutis Febribus nigra* excernitur, cum sedimento nigro , & respirandi difficultate, tum *perniciem indicat.*

Urinæ

Urinæ Contenta.

I.

S*I desunt*, tunc talis urina dicitur cruda, quia heterogeneæ partes à sanguine non secernuntur.

Si verò *minima contentorum præsentia* apparet, vel nubecula paulisper conspicitur, *indicat separationem debilem, vel* hanc post morbum *inchoari rursus.*

II. Hinc si in Febribus ardentibus urina emingitur rubicunda, sed *sedimentum mox deponit*, salutem promittit.

Sed *si nullum sedimentum* urina talis deponit, licet nubecula appareat, malum denunciat exitum, vel mentis amotionem, aut delirium portendit. In his ergò morbis utplurimum periculum minatur urina sanorum similis, ubi aliàs, sive nubecula, sive urina crassa, si sensim in sedimentum præcipitantur, bonum exitum denunciant, licet æger se pessime habere videatur.

III. Pro Contentorum verò diversitate, *sedimentum* varium deponitur, vel *albicans* aut *rubicundum*, sive *lateritium, lividum*, aut *nigricans.*

IV. Si urina quoad colorem, consistentiam, & contenta sive hypostasin apparet bona, post refrigerationem autem, *sedimentum albicans* deponit, vel *ruditates stomachi, aut vermes* adesse indicat.

V. Si *sedimentum farinaceum*, sive farinæ simile præcipitatur, vel *gonorrhaam, Fluorem album*, vel alias sanguinis impuritates indicat, præcipuè si tale sedimentum, postquam refrigescit, deponitur, urinâ verò aquæ calidæ impositâ, disparet rursus.

Si verò tumor pedum, aut diarrhæa adſunt, tum vel *Hecticam*, vel abſque Febre, *verminoſam putredinem* denunciat.

VI. Sed ſi *tale ſedimentum ſtatim in emiſſa urina ſubſidet*, nec in calore evaneſcit, tum vel à renibus, veſica, aut vaſis ſeminalibus, obſtructis originem habet; Et ſi ſedimentum eſt viſcidum aut muco ſimile deponitur, utplurimum vel calculi renum, aut veſicæ, certum eſt indicium.

VII. *Si urina mingitur turbida*, ſedimentum autem non deponit, niſi eam putredo tandem reſolvat, vel Febres periculoſas, aut cachexiam denunciat.

VIII. *Et ſi urina contentis adeò eſt plena*, ut calide adhuc turbetur, vel ſedimentum deponat, indicium Febris lentæ præbet.

IX. *Sedimentum* verò rubicundum aut *lateritium in Febribus* nil mali aliàs præſagit, ſed ſalutarem cæteris paribus, denunciat exitum.

JOHAN-

JOHANNIS HELFRICI JÜNGKEN,

M. D. & Physici Francofurt. Ordin.

MANUALIS PRAXEOS MEDICÆ MODERNÆ

PARS ALTERA

Gravidarum, Parturientium & Puerperarum atque Infantum morbos

In Compendio tradens.

De Conceptionis Defectu sive Sterilitate.

I.

STerilitas est omnimoda conceptionis frustratio, non quod semen muliebre ejus indispositionis sit causa, sed quod ovula in ovario muliebri contenta, vel ovarium ipsum, cum suis ductibus ad uterum, ita sint disposita, ut spirituosum seminis virilis contagium non admittant, vel ovula abadmisso contagio non moveantur, & ad conceptionem animentur.

II. *In causa possunt esse humores; sive lympha nutritia*, à qua ovula male disposita, vel indisposita redduntur, ut ad fœcundationem fiant inepta.

Vel & Uterus potest esse in causa, quando est obstructus, Scyrrhosus vel alio modo male dispositus vel contextus, aut clausus.

Sic & *ætas nimis tenera*, & structura corporis nondum satis valida, in causa esse potest, vel si *tumores aut ulcera* vaginam uteri ita occludunt, ut membri virilis ingressum haud admittant &c.

Nec fœminæ obesæ & pingues facile concipiunt, sed plerumque steriles sunt, *ob ductus angustiores redditos*, per quos ovula ex ovario ad uterum derivari debent.

Virgines etiam adultiores, & quæ diu abstinuerunt à matrimonio, non tam facile concipiunt,

quoniam ovula successu temporis, nimis quasi sunt indurata, vel infœcunda reddita.

Nec illæ facile concipiunt, *quæ nimio mensium fluxu* laborant: *vel fluore albo molestantur.*

Ex his tamen modò enumeratis causis, non omnes immediatè sterilitatem contrahunt, sed ex accidenti hoc præstant, sic si clausura uteri, tumores & ulcera vaginæ uteri tolluntur, tum fœminæ tales concipere possunt, vel si tenella ætas est in causa, tunc adultiores fieri permittantur, & facile concipient, &c.

III. *Differentiæ ergo sterilitatis hic sunt considerandæ*, dantur namque *fœminæ quæ simpliciter sunt steriles* & cuicunque etiam viro copulatæ, non concipiunt; *Aliæ respectu saltem ad virum, sunt steriles*, sic fœminæ nonnullæ in primo conjugio sunt steriles, in aliis fiunt fœcundæ.

Sed si fœmina aliàs sana congressum viri appetit, & membrum virile rectè admittit, & tamen non concipit, procul dubio in fœmina defectus conceptionis erit quærendus, *modo non sint incantati conjuges*, quod quidem hariolatur facile, si se mutuo ament, & coire tamen non possunt, vel sine causa sese odio habent, ubi antea sese mutuo complectebantur amore, vel etsi vir cum uxore coëat, semen tamen emittere haud queat.

IV. *Non rarò nativum & hæreditarium aliquod subest vitium*, ubi in hac vel illa familia multæ fœminæ reperiuntur steriles.

Aliàs vulgò *menses deficientes* debent esse sterilitatis causa; id, etsi plerumque verum sit, de illis, quæ eas ex morbosa dispositione perdiderunt: Dantur tamen fœminæ quibus nunquam menses

ſes fluxêre, nec unquam fluunt, & tamen concipiunt.

Si verò morboſa diſpoſitio eſt in cauſa, tum fœminæ tales pallent, ſunt ſegnes, ſomnolentæ, & ad rem veneream parum appetitus habent; ſed hæc ſterilitas, ſublata cauſa facilè tollitur.

V. Cum verò ſterilitas muliebris ſit res utplurimum exoſa hinc ea tollatur, cauſis, à quibus dependet, ſublatis. Diſpoſitio nimirum cachectica, morboſa, auferatur per martialia v. g.

℞. *Vitrioli* ♂.
Crem. ♁*i* aa p. æq.

Terantur & miſceantur probè invicem, tunc coquantur cum aqua ad conſiſtentiam mellis uſque, tunc affundatur Spir. vini rectif. & leni calore fit inde medicina ♂ialis, cui *Cl. Ludovic.* multum tribuit.

His & ſimilibus reſerentur vaſa uteri obſtructa, & ſanguis priſtino vigori reſtituatur, atque ſterilitas ceſſabit.

Si Fluor albus uteri pravam diſpoſitionem indicat, ad eum cura dirigenda: prout & ſi flatulenta uteri contenta in cauſa ſunt, quæ corrigenda erunt.

Et ſi uterus pituita eſt repletus, hæc verò in cauſa eſt, quod ovulum fœcundatum incrementum ſumere haud poſſit, nec retineatur; tum à Practicis admodum *commendantur Clyſteres Uterini.* v.g.

℞. *Rad. bryon.*
enulæ,
iridis,
liquirit. aa ℥ j.
Fol. arthemiſ.
meliſſ.

Fol. puleg.
matricar.
Flor. Chamameli,
Cheiri aa m. j.
Bacc. lauri,
Junip. aa ℥ ß.

Coquantur in s.q. Aq. fontan. & colaturæ ℔ j. adde *mellis anthosati* ℥ ij. ☍ *momord.* ℥ ß. M. detur pro injectione, vel loco olei momord. adde *Spir.* *ci ʒ j. aut alteram.

Vel *Spir.* *ci modo *Glauberiano* per instrumentum aptum ita applicetur, ut Spiritus volatilis in uterum derivetur, ad pituitam incidendam & eliciendam vel obstructas partes reserandas.

Sic & *vapores decocti ferventis* modo præscripti, per instrumentum idoneum utero excipi possunt. Vel fiat *suffitus è pulveribus* carbonibus injectis, v.g.

℞. *Thuris, mastich. stiracis calam. Benzoes, Ligni aloes, santali citrin. castorei, garyophyll.* &c.

His nil efficientibus in usum veniant *Thermæ* quæ sæpe optimum præstant effectum, etiam bibitæ, quales sunt nostræ *Wisbadenses.*

Vel si has adeundi occasio haud datur, sibi Balnea parent ex herbis aperientibus, calefacientibus, &c.

℞. *Herb. calaminthæ,*
matricar.
origani,
serpilli,
melissæ,
arthemis.
puleg.
lavendul.

Herb.

Herb. melilot.
Fl. chamomill.
Summ. juniperi virid. aa q. ſ.

Inciſa groſſe coquantur in Aqua pro Balneo, cui inſideat fœmina ad umbilicum uſque, per plures dies, incipiendo poſtquam menſium fluxus jam eſt finitus.

Poſt Balneum ſupra dictus ſuffitus, ad uterum derivetur, vel *peſſus uterinus* applicetur, v. g.

℞. *Myrrhæ el.* ʒ ij.
Spec. hieræ picræ,
Benedict. laxativ. aa ʒ j ß.

Cum *mellis mercurialis* q. ſ. fiat peſſus ſyndone involvendus & applicandus, & aliquot horis de die relinquendus, ac ſingulo die reiterandus.

De Conceptione Imperfecta sive *Mola.*

I.

Est massa quædam à corporis humani forma aliena, & *ab imperfecta conceptione, loco fœtus, genita*, & quidem admodum differente figura & forma. Sic nonnullæ gaudent formâ orbiculari, aliæ oblongâ, aliæ animalis cujusdam figuram referunt, &c. ratione substantiæ alia est carnosa & fibrosa magis; alia cute vel membrana obducta, sanguine coagulato fibroso repleta, &c.

Nonnunquam una, nunc plures simul molæ excluduntur: Ipse, præterita hyeme, intra aliquot menses, ab una illustri fœmina, plus centum molas, omnes oblongam latam & tenuem figuram, lienis formam omninò referentes, suâ tunicâ propriâ inclusas, & intus sanguine atro fibroso intertextas, vidi exclusas.

Aliæ verò nunc excluduntur solæ absque fœtu, aliæ ante, aliæ cum, aliæ post fœtum, mox breviore tempore, mox post aliquot dies, vel menses.

Præterea molæ nonnullæ aliquot mensibus in utero hærent, ubi aliæ longo tempore, cum fœminis consenescunt,

II. *Causa molarum potissima* est, depravata ovulorum muliebrium vel dispositio, vel haud debita fœcundatio, aut ad motum vitalem sufficiens imprægnatio; semine virili vel non satis spirituoso aut vigoroso existente, vel ad ovarium haud rectâ via ejaculato, &c.

III, *Si-*

III. *Signa*, quibus mola præſens dignoſcitur, *nulla certa ab initio haberi poſſunt*, cum in legitimo fœtu, & mola, eadem ſint ſigna, utpote menſium emanſio, cibi faſtidium &c. Temporis verò progreſſu, qvando nunc fœtus moveri incipit, hujus motus, à motu molæ facile diſcernitur: Hujus enim motus ſaltem tremulus & palpitans apparet, nec in omnem ſitus differentiam, ac fœtus movetur.

Præterea *ſi gravida de latere in latus ſe convertit mola inſtar lapidis devolvitur in illud latus, in quod decumbit.* Vel ſi tempus, quo aliàs infans moveri ſolet, præteriit, *& nullus motus in utero percipitur, intere averò venter intumeſcit*, neque verò hydropis indicia adſunt, tum molæ latentis ſignum eſt.

Sic in fœtu verò, venter præprimis attollitur & acuminatur verſus umbilicum, & verſus latera utrinque molliter coarctatur. In mola vero venter in omnem dimenſionem æqualiter attollitur & quidem globus quaſi, ſive maſſa, in uteri & lumborum regione, tactu percipitur.

Tum & in gravidis circa quartum menſem verum lac in mammis intumeſcentibus percipitur, non item in mammis à mola tumidis.

Præterea *vires magis languent, ſi mola geritur*, reſpiratio fit difficilior, & dolores quaſi dorſi, & inguinum magis moleſtant.

Et ſi ſucceſſu temporis, *tempore partus legitimo elapſo, venter adhuc tumet*, abſque hydropis ſignis, tum de mola certior eſt ſuſpicio: & hæc ſe poſtea magis magisque prodere ſolet.

Difficilius verò cognoſci ſolet mola, ſi cum fœtu vivo juncta eſt, niſi fortè ex ventris mole majore, & gra-

vitatis pondere, aut symptomatibus aliis gravioribus hariolatur.

Insuper, etsi rarum sit, quod illa quibus menses adhuc fluunt, molam gerat, tamen Practici plura recensent exempla mensium licet parce fluentium, præsente mola.

IV. *Mola est affectus semper periculosus*, cum enim sanguis emanans, non ut in fœtu, partes nutritias ad molam impendat, magna humorum colluvies, in & circa uterum cumulatur, quæ toti corpori plurimum damni minatur.

Si tamen mola in plures partes est divisa, minus periculi adfert, cum sic facilius rejiciantur, quàm si unica & solidior massa generatur, quæ in vitæ periculum conjicit, dum vel non, vel cum insigni difficultate excluditur.

Et *si fœtui jungitur mola, eum vel admodum lædit, vel alimentum absumendo enecat.* Aut si molæ hydrops combinatur, utplurimum lethale est, cum duos morbos tales gravissimos fœmina vix superet.

Sæpe non pluribus mensibus, sed pluribus annis molas fœminæ gestant, & eis molestantur, & quo diutius ita in utero manent, eo difficilius tolluntur: quin & fœminæ aliquando cum suis molis consenescunt, & commoriuntur.

Nonnullæ tamen ex diuturna tali molæ gestatione, nullum aliud sentiunt incommodum, præter molestiam ex pondere, &c.

V. *Curationem hujus mali quod concernit*, tutissima erit *cura præservatoria, ut scilicet coitum, vel viri admissionem omnino vitet*; sic etenim ovula in ovario muliebri contenta, sunt præt. nat. constituta, quis eorum correctionem, & quomodo, vel quibus remediis suscipiet?

Si

Si tamen nunc cognitum ſit, molam jam in utero genitam eſſe, *ea tollatur, antequam radices firmiores in utero egerit*, id quod fiet *purgantibus*, vel illis medicamentis, *quæ in menſibus ſuppreſſis, vel partu difficili, aut fœtu mortuo expellendo*, efficacia ſunt deprehenſa.

Sic optima hic eſt *Eſſentia ſabin.* ℅ *ſabinæ*, & inde paratum *ſal vol. oleoſum, Spir.* *ci acuatum &c.

Alii *ſecundinam humanam pulv. cum aqua arthemiſ. propinatam*, pro arcano hic commendant.

Hunc in finem etiam *veteres largam Venæ Sectionem commendare ſolebant*, credentes, quod cum gravida, ob largiorem V. Sect. abortire ſoleat, etiam molam inde facile exturbari poſſe: modo mulier ſit plethorica, ut nutrimentum debitum detrahatur. Sed cum ſanguis Ven. Sect. omiſſus, partes nutritias, non ut ſanguis arterioſus contineat, & advehat, hinc & venæ ſectionem, hunc effectum præſtare poſſe, minus credibile eſt, & experientia aliud docet.

Poſt Venæ Sectionem, *Purgantia validiora, & quidem repetita* commendant porrò veteres Practici, exinde quod maximas fœtum dejiciendi vires habeant, ſed irrito utplurimum conatu. *Thermæ* tamen hic ſæpe ſunt ſacra anchora, ubi tamen ſemper poſt eorum uſum, ad uterum deriventur ſuffitus aperitivi ex Spir. *ci, vel peſſus applicentur, v.g.

℞. *Trochiſc. de myrrha,*
Gummi galbani,
oppoponac. in vino ſoluti aa ℥ij.
Rad. cyclaminis ℥j.
Helleb. albi ℥ ß.
Et cum *ſucco rutæ* fiat Peſſus.

Omnibus

Omnibus verò his & similibus, in cassum adhibitis, *accessus fiat ad Chirurgiam*, modò manus in uterum immitti queat, & digitis mola ab utero separabilis existat; ubi tamen probè operandum, ut mola extrahatur tota; Etenim si postmodum per suppurationem debet eliminari, periculo haud vacat, cum ex materia putrescente, Febres animi deliquia, dolores, & convulsiones uteri, præter ulcera, excitari & fœmina periculum vitæ incurrere queat.

VI. *An Mola sine viri congressu generari queat,* sunt qui affirmant, & qui negant: *Qui negant, virgines & viduas,* quibus tale contingit, *suspectæ pudicitiæ reddunt.* Et si ex tali copula virilis & muliebris scil. seminis, prout veterum fert sententia, conceptio fieri debet, difficile sanè est credere, quomodo mola aliter concipi queat.

Nec minores difficultates habet recentiorum sententia, quæ habet, quod *ex ovulis* mediante contagio *spirituoso seminis virilis fœcundatis, mulier concipiat;* nisi velimus credere ovula hæc ita præternaturaliter posse esse disposita, & ovarium cum suis canaliculis ad uterum ita dilatatum, ut ovula lubrica, absque tali virili contagio ex ovario elabantur, dehinc in utero incrementum sumant & in massam informem degenerent: id quod rationi magis consentaneum videri posset, quoniam & forma hominis, & vitâ carent molæ tales, &c.

De Conceptione per intervalla facta ſive *Superfœtatione.*

I.

QUemadmodum ex uno coitu non rarò plura ovula animantur & plures infantes ſive gemelli concipiuntur ; Sic accidit aliquando, ut ex diverſis congreſſibus, intervallo aliquot dierum vel menſium, factis, plus quam unus fœtus concipiatur, id quod ſuperfœtatio audit.

II. Si verò hoc accidit fœtu priore jam pauliſper grandiore facto, tum qui ultimo concipitur non facile manet, ſed abortu rejicitur, *hinc ſi fœtus talis Superfœtatione conceptus, vitalis eſſe debet, neceſſe eſſe dicunt, ut id accidat à primo conceptus die, ad quartum usq;*, vel quando primus fœtus adhuc exiguus eſt, ut alteri locum cedat. Quilibet verò talismodi fœtus ſua ſingulari ſecundina, & membranis eum includentibus gaudet.

III. *Si longiore intervallo*, poſt primam nimirum conceptionem *ſuperfœtatio accidit*, tum ultimo conceptus fœtus, vel abortu mox excluditur, vel priori fœtui interitum parat, vel & matri partum difficilem & periculoſum cauſatur ex magna hæmorrhagia, quæ plerumque partum talem comitatur.

Sed ſi haud longiore intervallo ſuperfœtatio fit, & uterque fœtus vitalis eſt, tum inſtar gemellorum ſe ha-

ſe habent, niſi quod duplices ſecundinæ, in partu avulſæ vel ſeparatæ, largiorem ſanguinis profuſionem excitare queant.

IV. In hoc verò caſu nil agendum, ſed totum negotium naturæ eſt relinquendum: gravida tamen Diætam & regimen conveniens probè obſervet. *Vel ut ſuperfœtationem evitet*, poſt primam conceptionem, *coitum laſcivum non admittat.*

De Conceptione Falsa.

I.

NOn rarò accidit ut fœminis menses supprimantur, & venter intumescat, adeo ut se gravidas esse credant: nisi tandem se deceptas observent, tempore legitimo partus elapso.

Hinc inquiratur, an flatus ventrem distendant, vel aqua aut humores alii vitiosi in utero colligantur.

II. Si menses subsistunt, & uterus intumescit, *ex morbosa dispositione*, tum hoc produnt capitis, lumborum, dorsi, ventris, & inguinum dolores. *In hoc casu venter etiam citius intumescit*, quam in vera conceptione.

III. Et si tumor est *à flatu*, tum manu percussus sonum tympani edit.

Si verò *pravi vel saniosi humores* ex utero effluunt, tum in ventre & utero percipitur gravitas & fluctuatio, imò totius corporis color mutatur, & pedes, ac facies non rarò intumescunt: præterea adest appetitus depravatus, animi deliquia, febres inordinatæ &c.

IV. *Si uteri vitio, & excretione ejus impedita*, in utero aqua congeritur & hydrops enascitur, tum ejus causæ *praecesserunt, abortus nimirum frequens, partus laboriosus, tumores uteri, aëris frigidi occursus, mensium suppressio, vel nimia evacuatio, &c.*

V. *Si in ipsa uteri cavitate aqua continetur*, tum tumor plerumque major est, & fluctuatio percipitur, sed absque insigni dolore; ubi verò aqua continetur intra tunicas uteri, vel hydatitibus inclusa existit, tum dolores percipiuntur magis sensibiles.

VI. *Si*

VI. *Si hydrops uteri provenit ab humoribus nondum corruptis*, tum interdum ex utero aqua ſponte effluit, & fœmina convaleſcit; Et ſi aqua in cavitate uteri ſubſiſtit, facilius curatur, quam ſi intra tunicas, vel hydatitibus, incluſa eſt.

VII. Ubi verò mulier poſt conceptionem, hydrope uteri corripitur, tum aliquando partus ad legitimum tempus ſervatur, utplurimum tamen fœtus, intra aliquot menſes, ab illuvie aquæ enecatur, & mater de vita periclitatur.

VIII. Aliquando tamen accidit, ut aqua in utero collecta aliquot menſibus poſt conceptionem in copia effluat, fœtus tamen ad legitimum tempus retinetur & ſalvatur.

Alias in curatione ea conducunt, quæ aquas evacuant per vomitum & ſeceſſum; in uterum fiant injectiones, applicentur peſſaria, mittantur ad Thermas, Regioni uteri applicentur emplaſtra, ex Bacc. lauri, & Cataplaſm. ex ſtercore caprillo, fol. ebuli, ol. irino, laurino, &c.

Con-

Conceptio vera, & ejus Signa.

AN & *quibus ex signis cognosci queat vera Conceptio sequentia* docere poterunt.

I. *An fœmina conceperit*, Veteres plura hujus tradiderunt signa, quæ tamen plurimam partem fallere, experientia testatur; Sic *non semper certum signum præbet mensium emansio*, cum prægnantes dentur; quibus post conceptionem aliquot mensibus adhuc fluunt, imò observentur aliæ, quibus toto gestationis tempore, sine damno, satis ordinatè, & copiosè, fluere consueverunt.

II. *Nec semper certum indicium exhibet* cibi fastidium, nausea, pica, aut vomitus, vel aversio à cibis, quibus aliàs admodum delectabantur, aut appetitus illorum quos aversabantur antea; *licet prægnantes plures his symptomatibus admodum molestentur*; donec fœtu jam grandiore facto, major partium nutritiarum pars, in nutrimentum fœtus absumitur.

III. *Hisce tamen signis si accedunt sequentia*, utpote si venter attollitur, non ut in hydrope, diffusâ aquâ per totum abdomen; *sed tumore versus ventriculum acuminato*; Et circa quartum mensem, vel medium gestationis tempus, infans moveri incipit, & quidem secundum varias situs differentias, *aliter ac in molis fieri solet*; motus verò ille, nec pondere molestus est, nec fluctuantis aquæ, aut fla-

tus vagantis ſpeciem refert, ſed lenis, blandus, & ordinatus eſt; Tandemque mammæ intumeſcunt, tum mulierem prægnantem judicato. Si verò ſcorſim & ſeparatim hæ ſumi velint ſymptomata, tum Medicus decipit, & decipitur.

Et qui ex urina conceptionis certitudinem pollicentur, impoſtores ſunt, ut alii, qui diſcernere volunt, an maſculus vel fœmella geſtetur, licet *Hippocrates aph. l. 5. 42. teſtis velit eſſe*, quod, ſi mas geſtetur, mulier coloratior ſit, & contra; contrarium verò, toto die hujus incertitudinem docet.

Con-

Conceptionis factæ Symptomata primis Mensibus molesta.

DIstingui verò solent symptomata hæc in ea, *quæ Primo, quæ Medio, & ultimo gestationis tempore*, incommoda esse solent.

I. Sic alii *primis gestationis mensibus* admodum molestantur *Nausea & Vomitu*, non tam ab emanentibus mensibus, neque à depravatis stomachi contentis, quam ab incipiente uteri extensione sensibili, non aliter ac nephriticis & spasmo tensis partibus abdominis, accidere solet; si tamen vomitus talis non excedit, neque tantas molestias creat, naturæ erit relinquendus.

II. *Sed si ex stomacho diutius excruciare velit, ut metum abortus incutiat*, tum compescatur vomitus talis, stomachum roborantibus, utpote *aquâ vitæ Mulierum*, sive *Balsamo Embryonum, Tragea stomachali*, vel similibus, aut

℞. *Conserv. flor. tunic.* ℥ j.
Spec. aromat. ros. ʒ j ß.
Margarit. pr. ʒ ß.
Brodii Zingib. vel Nuc. Indic. condit. q. s.
Ut fiat Elect.

Vel ℞. *Vini generosi rubri* ℔ j.
Mastich. elect. ʒ ij.
Garyophyll. ʒ ß.

Coquantur & de hoc vino sæpius propinentur aliquot cochlearia calide.

In usum etiam cedant *Cydonia condita*; *Nux Indica*

dica condita, Berberes, aut ribesia condita, syrupus cydoniorum &c.

III, Externè *Ventriculus inungatur oleo mastichino, myrtino, de absinthio, mentha,* &c. aut imponatur. *Empl. de Crusta panis,* vel *Crusta panis irroretur aquâ vitæ Mulierum,* in qua aliquid *theriacæ,* vel *mithridatii,* solutum est.

Vel ℞. *Herb. menthæ pulv.*
Marrubii pulv.
Mastich. pulv. aa ℥ ß.
N. moschat. ʒij.
Garyophyll. ʒ j.
Fermenti acris ℥iij.
Aceti Rosacei vel *Bez.* q. s.

Ut fiat Cataplasma stomacho applicandum.

IV. His & similibus nil juvantibus *imperetur vomitus, præmissis pulveribus absorbentibus anodinis,* vel & plethoricis *Vena secetur.*

V. Primis gestationis mensibus *porrò plures incommodare solet Pica,* ubi cibum naturæ haud convenientem, sed absurdum & alienum, ac sæpe noxium appetunt, prout plura hujusmodi appetitus vitiosi exempla admiranda, à Medicis annotata reperiuntur.

Sed appetitus ille depravatus tantum sæpe præstat noxium eventum, ut, si ea quæ appetit gravida talis, denegantur, sæpe & mater & infans periclitentur, hinc sæpe appetitui tali aliquid indulgendum, modo non appetantur planè noxia; vel si talia appetitus omnino velit, persuasionibus blandis sunt arcendæ.

Si verò talia, quæ appetuntur haberi haud queant,

eis

eis propinetur cochleare mellis cum Nuc. moſch. pulv. aromatiſatum, aut *Tragea ſtomachali* mixtum, vel exhibeantur aliquot cochlearia *Balſami Embryonum* &c.

VI. Nonnullas excruciant *Tormina & Dolor ventris à flatibus*, qui propterea ſunt diſcutiendi exhibita Aquâ Zedoariæ aniſata. Vel

℞. *Aq. Menthæ* ℥ ij.
Zedoar. aniſ.
Maſtichin.
Cinam. cydon. aa ℥ ß.
Eſſ. carminativ. ʒ ij.
R. *anod. Lud.* ʒ j.
Syr. cort. aurant. vel
Cinamomi ℥ ß.
M. Detur ſæpius cochleare.

VII. *Alvi* etiam *Fluxus* nonnullas infeſtat, & metum abortus incutit ſtimulando ſimul uterum, hinc ei maturè occurrendum, & quidem ab *initio leni abſtergente*, quale exhibet *Syrupus de cichor. cum Rhab.* vel *infuſum Fol. ſen.* &c.

Vel ℞. *Rhabarb. el. pulv.* ʒ j.
Nuc. moſch. pulv. ℈ ß.
oo macis gtt. ij.
M. detur pro doſi.

Dehinc ad ſtomachi tonum roborandum,

℞. *Aq. maſtichin.*
Cinam. cydon. aa ℥ ij.
Syr. è Nuc. moſch. ℥ ß.
Ræ anod. ʒ j.
M. detur ſæpius cochleare.

Vel ℞. *Panis secalini nigri* ℔ iij.
N. moschat. n. viij.
Vini rubri stiptici ℔ vj.

Stent in infusione per noctem tunc destillentur, & de aqua edestillata sæpius detur cochleare unum aut alterum.

VIII. *Vertigo* quoque gravidas sæpe molestat, & ni sponte cesset fœtu grandescente, propinentur ea quæ spiritus depurant, vel si ex ventriculo origo dependeat, ad eum cura erit dirigenda, & post cibum detur *miva cydon, aromatica*, vel pulveres stomach. v. g.

℞. *Cinam.* ℥ ß.
Macis ʒ ij.
Coriandri ʒ j.
Sach. rosat. tabulati ℥ iiij.
M. Fiat pulvis.

IX. Non rarò etiam *Capitis Dolor* gravidis admodum molestus est; Si tamen ille fœtu gravescente haud cesset, vel *sanguisugis applicatis*, aut aliis de dolore capitis, in priori parte, traditis, resistendum erit.

X. Præ aliis tamen molestiis, nonnullas sæpe immaniter excruciat *Dentium Dolor*, qui etsi nonnullis certum signum conceptionis præbeat, & progressu temporis spontè cessare soleat, tamen si nimis gravis sit, ei occurrendum erit in tempore, & quidem 1*mo* temporibus adponatur *Empl. ex mastiche & tacamahaca.* 2*do* Denti dolenti, præcipuè si cavus fuerit, imponatur massa sequens,

℞. *Theriacæ cœlest.* gr. v.
Camphoræ gr. ij. Misce.

3*tio*

3*tio* retro aures ponantur *veſicatoria*. & 4*to*. Si ex ebullitione ſanguinis ſingulari cauſa doloris exoritur, *ſecetur vena*, *aut cucurbitulæ apponantur*, vel *ſanguiſugæ temporibus applicentur*. Vel quod alii admodum, & pro ſingulari experimento commendant,

℞. *Album ovor.* no. ij.
Piperis pulv. ʒ ij.

M. & *cum ſtuppa cannabina* apponatur tempori, & genæ è regione dolenti.

Plura alia vide priori in parte de dentium dolore.

Conceptionis Symptomata medius gestationis Mensibus contingentia.

SUnt *Tussis* & *Asthma*, *Cordis Palpitatio*, *Lipothymia*, *Dolores lumborum*, *& coxendicis*, *Hæmorrhagiæ*, &c.

I. *Tussis* in gravidis satis periculosa existit *ob concussionem musculorum abdominis*, unde vigiliæ excitantur, vires prosternuntur, capitisque dolores concitantur, atque sic facile abortus causatur.

Causam ut plurimum suppeditat *acris lympha*, vel serum, *absq; singulari separatione*; unde tussis vulgò convulsiva sicca generatur, sequentibus medicamentis sistenda, v. g.

℞. *Styracis calamit.* ℥ ij.
Succi liquirit. depurati ℥ i ß.
Ladani,
Myrrhæ,
Olibani,
Extr. opii cum Aq. facti
Croci aa ʒ j.

Cum syrupi papav. albi q. s. Fiat massa, ex qua formentur Pilulæ, grani pondere.

Vel ℞. *Extr. liquirit.* ℥ j.
Croci ℈ j.
Opii cum aq. facti gr. v.

M. fiant Pilulæ no. 60. de quibus noctu cubitum iturus sumat no. 7. vel. 9.

Si Tussis hyemalis humida, ab aëris inclementia depen-

dependet, diligenter bibatur Thea cum ſacharo candi.

Vel ℞. *Spir. vini boni* ℔ i ß.
Sachari candi ℥ iiij.
Deflagrato Spiritu vini, adde
Aq. Flor. acat.
Syr. capillor. veneris aa ℥ ij. M.

II. Si *Aſthma* concurrit, caveat prægnans, ne corpus conſtringat, item parum comedat, vel moderatam Ven. Sect. adminiſtret.

Et ſi præter ſymptomata hæc, *ad Hecticam* inclinare videtur prægnans, in diligenti uſu ſit Elect. ſequens, v. g.

℞. *Conſerv. Roſar. coctæ* ℥ ij. *Cortic: citri cond.* ℥ ß. *Amygd. dulc. excort. Pinear. mundat.* aa ℥ j. *Spec. Diair.* ʒ vj. *Ocul.* ♋. pr. ʒ ij. *Looch. de Pulm. vulp. Syr. de farfara* aa ℥ i ß. M. Fiat Elect. de quo ſæpius detur cuſpis cultelli.

IV. Non rarò etiam gravidæ, *Palpitationibus cordis, vel lipothymiis* ſunt obnoxiæ, præprimis ſi antea ſimilibus ſymptomatibus fuerunt moleſtatæ.

Hiſce incommodis ante omnia *medetur V. Sectio,* ut circulatio liberior evadat, & abortus metus præcaveatur.

V. Aliis moleſti ſunt *Lumborum & Coxendicum Dolores,* partim à ſanguinis ſuppreſſi copia, partim à fœtu grandeſcente, à quo ligamenta uteri extenduntur, atque ſic vicinæ partes in conſenſum trahuntur.

Si in cauſa eſt ſanguinis ſuppreſſi copia, *inſtituatur V. Sectio.*

Sed *ſi ab extenſione ligamentorum Uteri* dolor

 vide-

videtur enaſci, *Ung. vel Oleis anodinis* diligenter inungantur partes abdominis vel adjacentes dolentes, v. g.

℞. *Ung. de Althea,*
anodini aa ℥ ß.
Ol. anethi,
ſcorpion. aa ℨ ij.
juniperi ℨ j.
M.

VI. Sæpe accidit, ut tertio vel quarto menſe, *Sanguis vel per Uterum, vel per nares aut hæmorrhoides* rurſus erumpere incipiat, unde metus abortus ingruit; *niſi in cauſa ſit plethora ſive ſanguinis exſuperantia*, ubi fœmina bono colore eſt prædita, & fluxus talis ſine moleſtia facile toleratur.

Hæc accidentia facile mitigantur *V. ſectione*, vel absque hâc, absque damno tolerantur, cum hoc modo plethora, aliàs damnum allatura imminuitur. Dantur verò plethoricæ, quæ, etſi menſes ordinarie fluant, tamen leviter abortum patiuntur, & animo linquuntur, niſi inſuper venæ ſectione, ſanguis minuitur.

Si verò *ab humoribus pravis cacochymicis* prægnanti ſanguinis fluxus excitatur, atque quæ effluunt ſunt acria, male colorata, fœtida, vel cum dolore & guttatim effluunt, tum in uſum veniant ea quæ humores tales corrigunt, & ſic abortum præcavent.

Non raro etiam *ipſe fœtus debilis in cauſa eſt, quod ſanguis accumuletur*, cum ejusdem partes nutritias haud ſufficienter admittat, unde abortus facile cauſatur. Confer huc ea quæ de Abortu ſunt dicta.

Con-

Conceptionis Symptomata ultimis mensibus gravidis molesta.

SUnt *Urinæ suppressio, Alvi durities & tenesmus, venarum in cruribus & coxis distensio, crurum tumor, fissuræ cutis ventris, Aquæ effluxus ex Utero ab Uteri hydrope* &c.

I. *Urinæ suppressio* excitatur ab utero, pondere suo, collo vesicæ incumbente, eumque comprimente, præcipue si gravida stat erecta.

Hoc incommodum ut cesset, & urina liberius provocetur *in dorso jaceat gravida*, & regio pubis probe illinatur *oleo scorpionum*, vel ponatur in *Balneo ex herbis emollientibus parato*. v. g

℞. *Herb. malvæ,*
altheæ,
meliloti,
parietar.
Rad. petroselini,
Flor. chamomill.
Stram. fabar.
Bacc. junip. aa q. l.

Et coquantur in s. q. aquæ pro Balneo.

Vel Regioni Pubis adponatur *Cataplasma hoc.*

℞. *Ceparum, allii* no. vj.
Cepar. alb. n. iiij.

In mortario contusis adde
Pingued. anserin. ℥ j.
℅ *scorpion.* ℥ ß.
juniperi ℥ ij.

M. & calidè applica.

His

His verò nil juvantibus, ne periculum ex nimis diuturna retentione immineat, *cathetere* urina emittenda erit. Ab aliis medicamentis urinam alias promoventibus, abſtinendum, cum hæc facile in ſubjectis debilioribus abortum ſimul, pellendo, cauſare poſſent.

II. *Alvi tarditas aut durities* ſæpe gravidas moleſtare ſolet, quando fœtus grandior nunc inteſtina comprimit, niſi alias tarditas hæc naturæ conſueta exiſtat, quæ non attendenda, cum absque incommodo hoc fiat.

In illis verò non negligendum eſt hoc accidens, *quæ conſueverunt quotidie alvum exonerare*, ne poſtea violento egerendi conatu, vel ſibi, vel fœtui damnum inferant. Hinc alvus *cibis liquidis*, & *juſculis butyro, malvâ, borragine &c. alteratis*, item *prunis dulcibus* primâ menſâ ſumptis; vel & *clyſteribus emollientibus* ſaltem, laxa reddenda erit, vel

℞. *Pulp. Tamarind.*
Paſſul. min. aa ℥j.
Rhabarb. el. pl. ʒ ij.
Syr. de cichor. cum Rh. ℥j.
M. detur ſubinde cochleare plenum.

III. *Nonnullis gravidis venter in tantam molem, & magnitudinem excreſcit*, ut eum ligamenta & uterus vix ſuſtinere queant, unde maximas patiuntur incommoditates, ut verò his occurratur, *abdominis talis ſarcina, faſciis collo appendatur*, dehinc quieti & ſomno indulgeatur, atque *Oleis anodinis* partes lumborum vel coxendicum inde dolentes, illinantur &c.

IV. Nonnullæ *Crura tumida & inflata* habent,

bent, ob ſanguinem haud adeo cohærentem, ſed ſero nimis abundantem; vulgus credit prægnantes hoc modo affectas plerumque puellas parere. Tumor tamen talis raro aliquid periculi habet, niſi quod inceſſum difficiliorem reddat, & poſt partum humore aqueo tali cum lochiis evacuato, ſpontè evaneſcat.

Si tamen tumor nimis magnus evadit, & ambulationem omninò impedit; tum *foveantur crura lixivio è ſarmentis vitis cum vino parato.* Vel *Decocto ex origano, chamæmelo, pulegio, calamintha* &c. facto.

Vel ſacculo, ſale & cineribus pleno crura involvantur, & *pedes fricentur & laventur aqua ſalſa*, in qua herbæ modo commendatæ coctæ ſunt.

Vel ℞. *Farinæ fabar.*
lupinor. aa ℥ ij.
Sulfuris ℥ j.
Stercoris columbini ℥ ß.

Cum aqua chalybeata, & ſucco caulium fiat cataplaſma.

Si *diſpoſitio cachectica* in cauſa eſt, conſule titulum de cachexia priori in parte.

V. In nonnullis *Venæ in Coxis & Cruribus*, ſæpe ita diſtenduntur & *intumeſcunt, ut varicoſæ evadant,* ob ſanguinem venas lente circulando extendentem. Sed cum tumor talis præterea, niſi quod ambulationem difficiliorem aliquando reddat, nil periculi afferat, & poſt partum, lochiis ſufficienter evacuatis, ſpontè evaneſcat, hinc monendæ ſaltem ſunt gravidæ, *ut crura, quantum poſſibile, in ſella aut lecto elevata teneant, neque multum ambulent.* Ut-

Utplurimum verò illas molestare solet hoc malum, quæ plethoricæ sunt, vel multum stare aut ambulare necesse habent.

Ne tamen venæ tales admodum extendantur, & periculum rupturæ incurrant, *tumidis partibus apponantur tenues laminæ plumbeæ*, & fasciis aliquot digitis latis & tenacibus involvantur crura cum laminis, inferius incipiendo & sursum fortiter involvendo, ad majorem extensionem inhibendam.

Venæ etiam sectio hic plethoricis admodum conducit. Et si venæ tales tumidæ admodum sunt dolorificæ, inungantur diligenter *butyro majali, cum succi cancrorum dupla parte, in linimentum cocto*, ac desuper applicentur laminæ plumbeæ cum fasciis, linimentum verò cum linteis applicetur.

VI. *Fissuræ ventris* non raro illis accidunt, quibus frequenti partu cutis nondum extensa fuit, ut in primiparis. Ne verò post partum deformitas relinquatur, aut dolor molestet, post quartum mensem linimentis & unguentis utendum, *ex medulla crurum vituli, ☍ amygd. d. pingued. gallinæ, ung. pomato.* Vel

℞. *Pedum arietis* no. xxx. Confractis ossibus bulliant ad perfectam concoctionem, tum refrigeratis, collige pinguedinem supernatantem & adde *Sperm. ceti* ℥ ij. *Axung. anseris, catti silv.* aa ℥ ß. *suis castrati* ℥ iij. *cervinæ* ℥ j. *Butyri rec.* ℥ j ß. Liquefiant omnia in vase vitreato, tum colentur, & postquam refrigerata sunt, abluantur aquâ rosarum tam diu donec albescunt.

Postquam hoc vel simili linimento venter probè

es

est illitus, *desuper applicetur pellis canina præparata*, & aquis odoriferis sæpius humectata & rursus siccata. Postmodum *Oleo amygd. d.* vel *oleo myrtino*, aut *hypericonis illita*, tali verò modo ita ventri aptetur pellis, ut eum ubique strictè includat.

VII. Nonnullæ gravidæ *maculis fœdis in facie* notantur, *quæ Ephelides audiunt*; oriuntur in aliis citius, in aliis tardius, & quidem potissimum in fronte, nigricantes & latæ, sed cum sanitati haud contrarientur, relinquendæ sunt, nisi pulchritudini consulere velis, ubi *aquâ bryoniæ, sigilli Salom. Fabarum*, &c. cum *oleo* ♀*i & camphora*, mixta, eas sæpe dispellit.

VIII. Aliis, *nimio sero repletis, vel cachecticis, sæpe labia vulvæ adeò intumescunt*, ut vix progredi queant, & cum tumor talis parienti multum negotii facesset, hinc tumida labia secundum longitudinem sunt leviter incidenda, ut sic sensim serum exstillet. Dehinc applicatur Ung. rosatum cum carpia vel linteis duplicatis, & desuper fit fotus cum herbis aromaticis in vino decoctis, ad tumorem ulterius dissipandum. Aliquando incisio debet fieri profunda, & diu aperta servanda, donec serum omne sensim est evacuatum.

Si tumor talis cum inflammatione combinatur, malum præbet indicium, & quod uterus jam sit inflammatus, unde tales gravidæ in periculo versantur vitæ, & facile post partum intereunt.

IX. In aliis *Hydrops Uteri* exoritur à sero, extra tunicas infantem includentes, extravasato; in hoc

in hoc caſu fœtus admodum exiſtit debilis, à depravato nutrimento advecto.

Non rarò accidit, ut ſerum tale incluſum & extravaſatum, aliquot menſibus ante partum, magna in copia excernatur, absque detrimento infantis, qui ſuo tempore poſtmodum in lucem prodit.

Hoc in caſu nihil efficiendum vel evacuandum, ſed tempus partus patienter expectandum erit.

De Fœtus Debilitate.

I.

CUm ſæpe accidere ſoleat, ut fœtus in utero materno variis ex cauſis modo præmiſſis evadat debilis, hinc ne vel abortu excludatur, aut in utero moriatur, in tempore hoc cognoſcatur, & obſtacula removeantur, ac fœtus confortetur.

II. An verò fœtus in utero debilis exiſtat, *Hippocrates* 5. aphor 65. hæc tradit ſigna, videlicet, *Si prægnanti purgationes menſtruæ curſum ſuum tenent, tum bene valere fœtum impoſſibile pronunciat.* Sed hoc ſignum non ſemper eſſe infallibile, illæ docent, quæ toto tempore, quo ſunt gravidæ, ſuum ordinarium ſervant menſium fluxum, absque infantis detrimento: *aliquando tamen eſſe ſignum indiſpoſitionis fœtus*, negari vix poteſt, præprimis ſi gravida eſt valetudinaria & male diſpoſita.

III. Tum & *ſi gravida aliàs ſæpe, vel diu ægrotat*, fœtum non adeo bene valere poſſe probabile eſt, v. g. *Si ſæpe alvi profluvio laborat*, ſic ut nutrimento debito tam gravida, quam fœtus defraudetur, fœtus bene valere vix poteſt.

IV. Et ſi *fœtus qui nunc moveri inceperat, vel qui moveri nunc debet*, rarò aut languidè movetur, tum eum debilem eſſe ſæpe certum eſt.

V. Vel *ſi mammæ*, quæ antea turgidæ erant, nunc *ſubito detumeſcunt, & lac aquoſum ac copioſum effluere ſinunt*, fœtus debilis indicium addunt.

VI. His ergò signis observatis, inquiratur in causam, ob quam fœtus debilescit, quæ tollatur: & si mater morbo quodam laborat, unde hæc debilitas accidit ille removeatur. Vel Diæta laudabili subveniatur, aut confortantibus, utpote *Balsamo embryonum*, vel aliis aromaticis, erigatur & mater, & fœtus, qualia vide de abortu.

De Fœtus nondum perfecti exclusione sive Abortu.

I.

UT exclusio talis præmatura prævideatur, & præcaveatur, omnino solicitus sit Medicus, cum semel facta, infecta amplius fieri nequeant.

Instituenda verò ante omnia præservatio, cum commodius sit abortum præcavere, & medicamenta antea adhibere, quam nunc abortienti subvenire.

II. Præcaveatur ergo abortus, *causas varias, juxta conceptionis tempora antea traditas, tollendo.*

III. In sanis & succiplenis sive plethoricis, aliquando in causa esse solet nimia sanguinis pressio, id quod lumborum, vel imi ventris dolor, sæpe indicant; præcipuè si gestationis tempore, menses mox apparent, mox subsistunt; vel extra graviditatem, statuto tempore, semper legitime, vel nimium fluere consueverunt.

Hoc in casu *fugiantur motus fortiores, tum corporis, tum animi*, fugiantur purgantia, Diæta carnea, vinum, aromata, clysteres. Sed *instituatur venæ sectio, reiteratis etiam vicibus*, sive ab initio, sive medio, vel ultimo gestationis tempore, præmatura fœtus exclusio metuitur.

IV. *Si singularis spirituum debilitas, & vigor labascens, tam matris, quam fœtus, abortum minatur*: roborantibus tam internis quam externis subveniendum matri exhibitis, vel externæ applicatis, v. g.

 ℞, *Bal-*

℞. *Balsami Embryon.* ℥ iij.
Syrupi chermes ʒ iij.
M. detur subinde cochleare. Vel
℞. *Aq. cinam. cydon.* ℥ iij.
Syr. cinam.
N. mosch. aa ʒ j ß.
M. detur cochleatim.
Externè ventri applicetur sequens, v. g.

℞. *Crusta panis, coquatur cum vino Hispanico in pultem*, cui admisce *cinamomi, macis, N. mosch. cardamomi, croci* aa q. l. ut fiat cataplasma, quod *Balsamo Embryon.* sive *Aquâ vitæ mulierum*, irroratum ventri calide applicetur.

V. *Si nimia sanguinis tenuitas*, vel textura ad dissolutionem p. n. prona, & singulari acrimonia prædita, vellicando & stimulando, metum abortus incutit, vitentur quoquo modo stimulantia, motus fortiores tam corporis, quam animi, vinum, venus, aromata, purgantia, clysteres, &c. & propinentur sanguinem concentrantia, & acrimoniam corrigentia, v. g.

℞. *Magister. corall. solubilis,*
Spec. de hyazintho,
Granator. pr.
Corall. r. pr. aa q. l.

Propinetur sæpius cultelli cuspis, cum *Aq. fol. quercus*, cui parum *Tinct. Antiphthisica*, & *Syrupi corallorum aciduli* q. s. pro gratia admixtum sit.

Vel ℞. *Conserv. rosar. r.* ℥ iij.
Mastichis ʒ ij.
Corali. r. pr.
Margarit. pr. aa ʒ j.

R. an-

℞. *antiphthis.* ʒ ij.
Syr. corall. aciduli ℥ j.

M. detur sæpius dosis magnitudine nuc. castan.

Externè, *tonus partium*, ad fœtum retinendum destinatarum, *roboretur Unguento Comitissæ*, vel *Oleo mastichin. myrtin. cydon. N. mosch. expr.* &c. lumbis, renum regioni, pectini & perinæo, probe & sæpius illito.

Brachio alliget, & sub alis gestet *lapidem aquilæ*, & manu teneat *jaspidem* sive *lapid. hæmatit.* &c.

VI. *Si Diarrhœa, Dysenteria, Tenesmus, Singultus, Mola* &c. metum abortus incutiunt, ad ea removenda omnis adhibeatur præcautio.

Neque externarum causarum vitandarum negligens, & improvida se gerat gravida, quales possunt esse *Casus, percussio, allisio, motus omnes tam corporis quàm animi fortiores, odores fœtidi* &c.

VII. *Si Tussis ferina* prægnantem excruciat, & abortus metum injicit, sistatur illa *Pilulis de Styrace*, vel *opiatis aliis legitime & paratis, & adhibitis.*

VIII. *Nausea & vomitus* primis mensibus, multis prægnantibus molesta, *nisi modum excedant*, soli naturæ sunt relinquenda; vel chylificationem adjuvantibus, aut corrigentibus sunt restituenda, vel ruditates acidæ, biliosæ, &c. leni vomitu exturbandæ.

IX. *Si Mulier semel vel bis abortum passa fuit*, investigetur ejus causa, quæ, si ex venæ sect. omissa judicatur, in posterum maturè, vel medio gestationis tempore, non omittatur.

X. Si Prægnanti accidit *subita mammarum detumescentia, vel lactis effluxus copiosior*, tum abor-

tum imminere, suo tempore *Hippocrates* annotavit, Fœtum vel debilem, vel perversam aut p. n. ejus nutritionem indicando.

XI. *Et si uteri depravata conformatio*, nimia videl. angustia, vel scyrrhosa ejus textura, cedere nesciens, est in causa, tum omnia contra molimina erunt irrita; & ab adstringentibus desistendum, sed expulsio fœtus potius adjuvanda.

XII. Ad Abortum tamen præ aliis proclives sunt *nimis iracundæ*, & *quæ fluore albo diuturno laborant*, vel quæ *cachexia serosa* ægrotant.

VIII. *Aliquando ipse fœtus mortuus sui exclusionem urget*, & cognoscitur ex singulari onere in utero, ut quocunque se vertit gravida, tanquam saxum aut aliud quid simile, se circumvolutare sentit, regione pubis sensu frigidi affecta.

XIV. *Et si gravida tertio mense* absque singulari causa, *derepente terrore vel horrore corripitur*, denotat fœtum morti esse proximum, dehinc si insequitur gravitas pubis & genitalium, indicium est exclusionem fœtus mortui imminere, quæ tum potius promovenda, quam sistenda erit.

XV. *In abortu mulier semper magis periclitatur*, quam in partu naturali, in quo vasa & ligamenta, quibus fœtus utero adhæret, sponte solvuntur, quæ in abortu magis violenter quasi abrumpuntur. Unde tales mulieres postea multis symptomatibus infestantur, vel sæpius steriles redduntur.

Minus tamen læduntur, quæ infantes antea pepererunt & aliàs sanæ sunt, ac in quibus viæ nunc partui asuetæ, & patentiores factæ sunt, & quæ vias obtinent laxiores.

XVI. *Si verò abortus primiparis accidit*, quibus geni-

genitalia adhuc sunt angustiora, & quæ doloribus istis partus, nondum sunt asuetæ, *illæ magis aliis periclitantur*, & facile postea steriles evadunt, dilaceratis, & postmodum callo obductis variorum & plurium vasorum uteri osculis.

Magis etiam periclitantur in abortu *mulieres nimis graciles*, propter infirmitatem, *nec non crassæ nimis*, ob viarum angustiam.

Periculosior verò est abortus ultimis mensibus accidens, ubi fœtus grandior factus, in exitu majores labores requirit, & graviores dolores, ac majores hæmorrhagias excitat.

Gravidarum Diæta & Regimen.

DUplex, esse debet, & eas concernit *quæ vel sanæ* omninò sunt, & ne in morbos incidant præcaveri debent; vel illis convenit, *quæ valetudinariæ sunt*, aut morbo quodam detinentur.

I. Posteriorum regimen, in Diæta conveniente consistit; *quod aërem attinet*, sit purus; & *vitent gravidæ omnes graves odores*, præcipuè *fœtorem* extinctarum lucernarum, vel herbarum fortiter olentium, & quidem talium, à quibus natura abhorret; sic aliæ fœtidis, aliæ suaveolentibus adeò commoventur, ut suffocationes uteri incurrant.

II. *Arceantur porrò à rerum terribilium aspectu*, cum fœtui varia mala inde contrahi queant, utpotè forma vitiosa, varii nævi &c.

Vitet insuper Bombardarum, tubarum & tympanorum sonitus vehementes.

III. *Cibum quod attinet, is sit boni succi & facilis digestionis*, quantum cujusque fert conditio; *Poma cydonia* à veteribus credita fuerunt, fœtui vigorem conciliare, exinde quod post cibum sumta, prohibeant, ne vapores pravi è stomacho caput petant. Sic & *amygdalas dulces* cum melle datas, admodum commendant; imò credunt, quod si partu appropinquante, gravida singulis diebus aliquot *ficus assas*, ante reliquum cibum comedat, secundinas postmodum facilius separabiles existere: fides stat penes commendatores.

In genere verò vitet gravida cibos acriores, insi-

insigniter salitas & amaras, quæ menses movere, & alvi fluxum concitare possunt, ut sunt ceparum, allii, vel aromatum nimius usus. Vitent porro omnes motus animi fortiores, præcipuè iram, cum inde, ut & à terrore, fœtus in utero facile convulsionibus corripiatur.

Vitent porrò fructus horarios, raphanum, legumina, fabas, pisa, lentes, ob flatus & tormina, quæ causare possunt.

Aliàs melius est gravidas peccare in cibo copiosiore, quàm diæta nimis tenui.

IV. Præterea *exulent motus omnes violenti, tum corporis tum animi* hinc choreas haud ducant immoderatas, curru succutiente non vehantur, pondera gravia non elevent, præsertim primis mensibus, in quibus insuper à Venere abstineant, ne uteri commotione forti fœtus excutiatur, & superfœtatio fiat, vel mola concipiatur.

Non tamen otio nimis indulgeant, sed aliquid agant, ne torpescant, & inde morbis obnoxii fiant.

Non etiam corpus sive *ventrem*, nimis *strictis vestibus* includant, ne sibi & fœtui noceant.

Ultimis mensibus, singulis septimanis *utatur gravida Balneis ex herbis emollientibus paratis*, ut partes genitales laxentur, & ad extensionem aptentur.

V. Somno potius indulgeat, quam vigiliis. *Et ad uterum & fœtum roborandum* in usum veniant *Balsamus embryonum*, *Species diamargarit. Diambræ* &c.

Externè umbilico admoveantur *confortantia ex*

Nuce mosch. caryophyllis, macere, mastiche &c. vel *crusta panis* vino malvatico, aut *Balsamo Embryonum* humectata, ac *pulv. menthæ crispæ aspersa* ventri imponatur calide, &c. Vel

℞. *Menthæ crisp.* pl.
Nuc. mosch. aa ʒ ij.
Macis,
Garyophyll. aa ʒ j.
Mellis ℥ ij.

Mixta illinantur crustæ panis tostæ, & umbilico imponantur.

Gravi-

Gravidarum Febres acutæ & Lues venereæ.

I.

ILlæ teſte *Hippocrate perniciosæ admodum ſunt*; cum geminum fœtui inde immineat periculum; *vel enim malignitate Febris talis, enecatur, aut alimenti indigentia perit*, tali enim Febre laborantes ſæpè intra 14. dies vix cibi aliquid aſſumunt, appetitu planè proſtrato exiſtente, vel ſi aſſumerent coactæ, tamen nulla digeſtione præſente in nutrimentum haud digeritur, atque matri & fœtui detrimentum parit.

II. *Non tamen ſemper* gravidis *perniciosas* vel lethales eſſe Febres acutas, plurimis experimentis conſtat, *præcipuè primis imprægnationis menſibus*, ubi multo alimento fœtus nondum indiget, ubi victus tenuis, ex *juſculis pullorum, hordeaceis, ovis ſorbilibus* &c. ſufficit; carnibus interea interdictis, cum vino.

III. *De Vena Sectione* prægnanti inſtituenda, *veteres admodum ſoliciti erant*, credentes, quod inde fœtui alimentum neceſſarium ſubtrahatur. Sed cum *ipſe ſanguis haud ſit alimentum*, quo corpus nutritur, ſed partes ſaltem ejus gelatinoſæ, mediante ſanguine arterioſo advectæ; hinc non officiet Venarum Sectio, cum inde ſaltem emittatur ſanguis plurimis partibus nutritiis vacuus, unde nec enecabitur fœtus, nec mater; modò indicationes aliæ non adſint quæ prohibent: Sic & *veteres ſaltem de vena ſectionibus largioribus, ad libras ſcilicet*

inſti-

institutas, loquuntur, quod & moderni omnes improbant, non quod inde multum alimenti, sed aliâ ratione viribus multum detrahatur, præcipuè in illis quæ aliàs sanguine haud abundant.

IV. *Et an gravidas purgare liceat, cum Hippocrate* iterum arduam quæstionem instituebant veteres, non enim nisi *ab initio quarti mensis, ad finem sexti, seu septimi initium*, gravidis *purgantia propinare fas esse credebant*; intelligentes scil. casum, si gravida Febre acuta laboraret; ubi in aliis morbis chronicis purgationes, benigniores tamen & leniores, absque periculo propinari posse haud negabant.

V. Nos moderni, & tot experimentis confirmati, *in Febribus acutis nulla exhibemus purgantia per inferiora, sed quæ saburram*, si quæ adest in stomacho, *vomitu rejiciunt*, & hoc tam in prægnantibus, quàm aliis, & si gravida aliàs ad leviter abortiendum non est disposita, etiam validissima purgantia toties reiterata haud officient fœtui, prout toto die exempla sunt obvia, rationalis tamen Medicus semper hic cautus erit, & quid hæc vel illa natura aut dispositio ferre queat, indagabit.

VI. Aliàs *Febrium acutarum cura, in puerperis non differt ab aliarum non prægnantium curandi methodo*; nisi veterum scrupulum quis attendere velit, qui sudorifera saltem mitiora tuta esse dicebant, cum fortiora, non aliter ac diuretica, menses simul provocare, & abortum causare crederent: Si tamen modernorum experimenta respicimus, qui prægnantes Lue venerea correptas primis mensibus felici successu mediante cura sudorifera salvarunt, metus hic haud erit attendendus.

VII. Ete-

VII. Etenim *si gravida Lue venerea* est infecta, quæstio est, an tempore gravidationis curari debeat? alii negant, sed magis rationales affirmant; & *Hildanus, Mauriceau* & alii experimentis confirmant, sed ut cura primis imprægnationis mensibus ad quartum usque, instituatur, & hoc quidem, ne fœtus in utero tali labe inficiatur, ac matri postmodum, & sibi detrimentum, & mortem adsciscat. *Hildanus* hâc methodo curavit fœminam, hoc malo infectam & secundo mense gravidam, quæ alium adhuc infantem lactârat, atque sic tres personas unâ curâ salvavit, matrem nimirum, fœtum, & lactatum.

De

De Partus Naturalis tempore, Signis fiendique modo.

I.

POstquam fœtus, suum tempus nunc tranquillè in utero materno transegit, tandemque legitimam magnitudinem & perfectionem acquisivit, id quod, etsi alii, alio tempore; videlicet sexto, vel septimo mense &c. acquirant; tamen *Ordinarium tempus perfectionis cadit in finem noni, & initium decimi mensis*, ubi omnibus viribus in lucem prodire nititur infans.

II. Tunc verò cura adhibenda, *ut hoc citò fiat, & fœtus, legitimâ suâ positurâ, in lucem prodeat vivus & sanus.* Id quod Deo benedicente fieri solet, *si parturiens*, vel partui proxima, *bonæ est constitutionis, & liberè respirat, ac dolores versus inferiorem ventrem diriguntur & urgent;* ac infans exitum quærit, *capite deorsum versus uteri os converso, cruribus & brachiis ad femora, sursum directis.*

Et si tunc obstetrix digitum in orificium uteri immittit, & infantis caput rotundum, & durum ovi instar, ad orificium uteri hærere sentit, tum, *si dolor se se exerit*, & uterus se sensim aperire conatur, parturiens spiritum cohibeat, nec clamet, sed sensim forti conatu infantem extrudere pergat; *dolore verò cessante, & ipsa rursus à conatu fœtum extrudenti cesset*, donec dolor denuo urgere incipit, ubi & ipsa parturiens extrusionem urgeat, donec tandem infans *reiteratis conatibus*, repagula rumpit, & dilatatis partibus extruditur.

III. Inter laborem hunc dolore plenum, obstetrix

trix vel adſtantes *animum parturientis erigant*, & ad obſequendum humaniter, vel pro genio alio, rigorosè hortentur, præterea *parturientem fulciant, & ventrem ejus leniter manibus patulis comprimant, & infantem deorſum deducant:* & ſi vires deficiunt, atque animi deliquia imminent, *vino vel confortantium aliorum odore, eam recreent.* Admittendæ verò ſunt mulieres, quæ vel ipſæ ſæpe hos labores ſuſtinuerunt, vel parturientibus adfuerunt, tum omnia Deo ſe. undante benè cedent, modò omnia prædicto modo ſe legitimè habeant: Etenim ſi dolores illegitimi, & ad pariendum non directi adſunt, tum cum irreparabili damno gravida ſæpe ad partus labores adſtringitur.

IV. *Hinc obſtetrix probè perpendat ſigna partus legitima:* ubi enim dolores ſe ab umbilico, ad inguina non extendunt, & ad lumborum vertebras extenduntur, *neq; partes ſuperiores circa umbilicum extenuari incipiunt*, fœtu ſenſim deorſum vergente, tum fruſtra ad extrudendum fœtũ parturiens adigitur.

V. *Aliàs parturiens decumbat, ambulet, ſtet, aut ſedeat*, pro lubitu, *donec dolores urgent*, ubi hos non retroagat, ſed ſenſim deorſum urgendo adjuvet, vel in ſella obſtetricante, aut lecto, vel ſtando, donec tandem infans fœliciter excluditur; ubi obſtetrix manibus linteo molli munitis prodeuntem infantem excipiat, diligenter cavendo, ne ulla pars lædatur.

VI. Inter labores partus, *parturiens capite erecto operetur, ne muſculi colli*, inter extrudendum, & ſpiritum cohibendo, *extendantur*, & collum poſtea intumeſcat, & *bronchocele* exoriatur.

Aliquando tunicæ ob denſitatem rumpi nolunt, neque

neque aquæ effluere volunt, hinc observato hoc, obstetrix, eas digito leniter dilaceret.

VII. *Si verò aquæ nunc effluxerunt*, & tamen infans diutius moratur, ac viæ interea siccæ evadunt; obstetrix vaginam uteri probè inungat, *Ung. de althea*, ℥ *lilior. alb. oleo verbasci, cheiri, pingued. gallinæ, vel butyro recenti*, &c.

Præterea inunctionem talem etiam requirunt *fœminæ obesæ*, quorum pudenda sunt angustiora, *vel quæ primiparæ sunt, & vias siccas habent.*

VIII. *Mauriceau* circa hunc laborem notari vult, quod etsi os uteri aperiri observetur & caput infantis tangatur, *neq; verò tunicæ infantem includentes aquis repleri sentiantur, ita ut in orificio uteri se ante caput infantis forment, & colligant*, ac instar ovi testa carentis, molles tangantur, *nondum esse tempus, ut parturiens ad laborandum urgeatur, præcipuè absentibus doloribus, partum promoventibus*; hinc tempori indulgendum, donec sic sensim dolores partus fœtum, cum suis tunicis & inclusis aquis, versus uteri orificium urgent, & majore conatu tum dilacerant, & aquas effluere sinunt; ubi tunc tempus est, ut obstetrix exploret digitis, an caput, vel alia corporis pars exire tendet; vel an vagina uteri extrudatur, quam manu inuncta, leniter retroagat, ne prolapsus vaginæ uteri exoriatur.

IX. Postquam verò infans nunc in lucem est editus, tum *sanguis qui in vasis umbilicalibus est, versus infantis umbilicum comprimatur*, & ea vasa, quatuor digitorum transversorum longitudine relicta, filo duplici & tenaci constringantur, & abscindantur, relicta verò umbilici *abscissa pars tegatur*, & involvatur *linteo duplicato, & oleo rosarum madido*, &c.

X. *Tum*

X. *Tum verò absq; mora porrò danda est opera, ut una cum infante secundinæ exeant*, seposito paulisper infante; Et si hæc tam promptè sequi haud velit, tum ea, manu calida, & oleis supra dictis illita, in uterum immissa, leniter extrahatur. Et si paulisper utero cohærere observetur, paulatim hinc inde circumagenda, & sic sensim validius attrahenda & extrahenda est.

Tutissimum verò est, *infantem ab umbilico non resecare, sed tenere, donec simul brevi post secundina est edita*; si tamen hæc diutius moratur, resecetur infans ab umbilico, abscissa verò pars secundinæ cohærens filo ligetur & puerperæ femori alligetur, aut manu obstetricis teneatur, & ad exitum hinc inde leniter trahatur; ad juvandum verò conatum *sternutatorium*, *vel medicamenta alia ad fœtum mortuum*, *vel partum difficilem commendata*, exhibeantur.

Atque hic est partus naturalis fiendi modus, & licet absque gravi dolore haud fieri soleat, & parturientes sæpe in partu plus quàm bruta laborent, tamen si infans fortiter movetur, dolores deorsum probè urgent, fœmina vires & spiritum fortem habet, ac in partu aliquando sternutat, tum partus facilis dicitur, & fit sine aliis symptomatibus gravioribus.

De Partu Difficili Naturali.

I.

A Prædicto naturali modo, partus multis modis deflectere poteſt; *Sic nonnunquam partus legitimum tempus obſervat, & modus naturalis omnino eſt*, & tamen difficilis eſt infantis exitus. *Aliquando verò tempus partus legitimum adeſt, ſed modus non eſt naturalis*, ubi infans alia corporis parte, quam capite exitum quærit, vel ultra legitimum tempus in utero hæret, vel & in utero planè emoritur, aut nulla obſtetricis opera, nec medicamentis expelli poteſt.

II. *Si absq; figuræ vitio*, vel naturali modo, *partus eſt difficilis, tum cauſa vel eſt in matre vel in fœtu, aut viis*, per quas infans egredi debet.

Matris ratione partus eſt difficilis, quando ea eſt debilis & dolores partus legitimi deſunt, neque ad expellendum infantem ſufficiunt.

Debilitas verò vel à debilitate ſpirituum, aut à corporis conſtitutione laxa, rara, vel ob ætatem nimis juvenilem aut ſenilem, inediam, evacuationes immodicas, vel ob morbos alios, oriri ſolet, *præcipuè ſi reſpirationi dicatæ partes ſe non bene habent, ac ſpirandi difficultate laborant*, ut ſpiritum cohibere, & verſus inferiora urgere haud poſſint. Vel ſi delicatæ nimis ſunt, & dolorum impatientes, expulſionem fœtus haud fortiter, ut debent, aggrediuntur, ſed moras quærunt, atque dolores ad egerendum directos negligunt.

III. *Fœtus ratione partus ſit difficilis*, ſi non unus,

ſed

ſed gemelli aut plures fœtus adſunt, & uterque eodem tempore exitum molitur, vel ſi fœtus molam cohærentem habet, aut fœtus ratione capitis, nimis eſt magnus, vel ſi nimis debilis ipſe exiſtit, ut exitum ſibi parare haud queat; vel jam mortuus eſt in utero.

IV. *Inviis cauſa eſt, ſi os, & vagina uteri, nimis anguſta ſunt, vel minùs lubrica:* Anguſtiores verò ſunt hæ viæ in illis, quæ primo pariunt; vel quæ nimis pingues & obeſæ ſunt, aut ſi tumor, vel excreſcentia quædam in viis hæret. Item ſi fœces duræ in inteſtinis deliteſcunt, aut hæmorrhoides tumidæ & dolentes, vel calculus veſicæ, remoram addunt; vel & *oſſa coccygis male formata* exiſtunt, *ut haud ſufficientem cavitatem efficiant*, quàm fœtus penetrare poteſt. Et hæc potiſſima ſæpe eſt partus difficilis cauſa, ob quam & fœtus & mater periclitantur & intereunt.

V. *Si verò mulier quatuor diebus in partu laborat*, tum fieri vix poteſt, quin fœtus moriatur, quoniam interea temporis tam matris quàm fœtus vires labaſcunt.

Cum verò *omnis partus difficilis ſit periculoſus*, & vel mater vel fœtus inde periclitentur, hinc cauſæ, ſi poſſibile, tollantur.

Et ſi matris debilitas videtur eſſe in cauſa, tum ea reficientibus & roborantibus adjuvetur; vel & *medicamenta partum facilitantia*, aut naturam ad expellendum ſtimulantia exhibeantur.

VI. Hæc verò adjuvantia non exhibeantur, *niſi obſtetrix ſentiat infantis ſitum eſſe naturalem, & eum ad exitum nunc legitimè ſituatum*, & aquas nunc effluxiſſe, dolores verò ad expellendum eſſe ni-

mis debiles observar, tunc exhibeantur sequentia v. g.

℞. *Cinamomi* pl. ℥ij.
Succini albi pr. ʒß.
Testiculor. equi, pr.
Borracis aa ℥ j.
Croci ℈ j.

M. fiat pulvis, de quo exhibeatur ℥ß. vel ℥ j. pro dosi cum Aqua cinamomi, Liliorum alb. &c.

Vel ℞. *Borracis mineralis* ℥ j.
Cassiæ Lign. ℈ j.
Croci gr. vj.

M. pro dosi.

Vel ℞. *Cinamomi* ℈ j.
Myrrhæ gr. xv.
Borracis ℈ j.
🜕 *succini* gtt. j.

M. & detur pro dosi cum aq: verbenæ vel Lil. alb. aut Vino Hispan.

Admodum etiam à Practicis commendatur secundina humana siccata, & pulv. Vel

℞. *Secundin. hum.* pl. ℥ ij,
Cinamomi ℥ j.
Croci ℈ ß.
🜕 *sabinæ* gtt. vj.

M. fiat pl. qui detur ad ℥ j.

Præter hæc etiam *clysteres acriores* partum stimulant, nec non *Sternutatoria*, *Hippocrate* hæc commendante. Possunt etiam applicari *Pessi* fœtum provocantes v. g.

℞. *Galbani in aceto dissol.* ℥ j.
Myrrhæ ℥ ij.
Croci ℥ j.

Cum

Cum oleo irino.

Fiat Pessus.

Ad fœmora alligetur *lapis ætitis*, qui partum facilem & expeditum reddere dicitur; sed post partum rursus removeatur, alii hunc in finem commendant *radicem poligoni*, *aut coriandrum viride*, coxæ vel plantis pedum alligata.

VII. *Ad reficiendas vires*, si deficiunt, naribus admoveatur *panis recens, vino odorato madidus, & garyophyllis, ac N. moschata aspersus.* Vel

℞. *Aq. Cinamomi,*
Lilor. alb. aa ℥ ij.
Confect. alkerm. ℥ ij.
Spec. diamarg. calid. ʒ j.
M. detur subinde cochleare.

VIII. *Si plures fœtus, vel gemini partum reddunt difficilem*, tum obstetrix eos manibus ita dirigat, ne unus alterum in exitu impediat, eum verò qui exitui propior est, promoveat, & alterum retrudat, donec prior exiit.

IX. *Si verò fœtus est nimis magnus tum oleo amygd. dulc. pingued. gallinæ* &c. viæ probè inungantur & digitis partes strictæ sensim extendantur.

Talis verò *partium inunctio* necessaria admodum est, *si aquæ nunc effluxerunt*, & fœtus diu adhuc moras nectit, ac interea partes quasi exarescunt, & siccæ evadunt.

X. *Et si tumor aliquis in genitalibus*, vel horum vicinia partum difficilem reddit, tum partibus, oleis vel lineamentis ante dictis, inunctis, tumor blande tractetur, ut citra insignem dolorem fœtui cedat.

Ad fæces in alvo induratas clysteres applicentur, vel suppositoria.

XI. Quoniam verò in difficili partu, *infans ſæpe quaſi exanimis in lucem editur*, hinc illi ſpiritus ore in os, & penna in anum ſuffletur, *aroma aliquod maſticetur* & halitus ei inſpiretur. *Linguæ inſtilletur guttula una aquæ vitæ*, eademque pulſus & narium foramina inungantur, *funiculus umbilici foveatur vino, vel vino malvatico.* Vel ℞. *Malvatici & aquæ vitæ* part. æq. calefiant, & in iis diſſolv. *Ol. Nuciſtæ*, tum pannus lineus illis imbuatur, & eo umbilicus involvatur &c.

De Partu Difficili Præternaturali.

I.

CUm partus naturalis fieri ſemper ſoleat *capite deorſum verſo, manibus & cruribus ſurſum protenſis.* Hinc quocunque modo aliter prodire intendit, *partus præternaturalis* & vitioſus dicitur.

Et hujus tres ſunt modi, nimirum dum infans vel pedibus, vel manibus, vel & obliquus; videlicet natibus, vel ventre, vel humeris &c. primum exire conatur.

Atque hujuſmodi vitioſi ſitus, & conatus prodeundi varii & diverſi ſunt modi; extra ratiores aliquando exeundi modos; videlicet ſi infans robuſtus corpus uteri dilacerat, ut pes extra uterum prodeat &c.

II. *Cauſas* talismodi vitioſi partus, *Hippocrates* duas eſſe credit: *Uteri ſcil. amplitudinem, vel parturientis acerbos dolores, quorum impatiens, inordinatè ſe gerit*, dum modo ſurgit, modo decumbit, vel varie huc, iſtuc ſe ſe jactat, neque doloribus præſentibus, ut debet, partum deorſum protrudere nititur, tunc hiſce inordinatis motibus fœtus à ſitu illo naturali facile dimovetur, & alio modo vitioſo exire conatur.

III. *Propterea ſi gravida nunc tempus pariendi proximum eſſe hariolatur*, vitet omnibus modis fortiores motus, quoquo modo inſtitutos, *ne fœtus* inordinato vel vehementiori tali motu, ante tem-

pus inquietetur, & *ad exitum quasi prœmaturius irritetur*: propterea tranquille se gerat, & Balneo emollienti vel fotibus, partes emolliat, *ut postea facilè cedant, & se extendi patiantur.*

IV. Et si dolores tandem accedunt ventris, qui deorsum versus uterum & vesicam aut sellam tendunt, tum obstetricem statim quærat, ut præstò sit; partui verò proxima tum *dolores*, se hinc inde jactando, currendo &c. *non retroagere tendat*, *sed semper deorsum agat*, donec sic sensim infans capite inverso repagula sua perrumpit, & exitum invenit.

V. Interea dum parturiens ita est occupata, *obstetrix semper digitis inquirat, oleo illitis* &c. *an aquæ ante caput infantis se colligere incipiant*, quo observato, & *doloribus redeuntibus parturiens fortiter laboret*, versus uterum vel anum dolores dirigendo, ac si totum ventrem extrudere vellet, cessantibus vero illis doloribus, parturienti concedatur, ut respiret, & paulisper vires recolligat, imo ut pro lubitu *paulisper deambulet*, præprimis *si nondum observet obstetrix infantem capite nunc deorsum verso, ad exitum esse proximum.* Quamprimum verò hoc observat, & quidem *si nunc disruptis tunicis aquæ effluunt*, tunc non amplius tempus est ut parturiens se hinc inde jactet, sed patienter vel in sella, vel in lecto maneat, *& doloribus partus, per intervalla redeuntibus, sit intenta, ut eos probè & fortiter deorsum urgeat*, & doloribus sic sensim auctis infantem omni conatu extrudat.

Si hoc negotium ita legitimè instituitur, vix fallet, quin partus naturali modo, & Deo adjuvante, in lucem prodeat.

Par-

Parturienti tamen & laboranti ſubinde ad reficiendas vires propinetur juſculum aliquod reſtaurans, vel parum panis, *vino, vel vino Hiſpanico* intinctus, vel ſimile quid antea docti.

VI. *Quæ obeſæ ſunt & primiparæ non adſtringantur citò ad ſellam obſtetricis*, ſed quamdiu poſſunt liberè deambulent, *quoniam pondus infantis, ſic eo melius extenſionem orificii uteri adjuvat*; ſed ſi reiteratis doloribus, nunc infans exire conatur, & aquæ effluunt, tum ut modo dictum non amplius deambulet, ſed egreſſum infantis, doloribus ad illum directis, omni modo & viribus promoveat.

VII. *Si tandem vitioſa quâdam figura prodire intendit infans*, tum *obſtetrix, manu oleo inuncta, & unguibus præciſis*, partim adducendo, partim retropellendo, &c. prout opus eſt, *fœtum dirigat*, & in cavitatem uteri omni conatu reducat, non rarò verò accidit, ut tunc infans proprio & naturali exeundi conatu, ſua ſponte ad naturalem figuram & exitum reducatur.

VIII. Cùm verò *omnes præternaturales exeundi modi ſint difficiles & periculoſi, minus tamen periculi adeſt, ſi infans pedibus ambobus exire conatur*; modo manus ad femora ſint ſimul extenſa, ut ea obſtetrix ſimul prehendere & ad exeundum dirigere queat.

Quoniam tamen hâc exeundi methodo infans difficulter exit, porrectis ad latera brachiis, *ubi os & cervix uteri admodum dilatata eſſe oportet*, hinc illæ partes probè inungantur, *& digitis extendantur leniter, imò & ſternutatorium* naribus admoveatur, vel conatu matris debili, detur aliquid quod partum adjuvat, qualia ſupra ſunt tradita.

IX. Quacunque verò vitiosa figura prodire intendit infans, semper prospiciendum, *ut situs ille manu obstetricis corrigatur*, & quidem ita ut in cavitatem uteri retrudatur, vel si aliter fieri nequit, pedibus & manibus sive brachiis ad fœmora protensis, ad exitum deducatur.

Parturiens verò ita in lecto collocetur, ut ventre elato fœtus liberè retrocedat, dehinc aliquoties in lecto circumvolvatur, donec infans ad situm magis commodum vel naturalem reducitur.

De Partu in Utero Matris mortuo & expellendo.

I.

EÆdem causæ, supra enumeratæ, ob quas partus redditur difficilis, *in causa esse possunt, si majores sint, ut partus*, frustra exitum quærens, *tandem in utero emoriatur*, & excludi nullo modo queat, atque simul matri mortem minetur.

Propterea si fœtus, omni labore & diligentia adhibitis, tamen in lucem protrudi haud queat, sed inter longiores moras & labores in utero matris moritur, hinc ut hoc cognoscatur, signa probè tutinentur.

II. *Ubi ergò fœtus in Utero mortuus est*, mater & obstetrix motum ejus haud amplius percipiunt, etiamsi roborantia, quibus alias excitari solet, adhibeantur. *Et quando mater se de latere in latus convertit, fœtum ex una parte in alteram lapidis instar dilabi percipit*, facies insuper & labia pallent, & partes exteriores ac uteri regio cum cervice ad tactum frigida deprehenduntur; *Mammæ etiam*, quæ antea turgebant, *flaccescere incipiunt*; Successu verò temporis putrescente in utero fœtu, anhelitus fit fœtidus, & aqua ac sanies fœtida ex utero effluit; Accedit horror febrilis, animi deliquia, capitis & stomachi dolores, ac tandem sæpe convulsiones se jungunt.

Sic & fœtum mortuum denunciant *secundinæ, vel vasa umbilicalia ante fœtum exclusa.*

III. Quo plura verò & pejora symptomata, à

fœtu

fœtu mortuo, mater patitur, utpotè *si convulsionibus tentatur, si tremit, vel lethargo & gravi somno, opprimitur, & pulsus debilis existit*, eo magis de vita periclitatur. Si verò horum nil, tum servari eam posse spes adest.

Prætereo hic casus rariores ab authoribus annotatos de fœtu in utero mortuo & ossibus per anum, per vias urinarias &c. excretis superstite interim matre, &c.

Quoniam verò plures funestos quàm bonos exitus, à fœtu mortuo matri inductos, toto die experimur; *licet aliquando natura*, prout plures invenimus historias, *fœtum corruptum spontè expellere soleat, per varias vias*, tamen cum hoc haud fiat, absque matris damno & periculo, atque rarissime accidat, *hinc danda opera, ut quàm primum expellatur, vel manu Chirurgi extrahatur fœtus mortuus*, ne putrescens, matrem trucidet.

IV. *Medicamenta* verò quibus hoc fieri solet, sunt ea, vel talia, *quæ in partu difficili commendata sunt*, majori tamen dosi, ut fortiorem præstent effectum, exhiberi hic absque periculo possunt, fœtu non amplius vivente. Quæ verò *magis valida* hic sunt deprehensa, sunt ea quæ *ex sabina, myrrha, borrace, hepate & felle anguillæ, cinamomo ac croco* constant. Sunt tamen Practici qui *Oleo ligni Heraclini* ad gtt. xv. vel xx. cum *vino Hispan.* vel Aq. conveniente exhibito, magnas adscribunt vires.

Præterea non omittantur *Sternutatoria, Balnea, clysteres irritantes Pessus, suffitus ex ungula asinina combusta*, & per tubulum in uterum derivata &c.

V. Si

V. Si autem omnia hæc frustra tentantur, tum *in tempore manu Chirurgi exercitati, extractio instituatur, matre tamen adhuc satis valida existente*; etenim si tunc hæc operatio instituitur, ubi misera nunc debilitata existit, *pulsus nimirum debilis*, & anhelitus brevis, ac pallida facies, & *sudores frigidi*, extremarumque partium frigiditas, mortem in propinquo annunciant, melius abstineatur à cura, ne, si inter operationem misera moreretur, hoc chirurgo, vel operationi adscriberetur, & aliæ postmodum à tali operatione aliàs in necessitatis casu absolute necessaria, absterrentur.

De

De Puerperarum Regimine.

I.

POstquam partus in lucem eſt editus, cum ſecundinis, quæ in partu naturali ſine difficultate poſt fœtum prodeunt, tum *puerpera in lectum deducenda, ejusq; vires*, in partus laboribus admodum dejectæ, *quiete & cibis idoneis ſunt reficiendæ*, neque ante finem ſex ſeptimanarum ad conſuetos labores admittendæ; licet ſint & dentur admodum vigoroſæ, quæ nulla puerperii ratione habita, ſtatim poſt partum ad ſuos labores revertantur, ſed cum tales raræ ſint, hinc in exemplum trahi haud debent.

II. *Omni verò ſtudio puerpera arceatur ab aëre frigido*, cum hic utero quaſi vulnerato, inimicus admodum ſit, *& facile lochiorum retentionem, atq; tormina*, vel uteri inflammationes excitare queat.

Omnia etiam odorata ſunt removenda, præcipuè ſi puerpera ſuffocatione uteri eſt obnoxia.

III. *Cibus ſint juſcula gallinarum, carnium*, vel & ſubinde *ovum recens*, atque tali victu primis duobus vel tribus diebus contentæ eſſe debent. *Poſtea carnes pullorum, gallinarum, vel hœdinæ aut vitulinæ* concedi poſſunt.

IV. Potus ſit *vinum tenue* in aſuetis, *vel cerevíſia, non tamen frigida*, ne tormina excitet, *ſed tepida*.

Et ſi neque vinum, nec cereviſia, ob metuendum calorem, locum habet, *detur Decoctum , ex Hordeo Raſur. C. C. cinamomo, cort. citri, paſſulis*, &c.

Noſtrates ſunt aſuetæ & contentæ *Vini & aquæ* p. æq. cui addunt *Medullam panis cum ſacharo & paſſulis*,

lis, sed intelliguntur hic illæ puerperæ, quæ bene se habent.

V. *Et ne quies puerperarum turbetur*, arceantur ab omni strepitu, imo ipsæ puerperæ *non multum loquantur*, præcipuè alta voce; & si ita vigesimum, vel pro dispositione valida, undecimum vel decimum quartum diem in lecto transegerunt, atque lochiorum purgatio cessat, tum ut è lecto surgant, concedatur.

Vires tamen puerperæ hic sunt respiciendæ, aliæ namque citius è lecto surgunt, aliæ ob vires debiles diutius in eo manere coguntur.

VI. *Si alvus obstructa puerperam molestat, clyster emolliens* concedi potest, vel si his non sint adsuetæ, detur subinde aliquod *laxans, ex Pulpa passul. min. Tamarindor. Syr. de cich. cum Rhab. & Jalappa. pulv.* &c.

VII. Ante omnia verò, & quam primum puerpera in lectum est deducta, *venter ejus ligetur fascia lata, primo die leniter, vel prout se bene ferre posse sentit*; de die verò in diem sic sensim fascia magis adstringatur, ne venter rugis defœdetur.

Hunc in finem venter inungi potest linimento seq.

℞. ℴ *amygd. d.*
hyperici,
myrtill. aa ℥ j.
Sevi cervini,
Sperm. ceti aa ʒ ij. M.

Post inunctionem applicetur Emplastr. seq.

℞. *Ceræ novæ* ℥ ij.
Sperm. ceti ℥ ß.
ℴ *myrtini,*

ℴ *hy-*

℈ hyperici aa ʒ iij.
Croci ℈ j.

Liquefiant ſupra ignem, & ab igne remotis im-mergatur tela cannabina, magnitudine ventri re-ſpondens, quæ ventri applicetur, faſcia deſuper cir-cumvoluta.

VIII. Si in partu difficili *pudendum muliebre* ab extenſione violenta *admodum dolet & tumet*, fiat fotus *ex Decocto arthemiſiæ, malvæ, hyperici, myrti, Fl. roſar. r. meliloti* &c. *in vini & aquæ* aa facto. Poſt fotum

℞. *Olei hyperici* ℥ ij.
myrtillor. ℥ ß.
Vitelli & album. ovor. no. ij. M.

Et cum ſtuppa cannabina calidè applica.

Si fortiori adſtringente opus, ad partium tonum reſtituendum, tum modo dictis, diebus aliquot ad-hibitis, fiat fotus ſeq.

℞. *Flor. roſar. r.*
Fol. myrti aa m. j.
Acinor. ex paſſul. extract.
Corticum granat. aa ℥ ß.
Cumini,
Myrrhæ aa ʒ ij.
Aluminis ʒ j ß.

Coquantur in vini & aquæ plantag. aa. q. ſ. pro fotu, per plures dies continuando; Poſtea applice-tur, unguent. Comitiſſæ, vel *ex oleo hyperici, ſperma-te ceti, & cera* factum.

IX. Vel *ſi dilaceratio vulvæ ad anum uſq;* facta eſt, tum vulneri immittatur Balſamum ſeq. ex Gummi Elemi.

℞. *Gummi elemi* ℥ ij.
Oleum hyperici ℥ ij ß.
Thereb. Ven. ℥ iij.
Sang. Dracon.
Myrrhæ aa ʒ j.

Leni igne liquefiant, & miſceantur in Balſamum, quod adductis labiis cum petiis applicetur.

X. *Si puerpera infantem ſuum lactare haud velit, vel haud poſſit*, tum mammæ foveantur *decocto herb. menthæ, anethi*, &c, vel folia contuſa imponantur tepida.

Ante omnia verò hic proſpiciendum, *ut lochia bene fluant*, ne copiâ ſanguinis cum chylo copioſiori, ad mammas delatâ, hæ turgeſcendo dolores inducant, *hunc in finem diligenter danda ſunt clyſteres*, ut lochia eorum calore & fotu ſemper fluxiles ſint, & bene fluant.

Vel *ne lac in mammis morâ ſuâ, coagulum ſuſcipiat*, &tum ſubſiſtendo in ulcera degenerat, Mammis applicandum eſt *Empl. Diachylon*, vel

℞. *Gummi Galbani cum aceto ſol.* ℥ ß.
Sperm. Ceti ℥ j.
Ceræ albæ ℥ ij.
Oleum ſambuc. q. ſ.
Fiat ex a. Emplaſtrum.

Puerpera verò interea *à potu nimio abſtineat, & dorſo applicari curet cucurbitulas.*

De Puerperarum Morbis & Symptomatibus.

I. Alvi Durities.

SI Puerperæ accidit, primis ſaltem diebus, hoc incommodum, ſi moleſtias creet, tollatur *ſuppoſitoriis lenioribus, ex lardo, vel ſapone albo factis.* Et ſi quatuor vel quinque præterierunt dies, fiant *Clyſteres ex malva, parietaria, Chamomilla, Sem. lini, cum oleo comm. vel amygd d.* Si tamen non ſufficiunt, *exhibeatur laxans aliquod ex Rhabarb. Manna, Pulpa Paſſul. min. Caſſia* &c. modo reſpectus habeatur, ne primis diebus hoc tentetur, quoniam, ſi diarrhæa inde excitaretur, puerpera periclitari poſſet.

II. Alvi Fluxus *five* Diarrhœa.

SI Puerperam moleſtat, præcipuè primis diebus periculo non caret, & monſtri aliquid deliteſcit. Cum etiam *medicamenta, quæ fluxum talem alvi ſiſtunt, etiam lochia ſiſtere poſſunt*, hinc fluxum hunc ſtatim obſtruentibus ſiſtere, periculoſum eſt. Si tamen poſt primos dies puerperii puerpera fluxum talem bene tolerat, neque vires inde dejiciuntur, *negotium naturæ eſt relinquendum*, & fluxus permittendus, *donec lochiorum fluxus ſubſiſtit.*

Et licet alvi fluxus talis, puerperam admodum incommodet, tamen ſi rectè fluunt lochia, bonis ſaltem alimentis *ex oryza, amygdalis &c.* ægra ſuſtinenda eſt, donec alter fluxuum ſponte ceſſat.

Si verò lochia haud ritè fluunt, vel omnino ſupprimuntur, tum *alvi fluxus non eſt ſupprimendus*, ſed humoribus, *Rhabarbaro*, vel ſimili evacuatis, & adſtringentibus externè adhibitis, menſes moventia exhibenda ſunt, *aliquando verò alvi fluxus talis ſupplet lochiorum fluxum imminutum.*

Ubi verò lochia nunc tempus ſuum abſolverunt, & haud amplius fluunt, fluxus verò alvi continuat, tum exhibeantur ea quæ ad diarrhœas alias ſiſtendas, & internè & externè adhiberi ſolent.

III. Dolores post Partum.

C*Um plura dolorum infimi ventris dentur genera, hinc dolores* illi, qui puerperas post partum infestare solent, *non sunt confundendi*, cum illis qui vel à flatibus, vel extra uterum ad hypochondria usque &c. se extendere solent, ut in colica vel humorosa, vel convulsiva, aut nephritica &c.

Dolores namq; hi, qui post partum sæpe, non solum aliquod horis, sed diebus aliquot puerperas excruciant, *non aliter se habent, ac si conatus pariendi, adhuc post partum etiam editum continuarent*, & alter fœtus esset adhuc excludendus, atque se ferè habent in utero, ut tenesmus in intestino recto.

Causæ doloris hujus plures esse possunt, etenim *vel aër frigidus admissus, vel sanguis grumosus, & coagulatus, aut sanguis acrimonia singulari peccans, illum excitant*; his quippe causis, natura ad expellendum insurgit, & dolores excitat; præcipuè, *quoniam viis post partum rursus clausis*, sanguinis grumi haud ita liberè expelli amplius possunt.

Atque sic dolores hi in ipso excitantur utero, & ut veri dolores partus se habent, atque sunt quasi dolores partus continuati.

Tolluntur autem mediis, quæ id quod uterum molestat & irritat, ad evacuandum, aptum reddunt: sive sit sanguis grumosus, vel à lochiis retentis relictus, aut à particula secundinæ remanente.

Ne verò doloribus his, puerperæ fiant obnoxiæ, statim eis post partum propinetur, *jusculum calidum gallinæ vel carnis cum cinamomo & croco aromatisatum* aut detur *Oleum amygd. dulc. cum syrupo cort. aurantiorum.* Ubi

Ubi verò dolores jam aggrediuntur puerperam, *dentur ſæpe Clyſteres carminativi & emollientes. In aëre* præterea *ſervetur calido*, & *potus ſit calidus*, venter verò foveatur *decocto, ex Herb. meliſſ. arthemiſ. marrubii, pulegii, Flor. chamomillæ, Meliloti, Bacc. Lauri, ſem. aniſi, fœnic. carvi* &c. *in vino facto* &c.

Venter etiam poteſt inungi *Oleo anethi, chamomillæ, menthæ, juniperi, carvi, ſuccini* &c.

Internè propinetur ſeq.

℞. *Aq. Cinamomi* ℥iiij.
R. *ſuccini* ʒij.
Syrupi cinamomi ʒiij.
M. detur ſæpius cochleare.

Vel ℞. 🜄 *cinamomi.*
Zedoar. aniſ. aa ℥ij.
Eſſ. cort. aurant.
ſuccini aa ʒjß.
Syr. cort. aurant. ℥ß.
M. detur cochleatim.

Si omnia hæc deſunt, tum locum eorum optimè ſupplet, *Juſculum gallinæ, cum flor. chamomillæ, & arthemiſia, decoctum.*

Nonnullas verò puerperas, egregiè levatas vidi *Potu aquæ frigidæ*, ſtatim poſt partum editum, propinato, præſervandi gratia; cujus tamen ſuaſor ipſe rarò, vel nunquam ſum.

IV. Febris Continua & Lactea Puerperarum.

FEbres, quibus puerperæ prehendi solent, plerumque sunt continuæ. Præ omnibus tamen aliis *ordinaria ferè esse solet Febris Lactea dicta, quæ circa tertium vel quartum diem accidere solet*, quando lac in mammis copiosius generari incipit; Cum tamen ex ephemeris sit, atque post triduum vel quatriduum, circa diem scil. nonum, sudore solvi soleat, hinc periculo vacat, modò puerperæ bonam diætam observent, *nec aëre frigido admisso sudorem impediant*, ne lac copiosius affluens in mammis coaguletur, & Febris inde symptomatica excitetur.

Reliquæ Febres continuæ, vel à lochiorum imminuto fluxu aut suppressione, vel ab humorum vitio, tempore gestationis cumulato, dependent; in hac tamen febre, à vitiosa humorum dispositione licet dependente, lochia tamen plerumque ritè se habere solent. *Quæ verò à lochiorum suppressione provenit, periculosa admodum est*, & mortem minatur, si tamen fluxus alvi supervenit, licet nigra & fœtida rejiciantur, melius tamen est, & plerumque evadere solent.

Et licet Febres aliæ continuæ ex vitiosa humorum textura enatæ, aliàs periculo non vacent, *in puerperis tamen periculosiores esse solent*, quoniam vires ex laboribus partus, sunt sæpius admodum dejectæ, & natura ab opere suo facile distrahitur, & lochiorum fluxus turbatur.

Curationem Febris lacteæ quod concernit, *hæc natura*

tura

turæ est committenda, & saltem opera danda, ut sudores, quibus hæc Febris solet terminari, nullo modo impediantur, & ægra bonâ diætâ regatur.

A Lochiorum verò suppressione si dependet Febris continua, tum omni labore imminutus, vel suppressus lochiorum fluxus restituatur, vel venæ sectione in pede instituta defectus suppleatur.

Ubi verò ab humorum dispositione depravata Febris ortum trahit, tum ab initio negotium naturæ committatur, & videatur, an lochiorum fluxus sufficiens sit, Febri finem ponere, & si Febris etiam inde mitescere videtur, saltem bona diæta regatur puerpera, nullis medicamentis aliis exhibitis.

Febrium ergo acutarum cura, in puerperis absolvitur in genere, Lochiorum debito fluxu, vel si non satis fluunt *provocatione*, aut substitutâ *Venæ sectione in pede*.

Si tamen satis copiosè fluunt lochia, totum negotium naturæ committere tutissimum est, *modo vitentur omnia frigida & acida*.

V. Lactis Abundantia.

NOn rarò lac in mammis adeò abundat, ut etiam absque ſuctione ſpontè effluat, vel ex turgeſcentia mammæ doleant.

In cauſa eſt chylus ad mammarum glandulas patentiores copiosè delatus & receptus, unde aliquando accidit, ut debilis infans tantam quantitatem exſugere haud queat.

Tunc verò maximas contrahit incommoditates & dolores, præcipuè ſi mater infantem lactare amplius haud velit, unde tum mammæ intumeſcunt, & dolentes evadunt, vel inflammatione, aut lactis concretione infeſtantur.

Hinc ſi infans lac omne exſugere haud poteſt, *bonum eſt, ſi portio ſuperflua effluit.*

Infanti verò lactis hæc abundantia incommoda fit, dum non ſolum corpulentiores inde evadere ſolent, ſed & lac tantâ copiâ facile in infantum ſtomacho corrumpitur, atque convulſionibus occaſio datur.

Lactis ergo copioſior proventus, quem infans ſugere haud poteſt, optimè inhibetur, *lactis generationem impedientibus*, id quod commodiſſimè præſtat *Diæta tenuis*, quæ parum alimenti ſuppeditat, qualis eſt illa, quæ ex oleribus, *potu aquæ, vel cereviſiæ tenuioris* &c. conſtat, motu verò & exercitio corporis validiore &c. adjuvatur, adhibita ſimul *ſanguinis Venæ ſectione, vel cucurbitulis ſacrificatis &c.*

Porrò Lactis generationem prohibere, dicuntur *mentha, petroſelinum, coriandrum, cicuta*, poſt ablactatos infantes mammis impoſita, non ſolum ad lac diſſipandum, ſed & ejus concretionem inhibendam.

Si tamen metus ſit, ne mammæ, ob nimium lactis

afflu-

affluxum inflammentur, fiat *Cataplasma*, paulisper repellens ex *Fol. lactucæ, nymphææ, sempervivi, papaveris* &c.

Vel ℞. *Thereb. cum aq. menthæ lotæ* ℥iij. *Sem. cumini pulv. Menthæ, Rad. ireos* aa ʒij. *Croci* ℈j. *Ceræ* q.s.

Ut fiat ceratum molle mammis applicandum.

Crocus & cuminum collo appensa, ut mammas contingant lac absumere creduntur.

Ab initio verò dum lac in mammis colligi incipit, *tertio vel quarto puerperii die, mammæ sæpe adeo turgere incipiunt, ut infans papillam apprehendere haud queat*, & periculum adest, ne mammæ inde inflammentur; vel ex stagnatione diuturniori, lac in mammis coaguletur, vel corrumpatur, hoc in casu, aliis nihil juvantibus, mammis applicetur *Empl. Diachylon.* vel *de sperm. ceti, & ore fœminæ alicujus, vel infantis validioris, mammæ exsugantur per intervalla leniter.*

Ubi verò puerpera infantem lactare haud vult, tum alii suadent; ut abstineatur à suctione & media supra dicta, ad lac minuendum applicentur, & quidem statim ante lactis affluxum, & dum mammæ nondum adeo turgent. Securius tamen est, si ex lacte copiosè affluente Febris lactea incipit, ut detur ad sudorem eliciendum, bona dosis Rob Sambuci, & sacculus flor. sambuci repletus, & calidus mammis imponatur, vel ad inflammationem arcendam Rob. sambuci cum Theriaca, & parum spir. vini, camph. corio inductum applicetur. Internè etiam potest dari ☿ Diaph. cum C. C. phil. pr. & ⊖ e card. ben. vel ⊖ e vol. C. C. &c. Si tamen hæc tam citò haud medentur, *melius est, ut lac exsugatur & hoc sæpius, donec sic sensim turgescentia mitigatur*; sive infantem lactare vel non lactare velit mater.

VI. Lactis Coagulatio & inde dependens Exulceratio.

SI Mammæ tument cum dolore, *atq; hinc inde tubercula dura tactu percipiuntur, signum est lac copiosum in mammis abiisse in coagulum*, & nisi hoc cito tollitur, & inflammatio sistitur, tum in ulcus sensim degenerat lac coagulatum, maximis cum doloribus, & incommoditatibus, quibus puerperæ sæpe admodum longo tempore excruciantur.

Ne autem lac copiosum generetur, vel si copia lactis adest, ne concrescat, præcedenti titulo doctum fuit. *Sed si concretio nunc facta est, quomodo hæc dissolvatur rursus*, hic labor, hoc opus.

Ante omnia foveantur mammæ *Decocto parato, ex Fol. abrotani, anethi, fœniculi, flor. chamæmeli, meliloti, sem. lini, fœnugræci, cumini, croco, myrrha, thure*, &c.

Propinentur etiam sudorifera volatilia, & post sudorem integræ mammæ imponatur *Empl. de Galb. crocat. M. cum ãa. Gummi ammon.* & desuper ponatur *sacculus milio, vel Fl. Sambuci repletus, calidus.* Si verò his intra 2. vel 3. dies coagulum haud dissolvitur, & inflammatio cum rubore & sensu pulsatorio supervenit, tum frustraneus erit discutiendi conatus, hinc præter sudorifera internè adhibita, mammis applicetur *Empl. Diachylon cum gummis.* Vel fiat *ex farina avenæ* cum Aqua crassior puls, addito *Sale* & *Ol. lauri* in fine; puls hæc quam calidè applicetur induratis mammis. Vel

℞. *Rad. Lilior. alb.*
Cæparum an. q. l. v. g. ℥iij.

Co-

Coquantur cum aqua, & in pultem redigantur, cui adde

Farin. Sem. lini ℥ij.
Croci ʒij.
Fæcum cerevis. cochl. aliquot.

Hæc mixta calidè mammis applicentur ad suppurationem usque.

VII. La-

VII. Lactis Defectus.

D*Efectum Lactis quod concernit*, causæ ejus variæ & diversæ esse possunt; *Potissima est chyli laudabilis defectus.* Et hujus causæ sæpe sunt, *jejunia* quibus gravidæ vel puerperæ affliguntur, dum ciborum fastidio laborant, & parum cibi, eumque sæpe non bene nutrientem assumunt.

Vel morbi alii, defectus hujus causa existunt, vel si sunt extenuatæ & ubi sudores nimii, vel *alvi fluores diuturni aut lochia nimis fluentia, vel hæmorrhagiæ aliæ:* item curæ, vigiliæ, mœror, terror, aut labores nimii, chylosam sive lacteam sanguinis substantiam absumunt, vel generari haud permittunt; vel & chylum crassum, glandulis mammarum, & harum tubulis penetrandis ineptum generari faciunt.

Item si mammarum glandulæ, cum suis tubulis non sunt patentes satis à natura, vel obstructionibus à scirrho, callo, vel cicatricibus post ulcera, angustæ & minus patentes redditæ.

Fœminis verò nonnullis à primo ortu hoc vitium accidit, ut insito quodam vitio à natura omni lacte destituantur.

Aliis verò accidit, *dum vel virgines vel fœminæ pulchritudini studentes*, ne mammæ nimis augeantur, *remedia adstringentia & refrigerantia illis applicant*, atque vias & ductus glandularum lactearum obstruunt, vel angustiores reddunt.

Non raro tamen accidit, *ut, si infans debilis existit, haud sufficiens sit attractio*, ut lac attrahi queat; unde etsi lactis sufficiens copia ab initio adesse possit, tamen ex *defectu suctionis, imminuitur rursus.*

Etsi

Etſi vel à natura, aut morboſa diſpoſitione lac deeſt, mammæ flaccidæ, & minus turgentes id patefaciunt ſæpe.

Damnum tamen quod ex defectu hoc reſultat, in infantem potiſſimum redundat, quoniam ex defectu alimenti plorat, vigilat, & marceſcit, & ſic ſenſim perit.

Si tamen ex depravata nutricis vel matris diſpoſitione ortum trahit, quæ tam cito tolli nequit, *tum à lactatione deſiſtat mater, & nutrix alia quæratur.*

Vel ſi vitium tantum non eſt, illud tollatur, & lactatio interea continuetur.

Ad Defectum autem lactis tollendum, & ut lac copioſius generetur, *tam alimenta, quam medicamenta* in uſum ſunt trahenda.

Alimenta ſint boni & multi ſucci, ac facilis diſſolutionis, hinc optima ſunt *juſcula conſummata* è ſuccis carnium, & vitellis ovorum parata.

Admodum etiam conducunt Lacticinia, imprimis *Lac cum Floribus Sambuci decoctum* & ſæpius propinatum, item *Pultes ex Oryza, hordeo, vitellis ovorum, amygdalis, pineis, piſtaciis, &c.* paratæ item *ciceres, lentes* &c.

Panis ſit recens, & bene fermentatus, ac cum parum fœniculi, vel ſem. ammi admixti, coctus.

Potus ſit vinum bonum, non acidum vel auſterum; Aut cereviſia bene defecata, non tenuis nimis, & quidem, ſi haberi poteſt, triticea; vel fiat *Ptiſana cum fœniculo, aniſo* &c.

Inſuper vitentur omnia fortiora animi pathemata, ira, mœror, terror, vigiliæ nimiæ &c.

Medicamenta hic præ aliis laudata, & lac generantia ſunt *Folia, radices, & ſemen fœniculi, viridia*

ad

adhuc & recentia, in Aqua, lacte, vel vino decocta, atque diligenter de die bibita, nec non *radices petroselini, anethum, anisum* &c. Commendantur porrò *lumbrici terrestres*, vino albo & succo fœniculi prius loti & siccati in furno, ac pulv. & à ℈j. ad ʒij. diebus aliquot, mane exhibiti.

Crystallus etiam præparata, item Lac Lunæ ad ʒj. propinata, pro specificis habentur.

Vel. ℞. *Lumbricor. terr. præp.* ℥ß.
Fol. vel rad. fœnic. rec. ʒvj.
Hordei p. ij.

Coquantur in brodio carnis, & colatura detur.

Vel ℞. Uberis vaccæ lactantis q. l. conscindatur tessellatim, & in furno siccetur, ac pulverisetur; tum

℞. *Hujus pulveris* ℔ß.
Sem. anisi.
Fœnic. āā. ℥j.
Cymini ℥ij.
Sachari. ℥iiij.

M. Fiat pulvis qui sæpius detur.

℞. *Rad. Buglofs.*
Liquir. āā. ℥ß.
Herb. scolopendr. m. j.
Fl. amaranth. purp. ℥ß.
Calendul. m. ß.
Sem. anisi.
Fœnic. āā. ℥ß.
Lactuc. ʒij.
C. C. usti ℥ß.

Incisa omnia dentur & coquantur in aquæ pluv. mens. ij. ad casum 6. digitorum, & decoctum detur sæpius de die ad ℥vj.

℞. *Amygd.*

℞. *Amygd. dulc. excort.* ℥j.
Pinear. Pistac. ana. ℥iij.
Dactylorum ℥ß.
Sem. 4. frig. maj. excort. ana. ℈ij.
Rad. cicher. condit. ʒij.
Lumbric. terr. pl.
Cristallor. pr.
Lact. Lunæ. ana. ʒj.
Sachari. ℥vj.

Fiant S. a. Morselli, de quibus sæpius de die sumatur.

Externè ad vasa aperienda, applicetur fotus calidus, *ex decocto fœnic. apii, menthæ* &c.

Et adhibeantur *sinapismi*, qui tamen non diu, & vix per horæ quadrantem in mammis sunt relinquendi, sed per intervalla potius, & sæpius sunt reiterandi, Mammæ etiam frequenter & molliter fricentur cum pannis asperis.

VIII. Lo-

VIII. Lochiorum Defectus.

Dum in partu secundina ab utero separatur, effluere incipit ex dilaceratis vasis sanguivehis, copiosus sanguis Lochiorum nomine insignitus. Isque in sana muliere, sincerus, floridus, & optimi coloris & consistentiæ; in valetudinariis, & cacochymicis, aquosus vel alio modo malè constitutus.

Durat verò fluxus hic in aliis longius, in aliis autem cessat citius, & quidem *quantitatis ratione vel plus vel minus*; Parcius verò fluit in lactantibus, vel quibus antea parcius fluere solent menses.

In nonnullis fluxus hic durat, tribus vel quatuor diebus, in aliis diutius, ad diem usque octavum, nonum, vel ulterius; illæ verò mulieres quæ otio vitam terunt, diutius, & copiosius purgari solent.

Dantur verò puerperæ, quibus lochia satis parcè fluunt, sed absque damno, *modò ab initio partus, copiosè fluxerint*, vel levi diarrhæa fluxus hic compensetur, non primis diebus, sed circa septimum demum, superveniente: *Primis namque diebus melior est alvus sicca*, rite interim fluentibus lochiis, *quam si diarrhæa se jungit*, quæ ut plurimum funestum exitum denunciat.

Si verò imminuitur fluxus hic præter nat. vel supprimitur planè & subsequuntur *rigor & æstus febrilis, dolor, tumor, & durities abdominis cephalalgia, anhelitus difficilis* &c. tunc non cunctandum, sed statim succurrendum.

In

In causa sunt aër frigidus admissus, vel & tristitia, mœror; & alia pathemata, sanguinis stagnationi in utero occasionem ministrantia.

Cum vero mensium suppressio sæpe graviorum Symptomatum sit causa, multò deterior est ejus evacuationis suppressio, quæ post partum accidit.

In tempore ergò huic malo succurratur. *Et si lochia non sufficienter fluere videntur*, tum cucurbitulæ applicentur suris vel interiori femorum parti; Si verò planè supprimuntur, *tum statim venæ sectio instituatur in pede.* Deinde dentur menses pellentia, ex quibus *myrrha, crocus, succinum, zedoaria* &c. & ex his parata medicamenta, tam in substantia, quam in essentiis, optima sunt.

℞. *Borrac. Ven.* ℈ij.
Myrrha. gr. xv.
Croci. gr. vj. M. & detur pro 2. dosibus.

Aliquando *decoctum Flor. chamomillæ, & parum cort. aurant.* cum aqua, vel jusculo factum, optimum est. Vel

℞. *Zedoar. pulv.* ʒß.
☍ *rorismar. dest.* gtt. iij.
M. Detur pro dosi, experiment. D. Sim. Pauli. Vel

℞. *Borrac. Venet.* ℈j.
Zedoar. pulv. ℈ß.
Myrrha. el. gr. vij.
Croci gr. vj. M. detur pro dosi.

Optimi usus & effectus etiam est *Elix. aperitivum CLAUDERI.* Sic & *oculi cancri cum aceto*, sanguinem coagulatum optimè resolvunt.

Si verò ſuppreſſio lochiorum Febrem ardentem cauſatur.

℞. *Aq. card. ben.* ℥v.
Prophylact. Sylv. ℥i.
Tr. Bez. absque acido ʒij.
Eſt. myrrhæ ʒj. M. pro duabus doſibus.

Externè in ſacculo ad ventrem applicentur pro fotu in lacte coctæ ſpecies ſequentes:

℞. *Rad. Angel. Leviſtici* āā. ℥j. *Herb. Arthemiſ. menthæ, matricar. pulegii Flor. chamomill. Meliloti* āā. m. ij. *Bacc. lauri* ℥ij. *Sem. aniſi.* ℥ß. Inciſa dentur, & duobus ſacculis incluſa ac in lacte cocta, & expreſſa, alternatim ventri applicentur quam calide, poſtquam venter prius *oleo cheiri, ſuccini, juniperi* &c. invicem mixtis, probe inunctus fuit.

Clyſteres etiam emollientes & laxantes, vel ex modo dictis ſpeciebus pro fotu, parati, applicentur aut diebus aliquot à partu præterlapſis detur *Rhabarbarinum aliquod, aut aliud laxans.*

IX. Lo-

IX. Lochiorum Fluxus nimius.

IN conſiderationem tunc venire debet, quando vires inde proſternuntur. *Dantur enim puerperæ, quibus etiam ſecundum naturam lochia copioſius fluere ſolent*, absque detrimento; cum ideoque copia hujus ſanguinis fluxus in genere non ita facilè definiri queat, hinc vires ſint norma, & ille ſanguinis fluxus pro nimio habendus, qui vires dejicit.

Aliquando autem fluxus hujus nimii cauſa eſt, *ſanguinis copia*, intra tot menſium ſpatium retenta & collecta. Nonnunquam tamen *tenuitas & acrimonia ſanguinis*, cauſam ſuſtinent, unde vaſa nimium aperiuntur & ſtimulantur.

Quid ſecundinæ violenter avulſæ, vel & abortus hic valeant, ſupra dictum.

Hinc ſi ſanguis effluit grumoſus, cum torminibus ventris vel hypochondriorum, pulſu debili & frequenti, obſcuratione viſus, tinnitu aurium & vires adeò dejiciuntur, ut animi deliquia, vel convulſiones immineant, tunc fluxum eſſe nimium, & periculoſum experientia docuit. Hinc puerperarum talium diligens habeatur ratio, ne dum dormire videntur, morte opprimantur.

In Curatione cautè procedatur, ne nimis ſubitò, fluxus qui nimius apparet, ſiſtatur, *cum definita ſanguinis evacuandi quantitas, haud ita facilè definiri queat*; Et, ne, ſi is ſanguis qui evacuari adhuc debet, in utero retinetur, inflammationes, vel alia mala, inde excitentur.

Si ergo fluxus non supra modum nimius esse videtur, *diæta saltem conveniente* moderetur; & viæ roborentur. Hinc cibi sint incrassantes *ex oryza, milio, jusculis pedum vituli carne lassa*, pro appetitu moderata.

Potus sit *decoctum C. Cervi cum mastiche factum*; vel vino asuetis concedatur *vinum rubrum adstringens*, aquâ ferratâ, *in qua mastix ebulliit*, dilutum.

Ubi verò fluxus hic planè nimius est, & vires dejicit; tunc, si vel à mola, vel à secundina retenta, aut sanguinis grumis dependet, obstacula hæc manu obstetricis ex arte eximantur.

Si verò nimia sanguinis tenuitas aut acrimonia eundem fovet impetum, tum si vires concedunt *vena secetur in brachio*, ita tamen ut vena mox digito occludatur, mox relaxetur, ut sic per vices sanguis effluat, neque vires dejiciantur.

Prætereà *puerpera sit quieta*, & medicamenta adhibeantur quæ sanguinis ebullitiones sistunt, ex quibus præ aliis excellit *Tinct. antiphthisica* dicta; Alii multum tribuunt Conservæ Lysimachiæ siliq. Vel

℞. *Spec. de gemm. frig.* ʒij.
Boli armen. margarit. pr.
Lapid. hæmatit.
Ocul. 69. pr aa. ℈j.
M. & detur dosi. ʒß.

℞. *Conserv. Rosar. antiq.* ℥ij.
Rad. consol. maj. pl. ʒij.
Alumnis ℈ß.
T. *antiphthis.* ʒiij.
M. dentur aliquot cuspides cultelli.

℞. *Aq.*

℞. *Aq. Plantag.*
Papav. err. aa. ℥ij.
Aceti fl. tunica. ℥j.
Corall. r. pr. ʒj.
Extr. opii gr. iij.
Syr. corallor. ℥ß.
M. detur sæpius cochleare unum aut alterum.
℞. *Aq. Fol. quercus.* ℔j.
Conserv. Rosar. ℥ij.
Coquantur invicem & decocto colato adde
℞. *Antiphthis.* ʒiij.
Syr. Myrtini. ℥j. M. dentur sæpius aliquot cochlearia.
℞. *Sem. 4 frig. maj.*
Papav. albi. aa. ʒj.
Amygd. d. ℥ß.
Decocti hordei. ℔ß.
Aq. Plantag.
Fol. quercus aa. ℥ij.
Fiat emulsio cui addantur Syrupi corall. ℥ iß

Acetum Theriacale, temporibus, pulsibus, ac plantis pedum applicetur.

Et uteri regio illinatur *Ung. Comitissæ*, vel aliis oleis adstringentibus.

Atque *suffitus* utero excipiatur, *ex thure, mastiche, rosis rubr. ungula equi.* &c.

X. Papillarum Fissuræ.

SUnt *frequentissimum lactantium malum*, unde tanto sæpè dolore cruciantur, ut suctionem vix, vel plane non ferre queant.

In causa sæpe est *fortior infantis suctio*; aliquando tamen *acrimonia serosa lactis* hûc multum tribuit.

Ne verò malum degeneret in ulcera prava, & puerperam ad lactationem ineptam reddat, hinc *præservatio tentetur ultimis gestationis mensibus*, papillis applicando calices è pura cera instar cupularum glandium formatas tantæ magnitudinis, ut papillas comprehendant; in singulos verò calices infundatur *resina abietis*, antequam papillis apponuntur; & ne decidant, linteo ad id parato retineantur: Et si resina absumta est, infundatur alia.

Si verò fissuræ nunc factæ sunt, illinantur papillæ *oleo ceræ, vel ovorum, cum aceto saturnisato & dulcificato* in ung. nutritum redacta; vel cum calice cereo applicetur oleum, aut

℞. ℴℴ *mastichini.*
Ceræ.
Hyperici aa. ℥j.
Boli armen.
Tutiæ. pr. aa. ℥ß.
Sachari ♄. gr. xv.
Ceræ virg. q. s. ut fiant unguentum.

Hoc

Hoc unguento parum liquefacto, diligenter inungantur papillæ, si verò infans sugere debet, *oleo amygd. d.* ungentum detergatur, & post suctionem statim rursus inungantur papillæ.

Vel ex commendatione *Cl. Muys in suo Podalirio.*

℞. *Mucilag. sem. cydon.* ℥ß.
Sachari ♄. ℈ß.
Tutiæ. pr. ℈j. M. & applicetur.

HEIDE in suis experimentis commendat; *Solutionem vitrioli albi*, ut hâc sæpius illinantur papillæ, sic mox siccentur fissuræ & claudentur. Vel

℞. *Sem. cydon.*
Psyllii aa. ʒj
Gummi tragac. ℈ß.

Cum *aquâ vel succô plantag.* extrahatur mucilago, cui adde *Medullæ cruris cervi*, *olei ovor.* aa. ℈j. & *ceræ parum*, ut fiat linimentum, quod diligenter applicetur cum calice vel pileolo cereo, aut plumbeo, ne linteamina unguentum detergant, & adhærendo dolores pariant.

In primiparis non rarò papillæ ita delitescunt, & latent, ut ab infante apprehendi & sugi haud queant, hinc applicetur *vitrum suctorium*, & postea ubi sese paulisper exserunt, sugendæ præbeantur vel catellis, vel alteri fortiter sugenti infanti, vel adulto.

Vel sume vitrum, non admodum latam circumferentiam oris habens, impleatur aquâ fervente, sed cito rursus, vitro calefacto, aqua effundatur, & os vitri calentis admoveatur papillæ, atque optimè extrahentur & elongentur papillæ; & simul

lactis non contemnenda quantitas in vitro colligetur.

Aliquando inveniuntur subjecta, quibus papillarum meatus desunt, vel à prima conformatione, aut ubi post exulcerationes callo obdurati meatus extant; hoc in casu nil efficiendum.

Si verò meatus, etsi angustiores, adsint, tamen crebra suctione, patentiores sensim redduntur.

XI. Urinæ Incontinentia.

NOn rarò accidit, quando in partu difficili, *vesicæ sphincter* forti compressione *læditur*, *vel planè dilaceratur*.

Illo in casu fiat *Balneum ex Fol. salviæ, beton. rorismar. puleg. origani, lauri* &c.

Vel fiat *fotus ex herb. & flor. calendulæ, equiset.* &c. cum spongia calidè applicando.

Et puerperæ ter vel quater de die præbeatur *Olei mastichini cocti*, cochleare unum cum jusculo.

Si vesicæ sphincter dilaceratus existit, tunc urina continuò vaginam uteri irrigando, dolore & ardore atque fœtore se prodit,

Diebus verò aliquot puerperii elapsis, ex dilacerato sphinctere vesicæ, *calx & arena exeunt*, id quod quatuordecim diebus, vel pluribus, cum ardore & dolore ita continuare solet, donec tandem dilacerata ora sphincteris, callo obdurescunt; & quoniam hæc tunc non amplius coalescunt, malum fit incurabile & incontinentia urinæ per vitam continuat, nisi callus ille dilaceratæ rimæ aufertur, & mediante sutura ora contrahuntur, & consolidantur.

Ab initio verò dilacerationis puerpera talis intra tres dies vel urinam planè non, vel cum dolore vix reddere potest; Deinde verò per se præter voluntatem effluere solet, non quidem per vesicæ orificium, sed per dilacerata sphincteris ora, & vaginam uteri; nisi dum ægra vel sedet vel jacet, ubi urina retinetur, donec surgit & ambulat; intereà

verò temporis ubi urina retinetur, ardor in sphin-
ctere admodum intenditur, & calcis insignis quantitas sæpe intra noctem ibi generatur & concrescit, id quod certum signum hujus dilacerationis est.

Ut malum hoc tollatur, *callus dilacerati sphincteris auferatur prius*, tunc per suturam adducantur ora, & eis consolidantia vulneraria applicentur.

℞. ℅ *Mastichini cocti.* ℥j.
Succi equiseti.
Crassulæ. maj.
Fol. quercus aa. ℥ß.
Sarcocollæ ʒij.
Olibani. ʒj.

Coquantur ad consumtionem succorum, Colaturæ adde *Balsami Peruviani, & momordicæ*, aa. ʒij. M. Vel

℞. *Balsami momordicæ,*
Sarcotici Prævotii aa. ʒij.
℅ *è vitell. ovor.* ℥ß. M.

Ad ardorem & dolorem in sinu muliebri demulcendum.

℞. *Sem. cydon. psillii* aa. ℥ß.
Tragacanthi ʒiß.
Sem. aquileg. ʒj.
Aq. rosar. ℥j.
Plantag.
Fol. quercus aa. ℥ß. M. fiat inde mucilago, cui adde:
Olei Mastichini.
Amygd. dulc, aa. ℥ß.
E vitell. ovor. ʒvj.

Aceti

Aceti dulcificati. ℥iij.
Tutiæ. pr. ʒij.
Pompholigis. ʒj.
M. & applicetur.

Ad excoriationes tam vaginæ uteri, quam pudendarum externarum, ſiccandas & conſolidandas,

℞. *Olei roſar.* ℥iij.
lini ℥j.
Aceti ex Saturno dulcificati. ℥ij.
Ceruſſæ ℥j.
Tutiæ ʒiij.
Sachari Saturni ʒ iß. M.

Internè ſimul diligenti in uſu ſint *decocta, vel ilia vulneraria*; Præter *Balnea ex adſtringentibus & vulnerariis*, v. gr. *rad. ſymphiti, Biſtort. Cort. rad. acatiar. Herb. equiſeti, Flor. hyperici, Fol. quercus* &c. parata.

XII. Ute-

XII. Uteri vel Vaginæ Uteri Procidentia.

PLerumque accidere ſolet vel *ex partu difficili*, dum fœtus grandior eſt, *vel ex frequentiori partu*, ubi forti vel ſæpius reiterato partu, tunica rugoſa cervicis uteri a ſua connexione quaſi excoriatur, & detruditur.

Ipſius uteri procidentiam fieri poſſe, plures negant, rationibus, tam ab ipſa uteri connexione quam à caſus raritate inducti: Si tamen caſus tam ab antiquitate quam & à noſtri ævi practicis conſignatos legimus, credibile eſt & ipſius, ut dictum uteri prolapſum, etſi raro, accidere tamen poſſe: Vulgo autem vaginam uteri prolabendo moleſtias graves inducere certum eſt; & cum malum hoc, etſi per ſe haud lethale exiſtat, tamen fœminis in deambulando non ſolum moleſtum, ſed & in partu, difficilem hunc reddendo, periculoſum, imo viro in congreſſu non ſolum impedimento, ſed & nauſeoſum ſit, hinc quovis modo tentetur ejus repoſitio, & ut repoſitus retineatur omnes vires impendantur.

Impedimentis vero remotis, veſica nimirum evacuatâ, & excrementis induratis, ſi adſunt, clyſtere eductis; *Ægra collocetur in lecto ſupina*, & coxi elevatis, poplitibusque reflexis, ac capite, quantum fieri poteſt, cum ſcapulis vel corpore ſuperiore demiſſo, manibus apprehendatur è vagina propendens corpus tumidum, & ſenſim introrſum adigatur: Si verò repoſitio talis manu ita fieri difficulter queat, fiat inſtrumentum ligneum ſive peſſa-

riu

ius amplitudini vaginæ ferè respondens, hic te-
ui linteo circumdetur & oleo adstringente perfu-
us, ad uterum reponendum applicetur; Ali-
uando ipsa ægra hanc repositionem propriis ma-
ibus leviter præstat.

Si verò prolapsa vaginæ pars jam inflammata
xistit, tunc huic prius medela quæratur, & inflam-
natione sedatâ demum repositio instituatur, vel
i ab aëre frigido admodum intumuit, tum fovea-
ur *decocto Herb. malv. althea, Fl. chamomillæ, me-
iloti, verbasci, balaust. sem. lini, fœnugræci, Bacc.
auri* &c. Dehinc inungatur *oleo lilior. alb. & pin-
uedine gallinæ*; & repositio tentetur.

Si Fotus requiritur magis adstringens,

℞. *Fol. quercus*
Myrti
Millefolii
rubi
arthemis.
Flor. Balaust.
rosar. r. aa. mj.
Cort. granat.
Cupul. gland.
Nucum cupressi,
Sem. Sumach. aa. ℥ß.

Coquantur in *aquæ chalyb. & vini rubri* aa. p. æq.
ro fomentatione.

Dehinc corpus propendens & reponendum
onspergatur pulvere adstringente hoc, vel simili,
. g.

℞. *Mastichis*
Thuris, aa. ʒj.
Sarcocollæ lacte nutrit. ʒß.

Mu-

Mumia.
Balaustior.
Sang. Dracon. aa. ℈j. M. Fiat pulvis.

Postquam verò Uterus fuit repositus, ut in suo loco retineatur, mulier in lecto jaceat reclinata cruribus ita situatis, ut unum alteri incumbat. Tum verò *in illo situ maneat diebus novem vel ultra.*

Ac cura adhibeatur ne alvus vel nimis adstricta vel laxa nimis fiat.

Si tamen omni tali curâ adhibitâ, vagina prolapsa retineri haud queat, fiat *pessarius ex ligno, quoniam aliis magis durabilis existit*, inque medio orbiculatim sit perforatus, ut humores perfluere queant; Talis verò pessus, utero prius in suum locum restituto, vaginæ immittatur, parte acuminatâ præmissâ, ita ut medium foraminis respondeat orificio uteri.

Figura verò pessariorum vel rotunda sit, vel ovata aut triquetra, oblonga tamen & intus excavata; extrema verò ora orbis, haud crassiora sint caule olorino, in medio verò propè foramen quadruplo ferè tenuiora, foris duorum digitorum latitudine gaudeant, & in acutum desinant; Interna verò cavitas & profunditas, cum exteriori figura conveniat, probe etiam sint politi & lævigati, sine ulla scabritie, ne lædant. Aptetur etiam eis filum ut extrahi suo tempore rursus queant, quod tamen rarius fieri debet, vel cum viro se jungere cupit uxor. Sunt tamen quæ relicto pessario cum viro coëunt absque impedimento.

Illinantur verò *oleo mastichino, myrtino, cydoniorum*, & conspergantur pulvere modo præscripto adstringente, & immittantur.

Lo-

Loco talismodi pessarii lignei, potest etiam fieri Emplastrum durius, ex ung. Comitissæ, vel alio adstringente, *cum pice, sarcocolla, bdellio, galbano* &c. ex quo formetur pessarius eâ figurâ, quæ uteri collum sive vaginam impleat, & fundum attingat.

Præterea lumborum & renum regio inungatur, *ung. Comitissæ*, tunc verò imponatur *Empl. contra rupturam, aut magneticum arsenicale.*

Ubi verò vagina uteri laxa redditur ab humoribus vitiosis, tùm purgantibus convenientibus illi removeantur, & in usu ordinario sit *decoctum Chinæ, sarsaparillæ* &c.

Ut pessariorum ulterius fiat mentio, poterunt illi commodè & cum singulari effectu obduci cerato hoc, vel simili:

℞. *Radic. consol. maj.*
Fl. Balaustior.
Rosar. rubr.
Myrtillorum aa. ℥j.
Mastichis.
Olibani aa. ʒß.
Ceræ novæ ʒiij.
Colophon.
Gummi elemi aa. ʒj.
Therebinth. ʒß.

Omnia cum *olei rosacei* s. q. diligenter miscendo fiat ceratum solidius.

Cum verò Vaginæ Uteri prolapsus, *si parturiens hoc laborat, maxima obstacula afferre, & partum difficilem reddere queat*, hinc si obstetrix hoc novit, vel si tactu id percipit, statim prolapsam vaginam retroagat, vel inter dolores partus, manibus

tam-

tamdiu ſuſtentum ſervet, usque dum parturiens tam fœtum, quam ſecundinam fuit enixa. Quo facto repoſitio inſtituatur, puerperâ capite demiſſo in lecto collocatâ, adhibeanturque fomenta adſtringentia, exiccantia & confortantia, ut vagina ſucceſſu temporis in ſuo loco iterum confirmetur. Si plicæ vaginæ uteri ſunt omnino explanatæ, tum curet reponens, ne ſibi ipſi plicas tales explanatas ſuperimponat.

De

De Infantum recens natorum Regimine, Educatione, & Morbis.

I.

POstquam in lucem fuit editus infans, tum obstetrix illum molli calidoque linteo involutum sinui suo, paulisper recondat; *& secundinam excernendam observet.* Si verò hæc tàm citò sequi haud velit, obstetrix *trium vel quatuor digitorum latitudine à ventre infantis funem umbilicalem*, nec nimis durè, nec nimis laxè, duplicato vel triplicato *forti filo liget*, & sex circiter digitorum latitudine ab illa ligatura illum forfice resecet; ac infantis partem umbilici relictam, linteo molli butyro recenti illito involvat.

Hoc facto infantem à fune umbilicali separatum, alteri fœminæ adstanti paulisper tradat, & secundinæ excernendæ curam habeat; quâ nunc egressâ, prius puerperæ assistat, eam lecto debitè committendo.

Quo facto ulterius infantis curam gerat, *& ubique inspiciat, & exploret, an omnes partes corporis se legitimè habeant, neque nævis* partes hinc inde notatæ extent; quo in casu obstetrix *secundinâ calidâ nævos probe fricet*; Si verò hoc modo haud cedunt, *sæpius illinantur succo ex viridibus corticibus nucum juglandium expresso*, sic cutis nigrescet, & sensim separatur. Si nævi empyreumatici genas vel frontem defœdant, optimum effectum præstat *linctus*

ctus matris si nævos tales versus collum, vel alium locum, ubi minus conspici possunt, diligenter linguendo propellit.

Tunc adornetur Balneatio ex aqua moderatè calida, & parum vini remixtâ, ut hâc sordes vel mucus cutis, ubique abluatur: nonnullæ obstetrices Balneo herbas nonnullas incoquere præcipiunt. Vel & *Balneo aliquid saponis addunt*; bono cum effectu.

Si tamen mucus adeò viscidus existit, ut simplici balneo vix separari & ablui queat, *tum fricetur cutis butyro recenti vel oleo amygd. d.* ac tum vino calido abluatur, & detergatur. Retro aures ponantur lintea mollia, *ac artus legitimè situati, debitè involvantur fasciis*, ne curvi evadant, vel & eorum motu parvuli terreantur.

Balneatio verò talis, primâ septimanâ quotidie, secundâ autem, alternis vel tertiis diebus instituatur, donec cutis nitida evadit; *sed caveatur ne nimis calidè laventur*, & cuticula mollis quasi aduratur, ac rubescat nimium; quæ causa esse potest coloris cutis nigricantis.

Balneum etiam quod ad lavandum infantem adhibetur, non coquatur, quoniam ex opinione, cutem asperam reddere creditur, sed species, utpote *malva, melissa, lavendula, furfur tritici* &c. Sacculo inditæ, per noctem aquæ infusa relinquantur, manè verò leviter incalescant, & ad lavandum infantem infusum calidum adhibeatur. Post balneum verò optimè detergatur infans, & à frigore arceatur.

II. *Ali-*

II. *Aliquando infans partu difficili exclusus adeò debilis existit, ut vix respiret*, vel ejulatione vires vitales prodat; hoc in casu ei instillentur guttulæ nonnullæ *aquæ vitæ mulierum, vel vini malvatici, aut vini sacharati*; & garyophylli aromatici masticati odore anheletur &c.

Si tamen hisce mediis non excitatur, *nuchæ instilletur una vel altera guttula ex cerea vel sebacea candela accensa*, & licet vesicula inde excitetur, non nocebit, sed effectus efficacior erit; vel & à convulsionibus præservabit.

Probè etiam observetur apertura cranii, ne duriter tractetur, & incurvetur aut deprimatur; aliâs enim si cranium incurvum coalescit, etsi epilepsiam haud inducat, tamen hominem reddit stupidum, & per vitam male loquentem, & audientem.

III. *Porrò obstetrix indaget, an linguæ frænum nimis adstrictam teneat linguam, ut ægrè sugat*, quo observato, frœnum vel ungue, aut si opus lancetta debitè separetur; *anum etiam inspiciat*, num perforata extet &c.

IV. Cum etiam fœtus in utero plerumque *recrementa quædam nigricantia meconium dicta*, collecta habeat, hinc illa ne turbas excitent, vel torminibus occasionem addant, &c. *statim primis horis post partum removeantur*; antequam aliud aliquid, vel lac vel pulticula fuit data. Vulgus hunc in finem exhibet *oleum recens amygd. dulc. vel solum, vel cum syrupo de manna, aut cum sacchar mixtum.*

Cl. Ettmüller admodum laudat, *syrupum de spina cervina cum melle confectum*, & cum *oculis cancri remixtum*: Vel

℞. *Syrupi de cich. cum Rh.*
Pulpæ Passul. min. aa. ℥ij.
Ocul. 69. pr. ℈ß. M. & detur. Vel

℞. *Pulpæ Passul. min.*
Mannæ elect.
Sachari penid. aa. ℥ß.
Sperm. ceti. ʒß.
☍ *Amygd. dulc.* ʒvj.
Anisi gtt. vij.
Julepi violar. ℥j. M. & propinetur aliquoties cochleare dimidium.

Alii, ut acescentia futuro lactis suctui nociva absorbeatur, vel præcaveatur, primis tribus diebus exhibent grana aliquot *Pulveris Marchionis.*

V. Postquam hæc ita peracta sunt, *de cibo infantis cogitandum*; quem ut plurimum lac matris suppeditat; sed cum plures puerperæ non statim primis horis lac in mammis contineant, hinc infantes sæpe intra viginti quatuor horas carere oportet, id quod etiam fuerunt; Nonnullos tamen citius fames monet, id quod palam fit, si linguam vel immissum ori digitum sugit, & plorat.

Alimentum ergò primum & optimum, & quidem primis mensibus, lac sit, idque toties quoties illud postulat infans, singulis nimirum duabus vel tribus horis, nisi dormiat: *Multum verò dormire eis optimum est in lactando verò hoc observet nutrix, ut ei modò dextram, modò sinistram mammam porrigat;*

gat; Præcipuè si infanti nunc manus à fasciis solutæ & liberæ permittuntur, *id quod post quatuor menses circiter permitti potest*.

Post menses aliquot etiam *pulmenta possunt concedi & porrigi*, quæ etsi vulgò ex farina optima triticea fieri soleant, tamen meliora illa sunt, quæ *ex medulla panis albi triticei*, cum lacte aquâ parantur.

Non statim verò post datum pulmentum, mamma præbeatur, sed per horam circiter à lacte arceatur infans, ne vomitu id rursus rejiciat &c.

Hæc verò Diæta ad dentitionem usque observetur. Lac ipsum quod concernit, *nullum infanti magis conveniens est, quam maternum*; utpote quod ex eodem sanguine fuit generatum, à quo infans in utero formatus & nutritus est; magna namque differentia est inter lac nutricis peregrinæ, & lac matris respectu infantis; *Nullius enim nutricis lac tantam habet convenientiam cum humoribus infantis, quam lac maternum*, modo laudabiliter sit constitutum.

Atque hac ex causa omninò reprehendendæ sunt matres, quando alienis nutricibus infantes suos nutriendos tradunt, dum ipsæ nutrire commodè possunt, & *ex mente Scipionis Africani* ea magis mater judicanda, quæ etsi infantem haud peperit, per annum verò vel ultra nutrivit, quam illa, quæ infantem peperit, sed postea dereliquit.

VI. *Quoniam autem matres sæpè admodum debiles, vel morbosâ dispositione præditæ existunt*, talem verò depravatam dispositionem infantes nunc à matre hauserunt, hinc matris lacte vitioso, non augenda est illa dispositio, *sed lacte nutricis sanæ in melius reducenda & corrigenda erit.*

De primo matris lacte, sive colostro, Autores diversi sunt; Dum *alii hoc rejiciunt, alii verò infanti recens nato optimum esse dicunt*; exinde quod alvum infantis subducat & laxet modo sana sit mater.

Si autem eligenda est nutrix, eligatur sana, boni corporis habitus, bene morata non salax, aut ebriosa, nec iracunda, sed tranquilli animi, ætatis vegetæ, ab anno vigesimo, ad trigesimum usque, quæ ultra decimum mensem nondum lactavit; mammas etiam mediocres, neque laxas aut pendulas, sed bene formatas, item papillas elegantes habeat, quas infans bene capere potest, &c.

VII. *Lac etiam sit optimâ constitutione præditum, nec nimis crassum, nec tenuè nimis:* id quod cognoscitur, si lac ungi, vel vitro plano instillatum, nec statim nimis defluit, nec reclinato vitro, diutius hæret; Prætereà lac sit boni coloris albi nimirum lactei, non amarum salsum aut acre, sed dulce & gratum; ac suavi & boni odoris.

Lac verò nimis tenue aut serosum minus nutrit; atque eo infantes emaciantur, vel in Diarrhæas incidunt: & si acrimonia concurrit, facile scabiem aut pustulas in corpore excitat.

Hoc lactis vitium corrigendum venit conveniente Diæta ex cibis siccantibus constante, carnes potius sint assæ quam elixæ, hinc juscula exulent, in diligenti verò usu sint *oryza, amygdalæ* &c. Si tamen ad hoc vitium corrigendum insufficiens est Diæta, superflua serositas evacuetur debito purgante, *vel & sudores provocentur* medicamentis convenientibus, ut superfluæ humiditates in corpore absumantur, vel in lecto aut laconico.

Ubi verò lac nimis crassum est, id quod in ventriculo facile coagulatur, ac plura incommoda secum trahit; tum nutrix utatur cibis boni succi & facilis coctionis, quales sunt *carnes pullorum, vitulina, hædina* &c. Si tamen hæc non sufficiunt, in usum simul veniant medicamenta attenuantia &c.

VIII. *Reliqua Lactis vitia, vel ipsum lac, aut nutrix, vel & infans patefaciunt.*

Sic *color lactis vitiosus patefit*, quando linteum candidissimum in eo immergitur, & in umbra siccatur, tum si lac est biliosum linteum flavescit, si melancholicum nigricante colore præditum extat. *A nutrice lactis vitium dependere* denotat ejus depravata, morbosa, cachectica, aut cacochymica constitutio, præcipuè *si prægnans, imò etiam nutrix vino adusto multum asueverit*, utpote quo noxio potu infantes manent debiles, nec debitam staturam acquirunt, vel morbosi evadunt. Ut plurimum etiam *defectus lactis in nutrice, quem celant* in causa est, quod infantes extenuentur, & morbosi eveniant ac pereant; id quod probè investigandum est. *Infantem autem lacte vitioso nutriri* demonstrant tormina ventris, diarrhææ, aphtæ in ore, vigiliæ, convulsiones &c.

Hæc verò vitia optimè emendat bona victus ratio, *hinc abstineat nutrix ab omnibus quæ lac vitiosum generare apta sunt*, qualia sunt cibi pravi succi, nimis saliti, & acrimonia præditi; *Prætereà excutiant animi motus vehementiores, præsertim ira*, Venus nimia &c. Si autem Diæta lactis vitia hæc haud satis emendat, tum depravata talis & vitiosa dispositio convenientibus remediis tollatur. Et si purgans necessarium esse videtur, *tum eo tempore*,

quo nutrix purgatur, infanti mamma non porrigatur, nisi simul unâ operâ ipsum infantem purgare necessum sit.

IX. *Diætam infantis à dentitione, usque ad ablactationem quod concernit* : Hæc sensim paulò solidori cibo constet; cum enim dentibus carentes, tales masticare haud poterant, nunc postquam dentes eruperunt, eis legumina cocta, vel & parum carnis optimè coctæ & semimasticatæ aliquando concedi potest: Intereà tamen lac non denegetur, sed caveatur *ne tali alimenti incipiente miscela, acetosi aut austeri quid,* unde lac in ventriculo coagulari queat, exhibeatur.

X. Et, si infans jam firmior sensim fit, ac repere, vel ambulare incipit, *prospiciatur, ne nimis maturè pedibus incedere permittatur,* unde crura adhuc mollia facilè curva, infansque varus vel valgus evadere potest.

Si tamen pedibus jam firmiter inniti incipit, à nutrice, fasciâ molli cingulo annexâ, semipendulus ducendus est.

Et ut sic sensim solus ambulationi assuescat, *curriculo parvo, cum quo ambulare, nec tamen cadere potest, includatur:* Donec tandem solus ambulare assuescit; ubi tamen non solus relinquendus est, cum aliquando vix fieri possit, quin sæpe cadat: Propterea *caput muniatur pileolo in circulum formato,* qui prohibet, ne inter cadendum caput fortiter impingat.

Cum etiam hâc ætate infantes sinistra manu sæpe agiliores fieri consuescant, hinc fasciatione manus sinistræ id præcavendum, dextra manu interim li-

bera relicta, ut ea, frequentiore usu, agilior fiat.

XI. *Tandem quod ablactandi tempus attinet*, hoc, licet non in omnibus idem sit, cum dentur vegetiores qui debilioribus citius ablactari possunt, *tamen in genere infans à lacte non est removendus, nisi perfectum habeat dentium numerum*, cum ob eorum defectum masticare nondum queat; unde, si cibus masticatione in ore haud præparatur, etiam in ventriculo nulla conveniens dissolutio aut coctio peragi potest.

Si tamen mater, vel nutrix haud bene valet, vel prægnans existit, tum citius aliquando quam aliàs fieri debuisset, ablactatio est instituenda; & vel alia nutrix quærenda; Post nonum vel decimum mensem, tamen alius conveniens potus & cibus exhiberi & ablactatio satis commodè institui potest. Melius tamen alii esse credunt, paulò diutius infantes lacte nutrire, quam nimis citò ablactare; cum partes corporis, convenienti hoc alimento roboratæ, posteà per omnes ætates, talismodi alimenti benigni beneficium persentiscant.

XII. Quocunque verò tempore infans ablactatur, *non statim alienus cibus offeratur, sed adhuc inter lactandum assuescat edere juscula gallinarum, carnis bubulæ* &c. Et si tempus ablactationis appropinquat, etiam legumina, ac carnes boni succi, à matre vel nutrice semimansæ dentur.

Ablactatio verò commodius vere & autumno, quàm æstate & hyeme, item potius crescente quàm decrescente lunâ, instituitur.

XIII. Licet autem infans nunc ablactatus sit debito suo tempore, dentibus nimirum præditus, tamen|, *cum vires adhucdum non sufficiant talem cibum & potum digerere, qualem magis adulti ferunt,* hinc illorum Diæta ad septennium usque ab adultorum illa differat, quoniam illi Diætæ errores non adeò ferunt ac adulti;

Cibus tamen istâ ætate sæpius porrigendus est, & tantum quantum non solum ad nutriendum, sed & ad augendum corpus requiritur. Jejunium namque hæc ætas minimè ferit, & inter infantes tales illi præcipuè, qui sunt bonæ constitutionis, & vivacioribus Spiritibus gaudent.

Dum verò copiosiore alimento utuntur, oportet ut motus aliquis accedat, hinc ludi concedantur, & tales quidem, quales anni ferunt; *minimè verò in otio sunt educandi*, quoniam inde non tantum alimenta malè digeruntur & distribuuntur, sed & Spiritus obruuntur & torpescunt.

In Diæta verò tali post ablactationem *vitentur saccharata & melle confecta*, quoniam hæc in imbecilli tali corpore facile acescunt, unde infinita postmodum infantilia mala occasionem nanciscuntur; nec medicamentis subinde necessariis sunt addenda saccharum aut mel, quoniam malitiam morbi sæpe nutriunt & augent.

Nec vinum infanti pro ordinario potu concedendum, quoniam hoc ejus humores exasperantur, & ad nutritionem inepti redduntur, infantesque inde facile extenuantur.

Cibus ergò & potus simplicissimus sit, nec ex contrariantibus constet, prout sunt lac & vinum vel acetum. Hæc verò cum plures adulti haud ferant,

rant, quid non detrimenti ſunt allatura teneri adhuc infanti, debilioribus adhuc Spiritibus prædito!

Matres verò huc reſpiciant, & in ſpecie *non concedant, ut cibos absque pane comedere aſueſcant infantes*; quoniam ſic debiles evadunt, palleſcunt, vel vermibus facile replentur.

Cir-

Circa Educationem Infantis porrò obſerventur monita ſequentia.

I.

ANte omnia arceantur à frigore, ſi enim vel in facie, aut manibus & pedibus in tenera ætate læduntur, raró obtinebunt cutem lacteam, ſed ſqualidam aut ſubfuſco-rubicundam, in ſpecie fœminino generi exoſam.

II. *Certæ horæ illis porrò deſtinentutr, quibus cibantur, & quibus excitantur aut elevantur rurſus.*

Cum verò *quies* omnium optimum ſit *infantum pabulum & confortans*, hinc caveatur, ne à debita ſua quiete arceantur, vel in ſomno turbentur, aut citius quam debent exſuſcitentur.

Omnia verò impedimenta removeantur, quæ quovis modo eorum quietem turbare poſſunt; etenim ſi nimis calidè teguntur, & pedes denudatos habent, non benè dormiunt. Sic nec illi ſemper benè dormiunt, quibus caput altius locatur. Et ſi caput humilius locatur reliquo corpore, fortius quidem dormiunt, ſed ſenſus inde facilè obnubilantur. In omnibus ergò his moderamen ſit.

III. Dantur tamen aliæ ſæpè *cauſæ antipatheticæ ſive ſympatheticæ, quibus infantes inquietantur*, ſic ſi faſciæ à meridie ſoli exponuntur, vel veſperi poſt occaſum ſolis diu in aëre relinquuntur, tum verò infans his involvitur, quiete ordinaria privari dicuntur. Vel

Vel si parvuli eum in locum portantur, per quem vesperi pecora, diurno labore lassata, stabulum repetunt, quies illis adimitur.

Et eundem effectum inducere creduntur fasciæ, vel cunearum stramen, si comburuntur &c.

Sed effectus hi per magnetismum sunt explicandi, & ex magia naturali deducendi.

Inde porrò est quod *secundina negligenter habita* vel in sterquilinium defossa, puerperam valetudinariam, vel per vitam decoloratam faciat. Sic secundinam, *quando nimio sale conditur*, puerperam sitibundam reddere, experientia testatur.

Et hoc ex fundamento, *parturiens non pariet*, si eo in loco collocatur, *ubi multos etiam ante annos cadaver hominis demortui stetit, aut in quo exspiravit:* Hinc moris est in nonnullis locis, parturientem illuc locare, ubi mensa solitò locum obtinet, quoniam ibi mortuis raro locus conceditur.

Vel, si congressus primus conjugalis fit in lecto, cui aliquid straminis, vel linteorum inest, quibus cadaver humanum anteà fuit impositum, tum conjuges illi vel erunt steriles, aut raro infantes servabunt.

Quantum etiam valeat ad virilitatem tollendam, *acus*, quâ olim cadaver humanum compunctum fuit, *in illo loco defixa*, ubi maritus urinam reddidit, illi demonstrant, qui hanc materiam ex professo tractant.

Quod porrò infantum quietem concernit, nonnulli à natura sunt quieti, nec multum plorant, alii è contra sunt clamosi & sordidi.

IV. *Arceantur etiam infantes à fortiori motu corporis, unde insomnia oriuntur inquietantia vel ter-*

re-

refacientia, prout hoc obſervatur ſæpè, ſi parvuli crebrius præter modum ſaltando exercentur, aut riſu nimio fatigantur vel terrefacientia eis objiciuntur, tum hoc noctu illos inquietat, juniores tamen magis quam adultos. Propterea etiam *non terreantur inſolitis clamoribus, ſonitu gravi, aut doloribus repentinis*, ne convulſionibus tententur &c.

Matres hunc in finem pro præſervatione à noxa terroris infantis collo appendunt *corallia rubra, lapidem carneolum, aut ſemen pœoniæ*; Sed hæc antecedit *Electrum minerale immaturum*, ab *HELMONTE* tantopere laudatum, & ab immundo Spiritu liberando efficax.

Prætereà *non multum titillentur infantes*, quoniam hoc loquelam difficilem reddit. Nimium verò ſaltando facile artus luxantur.

Non etiam fortioribus palpis, infantis os, cum hoc ludendo, *percutiant*, quoniam inde difficulter dentiunt, & difficilius loqui diſcunt.

Et ſi à tergo fortioribus verberibus tractantur, facilè balbi fiunt, aut ſi capite molliuſculo fortiter impingunt, non raró muti & ſurdi evadunt.

Hinc ſi corrigendi, & pœnis afficiendi ſunt, hoc virga fiat, quæ eſt benedicta illa medicina à Deo creatâ, quâ inobedientia, contumacia, pertinacia, &c. ex fundamento curantur.

Cum ratione tamen caſtigandi ſunt pueri, & aſuefaciendi, *ut diſcant compeſcere iram, & cedere ac obedire ſuperioribus.* Et hoc ad ſanitatem conſervandam admodum conducit, *ſi enim homines in ſua juventute non aſueſcunt compeſcere ſuas cupidines*, tum maximis ſæpe ægritudinibus fiunt obnoxii. *Nec major cauſa eſt*, quâ ad tantam eclipſin ratio-

nis

nis *Maniaci* delabuntur, *quam Pertinacitas*, dum ſuorum motuum animi non ſunt Domini.

Hoc obſervamus etiam in infantibus & adultis, ubi pertinaces ſemper graviùs ægrotant, quam mites & patientes. *Si autem poſt virgam infantes plorando quaſi ſingultiunt*, tum hoc pertinacitatis plerumque ſignum eſt, hinc non deſiſtendum, ſed virga tam diu danda eſt, donec ſingultus mentitus remittit. Et ſi quaſi ſuffocari velle videntur, virgâ aliquoties in faciem cædantur, ſic ad ſe redeunt, caveantur tamen oculi.

Ancillis interim prohibendum, *ne cum infantibus rixas inſtituant*, & hi inde ex conſuetudine iracundi & rixoſi evadant, non ſecus ac canes juniores, qui mordaces fiunt, ſi eis ſæpius aures vellicantur, & ad iram commoventur.

Si tamen infantes præter conſuetudinem inſolitè vagiunt & plorant, tunc in cauſam inquiratur, & hæc removeatur.

Quod medicationem infantum concernit, illi ſenſim medicaminibus ſunt aſuefaciendi, ne averſionem ab illis concipiant, & dum ægrotant, tum difficilius tractari queant.

Mor-

Morbos Infantum in genere quod concernit,

CL. *Harris asserere non veretur eos gradu saltem differre.* Hinc curationem eorum longè esse tutiorem, & faciliorem, quàm adultorum asserit.

Prout enim ætas senilis, alterationem in melius difficillimè sustinet, ob partium solidarum siccitatem & duritiem, *sic mollities juvenilis*, & mucilaginosa earundem teneritudo, *omnibus alterationibus recipiendis, plus apta existit.*

Senex namque in omnibus istis partibus siccus est, quibus infans adhuc succulentus & humidus existit, *imò ipsa ejus ossa potius cartilaginea sunt*, unde & temperamentum eorum omnium humidissimum est statuendum.

Hâc verò ex causa facile innotescit, *morbos infantiles ab una eademq; causa produci*, neque non nisi nomine, vel partium ratione esse diversos, prout nimirum vel Ventriculus, Hepar, Lien, Intestina, Pulmones &c. aut Nervi male se habent.

Id quod & *Hippocrates libro de flatibus* confirmat, quando ait, Morborum omnium unus & idem modus est, locus verò ipse eorum differentiam facit, quare morbi quidem nil simile habere videntur, propter diversitatem loci, quum tamen sit una morborum omnium species, & eadem causa.

Sic videmus *humores infantum, in nullam aliam putredinem degenerare, quam in acescentem*, id quod & symptomata demonstrant, *quæ singula acido*, tanquam parenti legitimo, ortum suum debent,

prout

prout fœces acidum redolentes, vel & ructus acidi hoc obiter] demonstrant, &c.

Hisce accensemus eorum *sanguinis tonum adhuc debilem, ejusdemq; texturam nimis infirmam, in quibus spiritus nondum eo prædominii venerunt*, ut munia sua ritè obire, vel humorum motus irregulares, vel ab externis, aut internis causis suscitatos, vi propria componere queant; unde & est, quod circulantes eorundem humores, antequam ad debitam crasin exaltantur, *musti instar, in acorem præternaturalem facillime degenerant*, ex lacte adhuc constantes, artis tamen ope haud ita difficulter in ordinem rursus reducibiles: quò minor tamen est infans male se habens, eò facilior est ejus morbi eliminatio; quoniam *alteratio facilius perficitur in humido, quam in sicco*, in molli, quam in duro, sive bona sit, sive mala: Unde etiam est, quod, etsi facillimè in morbos dilabantur infantes, tamen facile rursus restituuntur, nisi imperitè tractentur.

Morborum tamen infantilium cognitio, certius ab assidentium muliercularum, vel nutricum relatione, quam vel à pulsu, aut ab urinæ inspectione, haberi potest: *His namq; innotescit*, si nausea vel vomitu exercentur, aut lac vel cibum coagulatum rejiciunt; aut importuni vagitus, vigiliæ, inquietudo, tormina ventris, singultus, ructus acidi, vel tussis eos excruciant; Porrò, an sedes justò sint pauciores, & quo colore sint præditæ, an albicantes, viridescentes, &c. vel quàm diu his laborarint. Porrò eis innotescit, an siti præternaturali molestentur; aut Febre detineantur, vel aphtis affligantur; item an insultus Epilepticos, aut convulsivos graviores vel leniores, diuturniores, aut breviores, repetitos

vel rariores fuerunt passi: An Dentitionis adsit tempus, an tumor abdominis, vel alterius partis, an exanthemata, aut pustulæ, vel color ictericus, aut inflammatorius, aut aliud alicujus momenti, se prodit.

Pulsus puerorum, licet is naturaliter, vel levissima ex causa sit creberrimus, ut semper quasi febricitare videantur, tamen prognosis utplurimum solet esse fallax, quoniam tot aliæ dantur causæ, quæ eorum pulsum accelerare, vel immutare possunt. Sic & infantes ægrè carpum, ad pulsum tangendum sustinent.

Urina infantum, ordinariè est crassa, adeò, ut si nescius eam inspicit, eos malè se habere credat.

Hinc, ut infantum depravata, vel laudabilis dispositio eò meliùs eruatur, *Parentum dispositio inquirenda venit, qua tunc gaudebant, cum conceptio fiebat*: Inde enim omnes *morbi hæreditarii*, utpote arthritis, Podagra, Calculus, Phthisis, Epilepsia &c. originem suam ducunt, à seminali namque contagio diathesis morbifica fœtui sæpè adeò infigitur, ut vix ulla arte inposterum removeri amplius queat, *Et inde est, quod integræ familiæ, sæpe eodem morbi genere assimiantur & trucidentur.*

Frequentior verò labis, pueros ab ortu inficientis causa, videtur esse illa, quæ à matre, fœtui in utero affricatur. Cum enim prægnantes sæpe in victu non solum millies peccare soleant, sed & aliis casibus fortuitis sint expositæ, quibus vel terrefactæ vel alio modô læsæ, tales injurias indelebiles fœtui communicant; hinc facile concludendum erit, quid dispositio prægnantis depravata contribuere possit, *in specie si affectioni hystericæ obnoxia est prægnans;*

gnans; si absurdis desideriis urgetur, ubi vel carbones, carnes, vel pisces crudos &c. appetit, vel imaginationibus variis affligitur, unde fœtui varii generis maculas imprimit &c.

Post dispositionem modò dictam morbosam, à matre gravida, oriundam, *porrò aliæ dantur causæ, quibus morbi infantiles* potissimùm superstruuntur.

Prima est Frigus susceptum, & quidem ab aëre vespertino, aëris namque mutabilitas, & continua, mox caloris, mox frigoris vicissitudo, tenerrimis corporibus inimica omninò est, & affectibus febrilibus viam sternit, nisi vestimentis calidis, vel fasciis idoneis frigus arcetur.

Secunda, à Lacte matris vel nutricis, haud ritè constituto, derivanda venit; Cum enim infantum corpora, continuò fluida esse oporteat, ut ductus tenuissimi, chylo transferendo destinati, haud obstruantur, hinc lac nec nimis crassum, aut alio modo ad obstructiones generandas idoneum esse debet.

Et si nutrix vino, vel liquoribus aliis spirituosis, dedita est, tum lactenti facilè calor pr. nat. transmittitur. Si etiam, durante lactatione, viri amplexus lasciviores sæpius admittit, tum lac facile corrumpitur vel acescit; *Præcipuè si mater aut nutrix hystericis passionibus aliàs est obnoxia*, ubi spiritus rectores in confusionem acti, ad lactis acescentiam facile ansam addunt.

Cujus tamen indolis sit illud acidum, non adeò manifestè constat, sufficit generaliter nosse, acidum illud, à quo omnes morbi infantiles occasionem sumunt, sub digestione generari; Hinc, quæ medicamenta ad acidum corrigendum, vel absor-

bendum destinata sunt; tenera infantum corpuscula admodum erigunt.

Duabus tamen intentionibus innititur acidi praternaturalis tractatio.

Primò, ut præparetur vel ita disponatur, ut eò melius eliminari è corpore queat.

Secundò, ut ritè præparatum evacuationibus convenientibus expurgetur.

Præparatio verò non aggrediatur corpus tenellum excalefacientibus, sed temperatis absorbentibus & acidum destruentibus aut corrigentibus, qualia sunt, *Oculi & chelæ cancrorum, testæ concharum, corallia, mater perlarum, margaritæ, lapis Bezoar uterq;* C.C. *Phil. pr. Rasura* C.C. *Unicornu fossile, terra sigillata, corallina,* & alii varii ex his compositi pulveres, modò dosi liberaliori, & sufficienti exhibeantur.

Dehinc ad eliminandum acidum præparatum, in usum veniant leniter purgantia, v. g. infanti unius anni exhibeatur sequens:

℞. *Syr. de cichor. cum Rhab.* ℥ij.
Rhabarb. el. pl. gr. xv.
▽ *cinamom.* gtt. xxx.
M. pro dosi. Vel
℞. *Jalapp. pulv.*
C.C. Phil. pr. aa gr. iij.
Crem. ♀i gr. iiij.
M. detur pro dosi.

De

De Infantum Morbis in Specie.

De Achoribus.

ACHORES, *Crusta lactea*, sive *Lactumina*, & *favus*, vulgò sunt ulcera quæ infantibus lactationis tempore, in facie, vel circa ejus confinia oriuntur. *Nonnulli tamen Crustam lacteam, ab achoribus distinctam esse volunt*, in eò, quod crusta lactea lactantibus saltem accidat, achores verò etiam adultioribus sint familiares.

Color horum ulcerum nunc albicat, nunc flavescit, vel nigricat, ob acrimoniam verò salsam mordacem pruritum excitat, sicque infantes ad scalpendum irritat.

Cum verò natura vitiosos humores hac methodo, è partibus interioribus ad ambitum corporis expellere soleat, & si absque causa evanescunt, infantes in febres vel alios morbos præcipitentur, hinc infantibus vulgò plus conducunt, quàm officiunt; *Hippocrates* namque suo tempore annotavit, quod infantes Epileptici, si eis ulcera in capite, aut in facie, vel reliquo corpore excitantur, ab Epilepsia liberentur.

Sanantur tamen ulcera hæc plerumq; sponte temporis successu; Si verò nimis diu durant, sæpe in tineam mutantur, unde capilli defluunt.

Et si faciem non deformant, nec oculos lædunt, relinquenda sunt. Sed si absque causa evanescunt, & infans inde malè se habet, expellentia sunt pro-

pinanda ex *card.ben. fumaria* ℞.*C.C. succin* ℞. *Bez.* &c. Nutrix verò bonam diætam obſervet, & à ſalſis, ac omnibus acrioribus cibis, cæpis nimirum, porro, raphano, leguminibus, carne ſalita &c. abſtineat.

Et cum *vitium ſemper ferè cum lacte in infantes derivetur*, & inde malum augeatur, hinc depravata talis humorum diſpoſitio, ut modò dictum *alterantibus, corrigentibus. dehinc purgantibus* tam nutrici, quam infanti datis, eſt expugnanda.

Externè verò ſi cruſta eſt admodum tenax & craſſa, fiat ſubtilis litus *ex oleo amygd. d. cum oleo* ♀*i*, quo blandè illinatur cruſta; dehinc ſi cruſta eſt remota, & ſanies linteo. *Aq. ſperm. ran.* humectato, abſterſa, inſpergatur ſequens pulvis, v.g.

℞. *Lapid. calamin. pulv.* ℥ j.
Flor. ſulfuris ℈ ij.
Ceruſſæ ʒ ß.
Salis ♀*i* gr. xv. M. Vel

℞. *Ung. de ceruſſa camphorati* ℥ ß.
Sulfuris ♁ ʒ ß.
⊖*is* ♀*i* ℈ ß

Plus minus, prout acrius expetitur, ac eo ſcabies citius exareſcere dicitur. Vel

℞. *Ung. albi camphorati* ℥ j ß. *Sachari* ♄*ni*, *Sulf.* ♁*ii*, *Cinerum tabaci* aa ʒ ij. ☿ *dulcis* ℈ ij. ℞ *camphoræ* ʒ ß. M.

Cl. *Wedelius* his in caſibus admodum laudat, *Viperarum pinguedinem*, & teſtatur, ſe elephanticam faciei ſcabiem; cum oculis rubicundis, inflatis, & purulentis, manus item furfuribus horridas, ac ſicca uvidaque uligine ſcorbutica infectas, aliquoties curaſſe.

De

De Alvo adstricta.

NOn minus sæpe infantes, ac adulti, adstricta alvo incommodari solent, vel à lactis vitio, aut aliis viscidis vel crassis fœcibus, vel à cibis crassis, viscidis & adstringentibus à nutrice comestis, aut defectu bilis aut potus &c. generatis.

Et licet adstricta alvus sæpe à natura, plures haud incommodare soleat, quin satis sani degant; tamen *tutius semper est in infantibus magis laxa, quam suppressa alvus*, cum hi non facile torminibus affligi soleant, ac illi quibus adstrictior alvus est; insuper rarum est, ut infans cui alvus adstrictior est, tam sanus sit, ac ille, cui laxior magis existit.

In curatione respectus habeatur causæ à qua alvus adstringi solet; Sed cum non semper tamdiu expectationi locus sit relinquendus, donec causæ omnes sunt sublatæ, hinc ad symptomata præcavenda, alvus maturè aperienda est, sive externis sive internis.

Inter externa adsunt suppositoria, ex melle & sale, vel lardo, sapone, &c. vel *ex stercore muris* ℥ß *& adipe hircino facta.*

Non tamen nimis frequenti horum usu, natura ad suppositoria est assuefacienda; sed clysteribus potius alvi siccitas emendetur, aut fæces viscidæ incidantur. Aut umbilico imponatur butyrum vel ♀ *amygd. d.* cum uno aut altero *colocynthidis vel scammon. grano* remixtum; vel *Unguentum Jessenii*, cum nucis juglandis testa umbilico adponatur.

Si externa hæc non sufficiunt, detur *Syrupus de manna*, vel *de cichor. cum rhabarb.* Vel

℞. *Jalapp. pulv.* gr. ij. iij vel iiij.
C.C. Phil. pr.
Crem. ♀*i.* aa gr. v.
M. pro dosi. Vel
℞. *Jalapp. pulv.* gr. iij.
Cinnab. nativ. pr. gr. v.
Anisi pulv. gr. ij.
M. detur pro dosi.

Hi pulveres possunt dari infanti trium aut quatuor dierum, nec verendum, ne nimis fortiter operentur, cum infantes tales sæpe à majori tali dosi minus incommodentur, ac adultiores.

Et si alvus adeo adstricta est, ut tormina ventris, vel colica convulsiva ipsa metuenda sit, tum infanti quatuor vel quinque dierum detur *Auri fulminantis* gr. j. *cum nitri depurati vel antimoniati granis tribus* remixtum &c. Vel
℞. *Auri fulm.* gr. ß.
Ocul. ♋ g. v.
Nitri cryst. gr. iij.
M. & detur, si verò nimis debile esse observatur, sumatur *auri fulm.* gr. j. & hæc dosis etiam infanti unius anni sufficit: adultis augetur dosis.

Ad Alvum verò laxam servandam, sæpius cum pulte detur *Mannæ electæ & recentis* ℨ j ß. vel ℨ ij. vel *olei amygd. d. recentis* cochleare unum pulti subinde addatur.

Nutrix bibat *cerevisiam, cui ficus incisa* infusa fuit. Et si dolores vel ventris tormina adsunt,
℞. *Ocul.* ♋ pr.
Cryst all. pr. aa ℈ j.
Cinnab. nat. pr. ℈ß.
Castorei pl. gr. v.

M. &

M. & de hoc pulvere sæpius de die dentur gr. 6. ad 10. 15. Vel

℞. *Olei amygd. d. rec.* ℥ j.
Sperm. ceti ℈ j.
Sem. anis. pl. gr. v.
Cinnab. nativ. pr.
Ocul. ♋. aa ℈ ß.
Castor. pl. gr. iiij.

M. detur subinde cochleare.

Optimè etiam conveniunt *Clysteres ex herbis emollientibus, vel solo oleo lini parati.* Vel *ex prunis Damascen. ac passulis fiat decoctum, quod foliis sennæ affundatur*, & de hoc infuso detur subinde cochleare unum aut alterum, optimo cum successu.

Si verò his & similibus alvus nunc laxa existit, tunc exhibeantur diebus aliquot *pulveres absorbentes*, vel saltem *Oculi* ♋. *cum sem. anisi pulv.* &c.

Alvi Fluxus sive *Diarrhœa.*

Est malum infantibus *satis familiare*, & hoc quidem *Dentitionis tempore*, ubi facile Febris se jungit, unde tunc infantes plus sugunt vel bibunt, quam par est, sed quoniam nimius talis potus digestionem perturbat, hinc sæpe corruptela talis diarrhœam excitat, vel alvum nimis laxam reddit.

Non rarò infantibus magis adultis, ob alimenti vel lactis corruptelam in stomacho, oriuntur *obstructiones glandularum, vel venarum lactearum in mesenterio*, unde eorum venter intumescit, & quoniam chylus depravatus vasa lactea transire haud potest, per alvum excernitur, ac diarrhœam constituit. *Nonnunquam acrimonia bilis* etiam in tenellis fluori alvi occasionem præbet.

An verò ex dentitione alvifluxus concitetur, patet ex signis dentitionis præsentibus, vel absentibus.

Si obstructiones glandularum mesenterii causam fovent, venter intumescit & indurescit ad tactum, artus verò extenuantur.

Et si ex ingestis nimiis, vel depravatis, aut fructibus horariis in adultis, fluor alvi concitatur, tum hoc patet, vel humores crudi, vel cibi nondum dissoluti aut concocti, sub pituitosorum albicantium forma &c. hoc sæpe patefaciunt.

Si verò ab acrimonia bilis excitatur talis diarrhœæ species, excrementa apparent flava, viridescentia, cum torminibus ventris &c.

Licet verò alvi fluxus sæpe pro valetudine sit, si Febris abest, tamen si ultra sextum vel septimum diem durat, latet anguis sub herba.

Pro-

Propterea probè observetur an infantes diarrhœam talem, absque singulari incommoditate ferunt, utpote quæ non statim sistenda est; quoniam hâc methodo, natura sæpe humores malè digestos, vel corruptos evacuat, qui si relinquerentur, pejora mala excitare possent.

Sic & diarrhœa illa, quæ sub dentitione molestat, non nocet, quoniam præservat, ne convulsionibus infestentur infantes.

Si verò fluxum alvi non benè ferunt & cibis ingestis malè se habent, ac fluxus diu durat, ita ut vires dejiciantur, & atrophia se jungat, tum omnes vires ad sistendam talem diarrhœam adhibeantûr.

In Cura tamen attendatur, num infans adhuc sugat, & an dentes erumpere incipiant, vel non.

Si enim adhuc lac sugit, cura potius ad nutricem dirigatur, & an laudabile sit lac, inquiratur. Et si vitiosum est, corrigatur, vel nutrix mutetur.

Interea tamen *si humores depravati evacuantur, non statim supprimendi sunt*, præcipuè si, uti dictum, à dentitione alvus laxa existit, quoniam sic humores vitiosi retenti pejora mala inducere possunt, hinc negotium hoc naturæ committatur, præprimis si fluxus alvi non adeò est copiosus, ac infans eum benè fert.

In hac tamen diarrhœa à dentitione subinde potest dari *pulv. Marchionis, aut Epilept. alius.*

Si verò Diarrhœa aliis ex causis adeo invaluit, ut infantes inde admodum debilitentur, *& dolore excrucientur*, tum abstergentibus præmissis, in usum veniant absorbendo adstringentia, v. g.

℞. *Uni-*

℞. *Unicorn. fossil.*
Corall. r. pr.
Smaragdi pr. aa ℈ j.
Mastichis,
Nuc. moschat. aa ℈ß.
M. & detur sæpius dosi ℈ß: vel ℈ j. &c.

Et si infans ablactatus est, *cum decocto C.C. fiat emulsio ex amygd. dulc.* quæ edulcoretur parum sachari, & propinetur.

Externè venter inungatur hoc vel simili:

℞. *Ol. mastichini,*
Myrtini aa ʒ ij.
Nucistæ ʒß.
Bals. Peruv. ℈j. M.

Desuper verò fiat *fotus ex decocto fl. rosar. rubr. verbasci, balaust. mastichis* &c. *cum vino rubro parato.* Vel imponatur ventri Empl. seq.

℞. *Empl. de Crusta panis* ℥ß.
Theriacæ ʒ j.
Boli orient. ʒß.
Bals. Peruv.
Olei nucistæ aa ℈ j.
M. fiat Empl.

Si Diarrhœa ex acescentia lactis dependet, dentur pulveres absorbentes bis vel ter de die, dehinc detur aliquod *laxans Rhabarbarinum*, & desuper rursus pulveres absorbentes exhibeantur.

Si adultioribus *diarrhœa* accidit *ex refrigeratione*; Stomacho Emplastrum modò præscriptum, vel *Spir. vini junip. mastichinus*, aut alius aromaticus applicetur.

Etsi

Et si abobstructione venarum lactearum diarrhœa dependet, quâ infantes aliquot annorum utplurimum infestari solent, propinentur aperientia, utpote ♉ diaphoret. ♂iale cum flor. macis & sem. anisi, aut detur Tinctura Vitrioli ♂ cum terra foliata tartari parata. Vel

℞. *Chalybis* pr. ʒ ij.
Ocul. ♋ pr. ʒ j.
Tartari vitriolati ℈ ij.
Nitri crystallini ℈ j ß.
Spec, arom. ros. ℈ j.
Sachari albi, pro lubitu.
M. detur sæpius cuspis cultri.

Et venter inungatur hoc linimento,

℞. *Ung. de althea comp.* ℥ j.
arthanita,
martiati aa ʒ ij.
℗ *chamomillæ* ʒ iij.
mastichini ʒ ij.
cumini ʒ ß. M.

Si diarrhœa *à putredine verminosa* dependet, huc dirigatur cura.

Si à fructibus horariis, tum statim exhibeatur *pulvis absorbens*, postero verò die detur *Rhabarbarum tostum* ad gr. 10. vel 15. cum granis aliquot *Crystalli pr.* & *Florum macis*: Aut pulvis supra præscriptus absorbendo adstringens exhibeatur.

Et si diarrhœa diutius protrahi velit, remisceatur modò præscriptis *Theriaca cœlestis* à gr. ß. ad gr. j.

Præterea semper respectus habeatur stomachi male dispositi, hinc *pulti admisceatur aliquid macis*, & adultioribns sæpius dentur guttulæ nonnullæ *Ess. cinam. macis, spir. mastich.* &c.

Viten-

Vitentur verò aër, & potus frigidi, carnes, pisces, sacharata, & similia, in usu verò sint oryza, hordeum, juscula gallinarum, cancrorum &c. cerevisiæ injiciatur crusta panis tosta, & nuce moschata affricata &c.

Si Febribus malignis jungitur diarrhœa, tum si non excedit, vitentur adstringentia & opiata, præcipuè si inflammatio subesse hariolatur.

Ubi verò modum excedere vult diarrhœa talis, exhibeantur *pulveres Bezoardici cum nitro puriss. & camphora*, & pro potu detur *decoctum C.C.* cum *rad. scorzon.* factum, calidum &c. Plura videantur sub titulo de Diarrhœa, priori in parte.

Ani

Ani Procidentia.

INfantibus facilè accidere ſolet, quoniam eorum corpora adhuc ſunt humidiora & mollia, unde *fibræ muſculi ſphincteris Ani* ſæpe ita laxantur, ut ſimul inteſtinum rectum aliqualiter procidere permittant, & hoc quidem fieri facile ſolet, ſi infantes teneſmo laborant, vel ſub induratione alvi, majorem egerendi conatum adhibent, aut diarrhœa infeſtantur, vel dorſo fortiter incidunt &c. quæ cauſæ ab adſtantibus, vel adulti infantis relatione, facile eruuntur.

Quæ tamen à nimio egerendi conatu accidit, facile tollitur, modò maturè auxilium adhibeatur. Si verò Anus diutius extra ſuum locum relinquitur, facilè ſe aſſociat tumor, vel inflammatio, & tum repoſitio fit difficilis.

Difficulter etiam reponitur, ſi alvi fluxus diuturnus adeſt; durante namque tali fluxu, in caſſum adhibentur medicamenta; niſi alvi fluxus ſiſtitur prius.

Curatio verò conſiſtit in apta repoſitione, quæ fieri debet, *linteo molli, Anum retrudendo*, & quidem infante ita ſituato, ut corpore ſuperiore cum capite deorſum, inferiore vero ventre ſurſum collocetur.

Ante repoſitionem tamen, ut eo melius maneat Anus repoſitus, *illinatur oleo roſarum*, & aſpergatur pulvere facto *ex gallis pulv. maſtiche, thure, cort. granat. C. C. uſto* &c.

Si verò Anus propendens ita intum[illegible], ut ejus repoſitio ita facile fieri haud que[illegible] *fiat* [illegible] *de[illegible]cto malvæ, althea, fl. chamomillæ* [illegible]

ſan.r.

ſar. r. &c. Vel balneo ex herbis iisdem parato inſideat.

Factâ verò repoſitione, Anus porrò foveatur ſpongia ſequenti decocto madida, v.g.

℞. *Roſar. r. Fl. balauſt. Nuc. cupreſſi, Cort. Granat. Sem. Sumach. Thuris, Maſtich.* &c. Fomentatione verò factâ.

℞. *Fl. roſar. r. Balauſt.* aa ℥j. *Myrrhæ, Thuris, Maſtichis* aa ℥ß. M. fiat pulvis qui goſſypio exceptus ano applicetur. Vel & pulveribus his ſuffiatur anus.

Et, ut eo melius maneat repoſitus, infans jaceat cruribus ita ſituatis, vel faſciis alligatis, ut procidere ita facilè haud queat.

Aphtæ

Aphtæ.

SUnt ulcuscula quæ plerumque fauces & linguam infantum occupant; *& ortum habent ex lacte in ventriculo acescente*, ex quo acrimonia talis, faucibus communicatur *per tunicam, quæ fauces invertit, œsophago & ventriculo communem.*

Solet verò ut plurimum malum hoc *infantes recens natos* infestare, *primis septem circiter diebus*, unde infantes vix sugere vel plorare possunt.

In causa aliquando solet esse lac nutricis, si hoc non dulce plane est, sed acre, vel alio vitio præditum; quod etiam in transitu partes oris tenerrimas facile exulcerare potest.

Conducit verò *raparum assatarum succus expressus, vel succus raparum in aqua coctarum*, cum parum mellis, mixtus &c. Plura tradit titulus priori in parte de Aphtis.

Asthma.

Etiam infantes non rarò molestare solet, & quidem *ex corruptela acescente & viscida in stomacho subsistente, unde nullum magis præsens remedium hic est ac vomitus institutus.*

An verò difficultas respirationis sit *ex pectore, vel stomacho*, ex catarrho & tussi, vel præsente, vel absente dijudicandum erit; licet etiam ex stomacho sæpe in infantibus tussis excitari soleat satis furibunda.

Cum verò infantibus plura medicamenta adhiberi haud possint, neque illi etiam materiam expectorare vel exspuere valeant. Hinc ut dictum vomitus provocetur. *Postea verò ad alvum laxam servandam & tussim mitigandam, detur olei amygd.d. recentis cochleare unum, cum sacharo candi, vel syrupo de cichor. cum Rh. aut Syr. capill. veneris, de hyssopo &c.* remixtum.

Optimè etiam conducit *succus raphani recentis, cum sacharo temperatus*, ingratus quidem, sed satis efficax.

Si verò raphanus in taleolas inciditur, ac sacharo largiter aspergitur, tum defluit inde liquor, qui etsi mitior sit, tamen optimus etiam est.

Au-

Aurium Affectus.

INfantibus etiam familiares esse solent, *in specie Dolor, & humidatum effluxus ex auribus.* Ex tali verò humorum effluxu subsistente, & tamen copia humiditatum præsente, non raro inflammatio excitatur, unde postmodum factâ suppuratione pus effluit.

An verò Dolor & inflammatio infantem excrucient colligitur ex eo, quando rubedo vel tumor circa aures percipitur, ac infantes admodum sunt inquieti, & dum aures contrectantur, admodum clamant & plorant.

Cum verò Dolor talis adultis intolerabilis sit, multo magis infantes excruciabit, ita ut non tantum vigiliis inde incommodentur, sed & motibus epilepticis fiant obnoxii; Imo diutiùs durante humorum talium effluxu & secretione, aurium ulceribus latius serpentibus, vel & incurabili surditate infestentur. *Curationem vide titulo de Auris Dolore, parte prima.*

Calculus Vesicæ.

FRequentius infantes excruciat, quam Calculus Renum, utpote qui senibus magis familiaris esse solet. Sic & *in pueris facilius generatur Calculus vesicæ, quam in puellis*, in quibus meatus urinarius brevior ac patentior est, proptereaque materia calculi facilius excernitur.

Cognoscitur autem in infantibus vesicæ calculus, dum urinam cum dolore emittendo plorant, eamque guttatim sæpe excernunt, vel & urinam planè reddere haud queunt. Urina verò quæ emittitur, si vel limpida instar aquæ, vel lactis, aut seri lactis instar alba existit; ac interdum aliquid sanguinis cum urina emingitur, vel & sabulum in urina apparet.

Præterea infantes *membrum virile* si magis adulti sunt, *frequenter manu tangunt & scalpunt*, ob pruritum quem percipiunt in membro; sic & virga ipsis subinde arrigitur.

Quoniam vero malum hoc in dies incrementum sumit, & hominem miserrimè excruciat, hinc *quam primum ex urinæ difficultate & aliis signis apparet, puerum ad calculum esse dispositum, statim danda est opera, ut ejus generatio ulterior præcaveatur.*

Propterea exulent cibi crassi viscidi ad calculi generationem facientes, & Alvus semper sit laxa.

Alia tam interna quam externa calculi generationem destruentia, *vide titulo de Calculo Vesicæ, prima in parte.*

Catar-

Catarrhi.

QUibus infantes affligi solent, *utplurimum ad Pectus ruunt, & laringem afficiunt*, unde pro lymphæ majori vel minori acrimonia, vel ab aëre frigidiore irritata, *tussis sicca nocturna*, magis minus contumax excruciat.

In hoc casu præ aliis *Sperma ceti conducit*, nec non *Spiritus salis armoniaci anisatus*, ut & *liquor C. C. succinatus*, qui in omnibus affectibus infantum catarrhalibus primum meretur locum.

Paulo adultioribus etiam confert *Looch de Passulis, cum mucilagine sem. lini vel cydoniorum*, tanquam blandum attemperans.

Externè vero vespertina *plantarum pedis cum pinguedine lucii piscis, inunctio etiam confert.* Vel

℞. *Ung. Pectoral.*
Dialthea aa ℥ ß.
Sperm. ceti ʒ j.
Olei chamomill.
Lilior. alb. aa ʒ ij.
Philosophor. ʒ ß.
Anisi ℈ ß.
M. & hoc Pectus & dorsum probè inungatur.
Plura vide titulo de Tussi.

Convulsiones.

INfantibus *præ adultis sunt familiares*, unde & ab *HIPPOCRATE* morbus puerilis, audiunt.

Utplurimum tamen infantibus accidunt ex consensu partium inferiorum, ventriculi videlicet & intestinorum, dum lac acescit, vel alio modo male digeritur, prout vulgo accidere solet, *cum nutrices ira, vel aliis vehementioribus animi affectibus indulgent*, & statim post talem alterationem infantibus mammas præbent, aut vino forti vel spir. vini se inebriant.

Sic & vermes in intestinis aliquando occasionem præbent, vel & variolæ, morbilli, Dentitio difficilis, Terror subitaneus, aut cutis vitia citò evanescentia, sæpe causam sustinent, &c.

Malum est satis periculosum, *præcipuè si infantes admodum parvulos*, & quidem ex hæreditaria quadam dispositione *corripit*, ubi raro evadunt.

Si autem magis adulti, & quidem per longiora intervalla, & per periodos hoc malo affliguntur, tum *ætatis mutatione evanescit*, & si remediis interea non tollitur, *tum in pueris, Veneris, in puellis verò menstruorum interventu, cedit.*

Convulsivi etiam motus, qui aliquando infantem hunc vel illum, *in principio variolarum vel morbillorum*, invadunt, *periculo aliàs carent, & evanescunt*, morbillis & variolis erumpentibus; sed si natura in expellendo succumbit, plerumque infantes moriuntur.

In

In Paroxysmo naribus admoveatur *Spir. C. C. succinatus, vel spir. ✳ci urinosus, succinatus* &c.

Nucha verò, Spina dorsi, Tempora, Scrobiculus cordis &c. inungantur seq. oleo;

℞. ℴℴ *succini* ℈ j.
rutæ,
lavend. aa ℈ß.
Axung. castor. ℈ j ß. M.

Internè detur *Tinct. C. C. vel Liq. C. C. succinatus, spir. ✳ci cum Essentia castorei* &c. ad gtt. 10. 15. infanti quindecim septimanarum.

Infanti unius anni dedi seq. pulv. aliquoties de die:

℞. *Cranii humani* pr.
Cinnab. nativ. pr.
Succini albi pr. aa ℈ j.
Castorei pl. gr. v.
Ther. cœlestis gr. iij.
M. detur ejus cuspis cultelli pro dosi.

Si alvus simul observatur obstructa, tum infanti unius anni detur seq. pulv.

℞. *Auri fulminantis* gr. j.
Arcani duplicati gr. v.
Misce & detur.

Paroxysmo sedato ad causam mali cura dirigatur, quæ *si ex acescentia in stomacho* dependet, *dentur diligenter pulveres absorbentes* epileptici; dehinc vomitorium exhibeatur, vel *Aurum fulminans cum nitro, aut jalapinum aliquod* præbeatur.

Si vermes sunt in causa, dentur *cinnabarina cum casto-*

castoreo; *Mercurius etiam dulcis* in ablactatis, tunc optimi est usque & effectus, *cum corallina, vel jalappa* exhibitus.

Si scabies vel achores retrocedentes causam fovent, conducit ℞. *C.* C. *succin. cum Ess. myrrha*, &c. Item ♉ *Diaphoret. cum cinnab. nativa praparata & succino albo praparato.*

Notetur verò ut medicamenta antepileptica, pro præservatione adhibenda, *ante Pleni- & Novilunium* diligenter porrigantur.

Plura vide titulo de Epilepsia vel Convulsionibus parte prima.

Crusta Lactea, *vide* Achores.

Dentitio.

U*Nicus est morbus, quem omnes infantes necessario ferre, necesse est.* Sed licet naturæ opus sit, tamen propter morbos & symptomata varia, quæ combinari solent, inter morbos saltem recenseri solet Dentitio difficilis.

Dentibus quidem jam præditi sunt infantes, dum in lucem emittuntur, *sed in suis alveolis latent adhuc gingivis tecti, & suo tempore erupturi.* Observatum tamen fuit infantes quosdam cum dentibus fuisse editos in lucem.

Prodire autem solent plerumq; circa septimum mensem, & quidem primo incisorii, quos aliquo temporis intervallo sequuntur canini dicti, & tandem molares; Ad eruptionem verò sensim properantibus dentibus, *infantes sensibilem in gingivis sentiunt pruritum;* postea dum, hæ ab aculeatis illis ossibus perforari incipiunt, *dolor exoritur in nonnullis vehementissimus*, gingivarũ inflammatio, febris, vigiliæ, alvi profluvium, imo non rarò convulsivi motus.

Altera Dentitio, quæ circa annum septimum accidit, *dum dentes lactei dicti decidunt*, absque dolore est, quoniam gingivæ tunc perforatæ existunt.

Quò difficilius tamen, & longiori tempore dentes lactei erumpunt, eo periculosior est dentitio. Si tamen tempore Dentitionis alvus crebro demittit, minus convulsionibus tentantur.

Sic & febris acuta Dentitioni superveniens efficit, ut convulsionibus minus infestentur. Non

omnes etiam convulsionibus talibus afflicti moriuntur, sed plerumque servantur.

Pejus tamen se habent & gravius laborant, *quando Dentes canini gingivas perfodiunt*, & erumpunt, quàm si alii minus acuti sensim prodeunt.

Cum verò Dentitio difficilis proveniat à densitate & crassitie gingivarum, hinc *danda opera, ut gingivæ emolliantur & laxæ evadant*, ut dentibus facilius cedant.

Hunc in finem fricentur gingivæ emollientibus, qualia vide titulo de Dentium dolore, parte prima.

In tempore verò dum suspicio Dentitionis adest, dentur *pulveres absorbentes antepileptici*, qualis est *Pulvis Marchionis*, *Pulvis Anglicus*, vel alii. *Vel si gingivæ adeo sunt densæ & crassæ, ut dentes eas admodum difficulter perrumpant*, observetur, ubi dens latet, & gingivæ albicant, *fiat incisio*, sic plerumque præcaventur convulsiones aliàs maximis doloribus supervenientes.

Si alvus obstructa adest, *Clystere emolliatur*.

Epi-

Epilepsia *vide* Convulsio.

Fascinatio.

EST malum, quo debiles infantum tenellorum, spiritus adeo perturbantur, ut imperium perdant in tenellum licet corpus: *Unde tunc infantes* hoc malo affecti *fiunt inquieti nec dormiunt, & semper ejulant, accedunt Tabes, & continui sudores in fronte præprimis*, & venæ frontis præ aliis apparent elatæ.

Fieri verò solet *fascinatio* vel *ab effluviis, spiritibus debilibus tenellorum, ita contrariantibus vel infestis*, ut eos à blando suo motu, in irregularem redigant. Sic & oculis, vel aspectu inimico, infantum tenellorum spiritus infici dicuntur.

Fascinatrices plerumque creduntur esse *vetulæ, quando per morbum, vel senium, mensibus non amplius purgantur.* Dantur tamen aliæ quæ omni tempore fascinatrices esse creduntur, sive subsistentibus, sive fluentibus mensibus. Eorum nimirum halitus, sive spiritus transpirando emissi, sive effluvia, ita sunt disposita, ut nonnullorum tenellorum infantum spiritus debiles, adeò perturbent, ut à tranquillo suo motu, in inordinatum redigantur, & talem malignum effectum præstent.

Si Fascinatrix nota est, *de ejus vestibus* sumatur aliquid & infans fascinatus, eo suffiatur, & citò curabitur.

Si verò nota haud sit, suffiatur infans *myrrha, thure, succino, anthyrrino, capillis Veneris*, &c. Vel

℞. *Rad.*

℞. *Rad. S. Petri* ℥ ß.
Angelicæ,
Magistrant. aa ʒ ij.
Dauranth. ʒ j ß.
Adianthi aur. ʒ j.
Verbenæ ℈ iiij.
Flor. hyperici ʒ iij ß.
tanaceti ℥ j.
M. omnia ſiccata in pulv.

Hoc verò pulvere tam infans, quàm ejus lectum, & omnia ad eum ſpectantia ſuffiantur.

Item ex ſpeciebus his, fiant *pulvilli, ſacculi,* qui è collo ſuſpendantur, &c.

Vel ex iisdem ſpeciebus, cum aqua ſecundùm fluxum ante ſolis ortum ex fluvio ſine acclamatione, hauſta, fiat balneum, cui inſideat infans. Vel

℞ *Quisquiliarum ex aqua ſive flumine reject.*
Herb. petaſitidis aa m. iij.
Radicum Rubi ſurculos tres,
Caput & pedes vervecis unius.

Ex his *cum aqua mane ante ſolis ortum*, ex flumine *ſecundum fluxum hauſta*, fiat balneum, cui calido inſideat æger novem diebus ſingulo mane, poſtea balneum poſt occaſum ſolis in flumen effundatur rurſus.

Pro præſervatione ab *HELMONTE* admodum laudatur *Electrum minerale immaturum*, collo appenſum. Alii laudant *Corallia rubra, vel Caput allii, aut fruſtum panis,* de collo ſuſpenſum, &c.

Favus,

Favus, der Erbgrind.

AB *Achoribus*, cruſta lactea, ſcabie & ſimilibus vitiis cutis, *differt in eo*, quod *achores & cruſta lactea ſaltem faciem infantum lactentium occupent*, ſcabies autem per totum corpus ſæpe diſſeminetur.

Favus autem magis adultos ſaltem in capite affligat, & niſi idoneis remediis, & conveniente methodo tractetur, *in Tineam degeneret*; ſub cruſta nimirum ſicca fœtida, etiam cutem, & cranium corrodat.

Malum verò hoc facilè per contagium transfertur, ſi ſani infantes, capitis integumenta, quibus Favo, vel Tinea laborantes uſi ſunt, ſuo capiti imponunt.

Alia verò Tinea, vel Favus, ſiccus & furfuraceus eſt, & dum ſcalpitur, ſquamas furfuribus ſimiles demittit.

Alius Favus humidus eſt, in quâ cruſta remota, carneæ cutis particulæ rubeæ apparent, ficuum grana interiora repræſentantia. *Porro alius Favus* pro humoris majori vel minori acrimonia & pravitate, mitior *vel malignior, vel magis recens, aut inveteratus exiſtit, vel in Tineam nunc migravit.*

Cruſta verò vel ad viriditatem, vel flavedinem, aut colorem cinereum magis vergit, & ſicca omnino eſt, vel ſi quid emanat, fœtidum exiſtit.

Curatu verò difficile eſt malum hoc, præprimis inveteratum, ubi cruſta ſicca cinerea vel nigricans apparet.

Curatu vero facilior adhuc exiſtit, ſi cruſta flaveſcit, & humida aliqualiter eſt.

Et ſi in Tineam plane degenerat Favus, *difficillima*

mæ est curationis & vix curam admittit ante talem ætatem, quæ curationis molestias & medicamenta necessaria ferre potest.

Licet verò Tinea curationem adhuc admittat, tamen *in loco affecto raro renascuntur pili*, præprimis si cutis quasi testacea & dura evasit, & ad frictionem non rubet.

In curatione *ante omnia tollatur acrimonia humorum*, id quod fieri haud potest, nisi prius detrahatur crusta, quod non tantum detergentibus, sed & aliqualiter erodentibus & humectantibus fieri solet.

Quoniam autem *infantes tenelli* medicamenta acria nondum ferunt; hinc ne malum radices agat, *emollientibus* tractetur malum, & quæ saniei exitum parant.

Præstant hoc *Folia betæ vel caulium, axungia porci, vel butyro illita & imposita.*

Vel ex commendatione *BARBETTE in sua Chirurgia.*

℞. *Cinerum clavellat.* q. l. & *cum vino albo*, fiat lixivium moderatæ acrimoniæ, in cujus ℔iij. coque *Fol. majoran. abrotani* aa m. ij. *Capill. Ven.* m j ß. *Flor. rosar. r.* p. iij. Hoc decocto lavetur caput bis vel ter in septimana calidè, & linteis calidis detergatur caput, & paucarum septimanarum spatio curabitur malum hoc.

Cl. ETTMULLERUS laudat *decoctum Herb. & radic. malvæ cum pisis, ex urina pueri paratum*, pro lotione capitis, in gravi etiam malo.

Si crusta est nimis indurata, tum ea emolliatur prius, mediante Unguento *ex melle & flavedine ovi* adduritiem cocti, facto; v. g. *mellis* ℥ j. *vitelli ovi ad durit. cocti*, no. j. M. & applicetur linteo inductum,

ductum, ac singulis 24. horis renovetur, hoc verò reiteretur per dies quatuor aut ultra, donec crusta est emollita.

Tunc verò lavetur caput lixivio, vel decocto sequenti.

℞. *Herb. levistici,*
Absinth.
Beton.
Salviæ,
Fl. chamomillæ aa m j.
Rad. oxilapathi,
Bardanæ aa ℥ j.
Bac. juniperi ℔ ß,
Vitrioli ʒ iij.
Aluminis ʒ ij.
🜔*is comm.* ʒ ij ß.
Lithargyr. ℥ j.

Coquantur in Aq. s. q. Atque decocto hoc lavetur caput.

Et si magis valida in adultis sunt necessaria, ex ☿ *sublimati* ℥ ij. *in Aq. comm.* ℔ ij. Decoctis & solutis lavetur Tinea quam calide ferre potest patiens, & toties donec ulcera mundificantur & rubescunt.

Alii hâc methodo ad eradicandum hoc malum procedunt cum effectu,

℞. *Butyri recentis non saliti* ℥ ij.
Olei albi ʒ ij.

Misceantur & hoc illinatur crusta, per tres dies, quarto autem die lavetur caput crustosum cum sequenti lixivio.

℞. *Lixivii bis per cineres transcolati* ℔ iij.
Herb. beton.
Flor. chamomillæ,

Flor.

Flor. origani,
Hyperici aa m. j.
Sem. fœnugræci ℥ j.

Coquantur invicem & decoctum cedat in usum. Postquam verò caput detersum & siccatum est, tum pili evellantur: Dehinc denuò per tres dies illinatur crusta, modo dicto linimento, & procedatur, ut prius, post lotionem scil. caput detergendo, siccando, & tum pilos evellendo.

Si tamen leniori hâc methodo pili haud possunt evelli, & eradicari, applicetur Empl. hoc.

℞. *Picis albæ* ℥ ij.
sutoriæ ℥ iij.
Colophon. ℥ ß.

Solvantur omnia supra ignem, & linteo inducta imponantur locis crustosis, post 24. horas verò Emplastrum detrahatur, sic adhærebunt pili, hâc verò methodo procedatur, donec omnes pili porriginosi sunt eradicati. Tunc vero illinatur sequens linimentum ad consolidandas partes læsas,

℞. *Ung. rosacei* ℥ j.
☍ *succini,*
juniperi,
therebinth.
lumbric. terr.
Philosophor. aa ʒ ß.
Strigmentorum equi ℥ ij.

Misceantur, & mane & vesperi inungantur loca pilis denudata, & capilli feraciter propullulabunt rursus.

Si porrigo sive Favus nondum est inveteratus, & pilorum extractionem haud requirit, tum sequens sufficere potest.

℞. *Axung.*

℞. *Axung. porci* ℥ j ß.
Picis albæ ℥ ij.
Sulf. ♁. *cum* ⊖ ♀ *iparati* ʒ ij.
Arsenici cum ⦶*o fixati* ʒ j.
Misce, fiat Unguentum.
Vel ℞. *Arsenici,*
Nitri crystallisati aa ℥ ij.

Fluant in tigillo per horam, tunc effusis adde *salis comm.* p. ij. & mixta reponantur in loco humido, ut resolvantur in liquorem per deliquium. Tunc sume hujus *Liquoris* ℥ j. *liquoris scoriar. Reguli* ♁ ℥ ß. Misceantur cum *Aqua plantaginis*, & laventur loca porrigine infecta.

Febres.

LIcet infantes non minus, ac adulti, varii generis Febribus, tam continuis quam intermittentibus non rarò affligi ſoleant, *tamen hic non niſi Febres infantibus ſolum propria in conſiderationem veniunt.*

Et ſunt in ſpecie Febres, *qua vel à Lactis corruptela & aceſcentia, vel ex Dentitione difficili*, aut à vermibus Originem trahunt &c.

Qua à Lactis corruptela vel aceſcentia dependent, plerumque ventris tormina, vel alvi dejectiones crebriores, flavas aut virides, habent comites absque dentitionis ſignis.

Quæ verò à Dentitione occaſionem ſumit Febris, ex ſuis ſignis dignoſcitur; prout & illa quæ à vermibus oritur.

Febres tamen hæ, ſublatâ cauſa, facilè cedunt, & periculo carent. *Si verò cauſa tam citò tolli haud poteſt, vel negligitur*, tum ex corruptela & aceſcentia Lactis non ſolum Febris intenditur, ſed plura alia gravia ſymptomata ſæpe interitum acceſſunt. Et ex dentitione difficili Dolores, vigiliæ, & convulſiones excitatæ, non minus periculi portendunt, &c.

Si verò difficili Dentitioni Febris acuta ſupervenit, tum infantes tales convulſionibus minus incommodari & periclitari, ſuo tempore *HIPPOCRATES* advertit. Sed ſi vigiliæ inde excitatæ & fluxiones alvi diutius durant, tum ſatis periculoſum eſſe malum experientia ſæpe docuit.

Ad

Ad Febres haſce profligandas, & quidem ſi ab aceſcentia lactis dependent, in diligenti uſu ſint *abſorbentia antiacida, & quidem Febribus aliàs dicata & ſpecifica*, quæ vide de Febribus, parte prima.

Quæ verò Febri à Dentitione difficili aut vermibus oriunda, contrariari & mederi queant, vide ſuo loco de Dentitione difficili, &c.

Spectare huc videtur nominis ſaltem ratione febris militaris, de quo jam

Febris Miliaris Infantum.

SIve *Purpura*, nostratibus das Hirsen-Fieber/ aliis der Friesel dicta, *ex morbillorum tamen & variolarum prosapia potius*; quibus non tantum infantes tenelli, sed & magis adulti corripi solent.

Incipit cum horrore vel frigore, succedente calore continuo & pulsu celeri, instar Febris continuæ, cum appetitu prostrato, anxietatibus cordis, virium prostratione, tussi, dolore capitis, vigiliis, deliriis, convulsionibus. &c.

Circa quartum diem cum leni sudore circa collum, & pectus, ac manus cutis fit scabra cum rubedine, & insequentibus pustulis albis quæ nonnunquam grana milii exæquant, & sero sunt repletæ, *ac rubicundis sunt magis periculosæ, præprimis si calor non remittit, & anxietates cordis post eruptionem accedunt*, & pustulæ ad nigredinem videntur inclinare. Si tamen levior diarrhæa accedit, non nocet, sæpè verò malum hoc exulcerationes pulmonum relinquit, vel alia accidentia noxia.

In Curatione conducunt ea quæ acrimoniæ corrigendæ dicata sunt, & calorem præternaturalem sistunt; qualia sunt *absorbentia ex ♁ diaphoret. matre perl. Ebore pulv. C. C sine igne præparato*, & si magis adulti hoc malo affliguntur, *cum parum Nitri depurati remixta* &c.

Et si ante eruptionem convulsiones videntur imminere, detur *Pulvis Marchionis, cum succino albo pr. & castor. pulv.* &c.

In genere verò tractetur malum hoc, ac si morbilli vel variolæ adessent.

Post eruptionem in diligenti usu sit ♁ *Diaphoret. cum pulv. Anglico remixtum*, & ad gr. 10. 20. propinatum. In fine *Corallia rubr. Oculi cancri* cum parum *Antihect. Pot.* &c. conducunt.

Pro Potu detur Decoctum C. Cervi cum Radice scorzoneræ & Passulis factum: Vel Cerevisiæ tenui aliquando instillentur guttulæ nonnullæ *Spir.* ⊕*i dulcis.*

Vitentur verò nimis calida & volatilia, ut & vinum, aromata, lac, ova, pisces, sacharata, fructus horarii, juscula confortantia &c.

Sic & *Calor & Frigus sint moderata & temperata,* non aliter ac in variolis.

Lactentes plerumque hoc malo affliguntur. *Si matres vel nutrices irascuntur, vel terrore subitaneo afficiuntur, aut erysipelate tentantur,* tunc verò statim post talem alterationem infanti mammas porrigunt.

Sic ex relatione constat, quod ab exorto incendio civitatis cujusdam periculoso, plus centum lactentes, post diem septimum hoc malo fuerint correpti, ex quibus plurimi die quarto Epilepsia interierunt.

Bezoardicis propterea & expellentibus hoc malum tollatur, & particulæ hæterogeneæ à reliquis circulantibus humoribus præcipitatæ, ad glandulas subcutaneas propellantur, quod si ex voto succedit, *& exanthemata sunt rubicunda cum pruritu, & pedetentim sequitur cuticulæ desquamatio*, tum intra septimum diem cedit malum, ubi aliàs ad decimum quartum extenditur, prout variolæ & morbilli.

Vitent verò matres vel nutrices purgantia, ne motum naturæ interturbent, præcipuè illæ quæ eryſipelate ſæpe corripi ſolent. Si enim fixas egit radices in corpore eryſipelas, ac materia hujus per purgantia irritatur, & purgantibus naturæ motus inhibetur, tum infantes tales, quamdiu ubera ſugunt, Febre miliari affligi ſolent, & ſi adoleſcunt, hæreditariè tunc afficiuntur eryſipelate.

Febres aliàs, ſive continuas, ſive intermittentes, quod concernit, cum hæ nil peculiaris habeant ab adultorum Febribus, hinc & eandem requirunt curandi methodum; prout parte prima docetur.

Gibbus

Gibbus.

INfantibus tenellis ut plurimum accidit, *poſt lapſus, vel caſus graviores*, aut dum magis adulti, grave onus ferunt, vel ex lucta, luxationes vertebrarum dorſi incurrunt, aut ex prava conſuetudine ſaltem uni lateri incumbunt, vel incurvati incedunt &c.

Non raro ex ſingulari vertebrarum dorſi, vel & oſſium, ac ligamentorum Pectoris mollitie, totis familiis ſæpe hæreditarius eſt Gibbus.

Quoniam verò *gibboſi plerumq; ſunt aſthmatici*, imò ſæpe fiunt phthiſici, hinc quoad poſſibile in tempore medela quæratur. Ab initio namque *aliquando malum hoc curabile eſt, in junioribus*; ſi verò negligitur & inveteraſcit, incurabile fit.

Etenim ſi pueris ſpina dorſi fit gibboſa, antequam corpus ad perfectionem & augmentum debitum pervenit, tum his corpus circa ſpinam augetur, crura verò manusque debileſcunt, & contabeſcunt.

Ut verò malum hoc tollatur, non tantùm *thoraces ex charta forti, vel oſſibus ceti, aut lamina ferrea corio obducta, confecta* ſolatio erunt, ſed & *linimenta & Emplaſtra acidum deſtruentia & coagulum diſſolventia* in uſum veniant; ut ſpiritus debiles per ſpinam dorſi fluentes ſuo in motu haud impediantur.

Linimenta præ aliis hic conducibilia poſſunt eſſe *Oleum Lumbricorum cum axungia humana*, & *caſtorei*, item *Oleo Nuciſtæ* &c. parata. Vel

℞. *Ung. Cardiaci Schr.*
Aregon. aa ℥ ß.
Gummi Ammon. Spir. vini soluti ʒ ij.
Olei Nucistæ ʒ j.
Succini ℈ ß.
Axung. castorei ℈ j.

M. detur & probè infricetur, desuper verò imponatur *Empl. oxycroceum.*

Vel hoc *Cl. Dolæi in sua Chirurgia* v. g.

℞. *Olei Nucistæ* ʒ j ß.
Mastichis,
Myrrhæ,
Thuris,
Succini aa ℥ j.
Castorei ʒ ß.
Vitrioli albi, ʒ ij.
Ceræ & Picis Navalis aa ℥ ß.

M. fiat Empl.

Hernia.

Hernia.

QUâ infantes utplurimum corripi ſolent *præ aliis eſt Enterocele*, ſive inteſtinorum tenuium, laxato peritonæo, in ſcrotum delapſus; Ut & *Hernia aquoſa*, in qua ſalvo Peritonæo humor aquoſus, in abdomine abundans, ſenſim in ſcroto colligitur, idque in tumorem attollit. *Nec non Umbilici Hernia.*

In Enterocele *Peritonæum laxatur*, & *ab inteſtinis extenditur*, *fletu nimio*, *tuſſi gravi, vel ſi alvus adſtrictior eſt, nimio egerendi conatu* &c. hiſce namque conatibus Peritonæum in infantibus adhuc nimis laxum, inteſtinis etiam flatibus turgidis, facile cedit & extènditur, adeò ut inteſtina ipſa, patentiorem viam nacta, hanc promte amplius dilatent, & ſibi exitum prolabendi inveniant.

Herniam umbilicalem quod concernit, hæc plerumque à nimia flatuum inteſtinalium preſſione, & inde contractâ Peritonæi extenſione excitatur.

Cum verò omnis Hernia per ſe manifeſta ſit, tamen *diligenter conſiderandum erit, an tumor ſcroti ſit ex inteſtinorum prolapſu*; *An ex aquoſo ſaltem humore eo defluente.*

Facile tamen hoc diſcernitur: *In Enterocele* nimirum *tumor plerumq; eſt in una parte ſcroti*, quoniam rariſſimè accidit, ut in utroque latere peritonæum extendatur. *Hernia verò aquoſa plerumq; utrumq; ſcroti latus occupat*, & hoc eſt magis inflatum, ac in Enterocele.

Umbilicalis verò Hernia per ſe facilè dignoſcitur.

Quoniam verò *peritonæum in infantibus adhuc magis molle eſt ac in adultis*, hinc malum hoc in illis facilius curatur ac in adultis, & ſæpe ſolis faſciis cedit.

Et *Hernia aquoſa* facile etiam tollitur *diſcutientibus adhibitis*, vel progreſſu ætatis ſæpe ſponte evaneſcere ſolet, humoribus abſumtis.

Sic & *Umbilici Hernia facilius in infantibus*, quam adultis curationem admittit ; in adultis namque ſæpe gravia ſymptomata, utpote *Colica, Iliaca paſſiones, & vomitiones* ſe jungere ſolent, & finem vitæ ponunt.

In curatione verò Herniæ inteſtinalis, ante omnia inteſtina ſunt reponenda, repoſita verò, faſciis, & peritonæum conſolidantibus *retinenda*.

Ad repoſitionem requiritur conveniens ſitus hernioſi, reſupinatus videlicet, cruribus & natibus elevatis ſituetur, ut inteſtina facile recedant: & retroagi queant.

Et ſi flatus vel recrementa indurata impedimento ſunt, ea removeantur prius clyſteribus & carminativis. Quoniam verò inteſtina ſaltem tenuia prolabuntur, *hinc humores in illis circulantes leviter ſtagnant, vel difficulter circulantur*, unde membranoſæ tales inteſtinorum & abdominis partes *ſpaſmis affecta, duritiem repræſentant*, quæ fomentis blandis aromaticis eſt reſolvenda.

Et quoniam in hiſce herniis, flatus ſæpe urgent, hinc diligenti in uſu ſint carminativa.

Præterea alvus ſervetur laxa.

Præcipuum verò, quod in infantibus ad herniam ſanandam conducit, & ſæpe curam abſolvit, eſt *faſcia*

scia vel subligaculum idoneum, subtus posito *Empl. carmin. Sylv. corio inducto*, *& quiete imperatâ*, utpote quæ sola sæpe herniarum infantilium est panacea.

Ad demulcendum intestinorum vel adjacentium partium membranosarum spasmum, ut repositio eo melius peragi queat, *fiat Fotus ex lino recente contorto*, *in lacte cocto* & calidè applicato.

Vel *ex stercore ovillo in lacte dulci cocto fiant cataplasma* calidè applicandum, non contemnendi usus. Vel

℞. *Rad. alth.* ℥ij.
Lilior. alb. ℥ j.
Herb. malv.
Fl. chamomill.
meliloti aa m. j.
Farin. sem. lini,
Fœnugraci aa ℥ iij.

Ex incisis, cum lacte vel aqua fiat cataplasma, cui adde *Olei Lilior. alb. & Axung. Gallin.* aa ℥ j. & calidè applicetur.

Hernia umbilicalis eandem requirit curandi methodum ac intestinalis, *repositionem nimirum & retentionem*, eadem planè methodo, ut modò dictum.

Inter externa egregium est *Emplastrum*, *quod ex gummi Elemi in aceto macerato fit*: maceratur nimirum gummi in aceto, donec acetum in superficie quasi cremore obducitur, tunc verò adfusis aliquot *Olei ovorum* guttis igne leni ad ceroti consistentiam coquitur.

Vel

Vel ℞. *Rad. consolid. maj.* mundatæ contusæ & calefactæ linteo inducantur instar cataplasmatis, & loco affecto imponantur , & singulis duodecim horis aliud applicetur. Internè diligenti in usu sit *pulvis Auriculæ muris, mensæ Majo collectæ*, qui cum pulmentis & aliis cibis præbeatur. Vel *perfoliata & herniaria*, sub forma pulveris vel decocti exhibeantur.

Ad Herniam Scroti aquosam imponatur *cataplasma ex farina sem. lini, fœnugræci, fabarum, fl. chamameli, sambuci, sem. cumini*, &c.

Hydro-

Hydrocephalus.

SIve *Capitis hydrops*, vel tumor aquoſus, *infantibus magis, quam adultis familiaris eſt*, ob eorum vaſorum lymphaticorum mollitiem, quæ levi preſſione rupturam incurrunt, & humorem lymphaticum extravaſari ſinunt.

Si latex aquoſus inter cutem externam capitis, & pericranium ſtagnat, tunc Tumor adeſt mollis, & ad digitorum tactum cedit. *Si verò intra cranium & cerebri membranam continetur aqua*, tumor quidem ad tactum non eſt mollis, ſed ſi valida fit compreſſio tum, quoniam infantum cranium adhuc nimis flexile eſt, *præprimis ſuturis nondum coalitis*, hinc preſſioni paulo validiori cedit.

Colligi verò ſolet ſeroſum hoc liquamen in capite, *ob inſenſibilem transſpirationem non ſolum deficientem, ſed & urinæ excretionem impeditam.*

Hæc verò depravata lymphæ & ſeri conſtitutio, *ex ſanguificatione vitioſa originaliter dependet*, ubi chylus ſive lac maſſæ ſanguineæ haud ritè aſſimilatur, atque circulationi inepta vaſa tenerrima lymphatica dilacerat, & extravaſata ſtagnat.

Malum verò vulgò eſt lethale, præcipuè ſi tumor quotidie increſcit; vel ſeroſum liquamen intra cranium & cerebrum colligitur; præcipuè ſi tumor circa nucham potius increſcit, imò ſi lethargus ſe aſſociat Apoplexiæ prodromus.

Aliquando tamen affectus hic brevi terminatur, nonnunquam etiam longiori tempore durat.

In curatione hujus mali ſive hydropis capitis con-

conducunt ea, quæ aliis hydropis ſpeciebus dicata ſunt.

Ante omnia evacuetur ſerum per jalapina, & ſi purgantia benè ferunt, ſæpius reiterentur, quo major verò eſt collectio ſeri in hydrope hac particulari, eo fortior oportet eſſe purgatio, *& præſtat ſemel fortius purgare, quam ſæpius & leniter. Semper verò purgantibus aliquid mercurii dulcis admiſceri debet.* Purgantibus verò præmiſſis, in uſum veniant *abſinthiaca*, *ſambucina*, imò omnia illa tam interna quàm externa, quæ ad hydropem curandam ſunt commendata.

Hypochondriorum Inflatio.

NOstratibus vulgò vocatur, das Anwachsen der Kinder/ vel das Hertzgespann. Est verò malum, *ubi à cruditate acidâ, flatus & obstructiones hypochondriorum* generantur; unde hypochondria sunt tensa, ut ne digitis quidem cedant.

Et si malum hoc radices agit, & glandulas mesenterii obstruit, tunc *chylus suas venas lacteas haud rite penetrat, & obstructiones cumulat*, unde tunc artus nutrimento debito fraudantur, venter verò induréscit & intumescit.

Ne verò malum tantas radices agat, *in tempore occurratur antiacidis, viscidum incidentibus, dehinc aperientibus, & flatuum proventum inhibentibus.*

Et si ruditates viscidæ in stomacho adesse hariolantur, dentur aliquoties de die *Oculi ♋, cum sem. anisi*, dehinc propinetur *vomitorium*, & desuper continuetur pulvis absorbens. Vel detur *Tinctura tartari* aut *Spir. ✳ci anisatus*, à gtt. v. vj. ad x.

Ad ruditates verò viscidas eliminandas detur *Aurum fulminans cum Ocul. ♋ & arcano dupl.* alternis vel singulis tribus diebus. Vel & *Clyster detur*, & venter probè inungatur *Oleo chamomillæ, anisi* &c.

Vel *Sume cepam* sub cineribus assatam, *ex qua exprime succum, eumq; cum axungia caponis* in formam linimenti commisce, & hoc hypochondria ac præcordia fortiter & diligenter inunge.

Aut ℞. *hoc à SYLVIO*, tantopere laudatum linimentum, v. g.

℞. *Ung.*

℞. *Ung. de alth. comp.*
martiali aa ℥ ß.
🜖 *Lilior. alb.*
Chamameli,
Laurini aa ʒ iij.
Philosoph. ʒ ij.
M.

Hoc linimento, *Sylvius ait*, si infantum cubitum iturorum abdomen totum aliquamdiu, inungitur, mirum quantum pituita in eorum ventre contenta dissolvitur & flatus abdomen distendentes discutiuntur, atque corporis contabescentia cum alvo plerumque laxiore consequens, paulatim curatur.

Internè verò sæpius detur sequens pulvis, *cum Syr. viol.*

℞. *Baccarum hadera arbor.* ℥ ß.
Radic. iridis flor. ʒ ij.
Sem. aquileg.
Violar. mart.
Coral. r. pr. aa ʒ j.
Sacharicandi ʒ iij.
Fol. auri no. j.

Inter-

Intertrigo.

E*St species quædam exulcerationis cuticulæ*, ubi cutis per rugas, vel alio modo, sibi incumbit, & serum per insensibilem transpirationem aliàs evaporatione eliminandum, ibi retinetur; & propter acrimoniam cuticulam erodit, & excoriat, & hoc plerumque accidere solet retrò aures, in nucha, sub axillis &c.

Magis tamen vulgaris est illa intertrigo, quæ ab urinæ acrimonia dependet, si nimirum linteamina quibus infantes involvuntur, haud crebro mutantur. Qui tamen sunt *corpulentiores*, *vel urinam habent acriorem*, huic malò magis sunt obnoxii.

Et licet malum hoc haud adeò periculosum extet, tamen quoniam dolores causatur & vigilias parit, vel nisi mox tollatur, majorem exulcerationem excitare queat; hinc non negligendum erit malum hoc.

Tollitur verò munditie, ita ut si linteamina urina sunt madida, quibus infans involutus jacet, hæc cito & sæpius mutentur. Præterea *infantes sæpe sunt lavandi*, & *abstergendi*, & quidem aquâ, cui *malva*, *althea*, *parietaria*, *furfures* incocta fuerunt: & post loturam, locus excoriatus, *tutia pr. pompholige*, *alba creta*, *cerussa*, *catechu* &c. linteolo raro noduli instar inclusis, conspergatur.

Vel locus affectus illinatur *Unguento albo camphorato*, *Diapompholygos* &c.

Nutrix verò diligenter assumat pulverem quendam absorbentem, *ex Oculis* ♋. C. C. *Phil. pr. sem. anisi pl.* &c. constantem.

[L] *Lum-*

Lumbrici, Ascarides, Crinones &c.

LUmbrici sive vermes in genere licet nulli sexui, vel ætati, nec ulli corporis humani parti parcant, tamen *malo hoc potissimum infantes* tam in, quam extra uterum, *infestari solent, & quidem in intestinis magis*, quam in aliis partibus corporis.

Et horum quidem animalculorum plures dantur species, *vulgares nimirum*, qui sunt teretes sive oblongi, & vocantur nostratibus Spulwürme.

Vel sunt Lumbricus latus & longus, qui geniculis & nodis quasi est distinctus, longitudine non rarò plures ulnas exæquans & ibi cohærens, ubi quilibet quasi geniculus, ab alio avulsus, vitâ gaudet.

Tertiam speciem constituunt *Ascarides*, qui sunt vermiculi non absimiles illis, qui in carne putrescente, vel caseo recenti enascuntur.

Quibus verò signis hæc animalcula se produnt, plura sunt, & ratione ætatis sæpe diversa & varia, & quidem *in adultis plus, quam in infantibus obscura & minus manifesta.* Etenim infantes vermibus laborare, sequentia indicare plerumque solent: Os nimirum infantum saliva abundat, & fœtor quidam peculiaris ex ore percipitur; Insomnia terribilia infantes inquietant, ac præter solitum in somno dentibus strident: præterea somnus est interruptus & inquietus, nares admodum pruriunt, plures habent alvum suppressam, qui aliis plerumque laxa, & fluida esse solet, unde sæpe macie con-

consumuntur, cum febrre, quæ circa vesperam plerumque exacerbatur.

Adsunt insuper tormina ventris, præcipuè si venter vacuus existit, & alimentum vermibus deest, non rarò item infantes sudore frigido emaciantur, ubi sæpe facies colore rubro suffunditur, mox verò pallore rursus obducitur. Et si malum desperatum est, motibus convulsivis infestantur; & sic sensim morte opprimuntur.

Lumbricus latus se produt appetitu nimio, & nisi statim cibus offertur; dolores & morsus in ventre enormes percipiuntur, ut non rarò lipothymiæ inde excitentur.

Dolores tamen communiter in lumbrico lato sunt mitiores, lumbricus namque latus, & intestinis adhærescens, non facile de loco in locum movetur, Corpus interea admodum extenuatur & debilescit. Certissimum signum hujus vermis præbent excrementa alvi, in quibus corpuscula semini cucurbitæ similia apparent.

Ascarides autem, in ano potissimum, admodum sensibilem causantur pruritum, quoniam intestinum rectum continuò vellicant, & ad egerendum assiduò irritant; minus tamen periculosi sunt hi vermes aliis.

Ad enecandos & expellendos vermes in genere innumera commendari solent, ex quibus tamen pauciora sufficiunt.

HARRIS suum laudat *Æthiopem mineralem* mane & vesperi exhibitum, à gr. v. ad xv. usque ad triginta, infanti duodecim annorum; quarto semper die alvum blandè laxando: Et hâc methodo gloriatur se curasse puerum tredecim annorum,

 atro-

atrophia verminosa laborantem, & emaciatum, ut sceleto similis apparuerit.

Adultis conveniunt sequentes pilulæ,

℞. *Aloes violat.*
Myrrhæ el. aa ℈ j.
☿ *dulcis* ʒ ß.
Res. Jalapp. ℈ ß.
⁂ *absinth. dest.* gtt. iij.

Cum *Elixirio propr. acido* fiant Pilulæ pro 4. dosibus. Vel

℞. *Elixir. Propr. dulcis,*
Ess. Card. ben.
absinth. aa ʒ j.
R. anod. ʒ ß.

M. dentur singulis 4. horis gtt. 40. vel plures.

Si Dolor ventris à vermibus excruciat CRANENIUS pro experto commendat hoc:

℞. *Salis absinth.*
⁂ *Nucistæ* aa gr. xv.
Laud. op. gr. j.

M. detur pro dosi.

Non inconvenientes etiam sunt *Trochisci Hermetici D. SCRETÆ*, v. g.

℞. ☿ *dulcis aliquoties sublim.* ℥ ß.
Diagridii pr. ℈ ij ß.
C. C. Philosoph. pr. ℈ ij.
Cinam. acuti ℈ j.
Sach. alb. ℥ ß.

Cum mucilag. tragacanth. fiant trochisci no. 64. figuram fabæ æquantes, de quibus infanti unius anni detur unicus, bimulo duo, & sic consequenter, aliquoties de die.

Vel

Vel ex commendatione *LENTILII*,

℞. *☿ii dulcis* ʒ jß.

Sach. in aq. roſar. ſolut. ℥ iij.

Succi berber. q. ſ.

Fiant ſ. a. rotulæ, de quibus ſingulis diebus dentur 8. 9. vel 10. Lunâ decreſcente.

Optimè huc quadrant monita *Mercurialis de Puerorum morbis*, ubi ante omnia commendat, ut vermes prius enecentur, de hinc verò exterminentur, vel ut medicamentis aliàs vermes enecantibus, debilitentur ſaltem, ut expellentibus reſiſtere haud amplius valeant.

Cum verò vermes enecantia vel debilitantia amara utplurimum eſſe debeant, ad hæc verò rarò alliciantur, niſi dulcibus vel ſacharatis ſint remixta, hinc eos errare dicit, qui non niſi amaris vermes expellere tentant. Propterea commendat *Oxymel ſimplex, cum decocto abſinthii factum*, tanquam egregium præſervans à putredine verminoſa, modò *amarities pauliſper prævaleat dulcedinem*.

Id quòd & in clyſteribus obſervandum eſſe vult, quæ omnino dulcia, vel pauliſper amara requirit. Præterea medicamenta ex ejus mente non ſint nimis fortia, ne vermes illis irritati dolores ventris enormes excitent. Sic & ſtomacho vacuo exhiberi debent medicamenta anthelmintica, ne eorum vis partibus nutritiis, vel alimentitiis infringatur.

Inter alia *dictus Author præ aliis laudat corallinam*, tanquam ſpecificum anthelminticum, id quod ipſe ſæpius fui expertus, & eſt empyricorum Panacea, ad eradicandos vermes uſitatiſſima. Tandem obſervet Medicus an infans, qui vermibus moleſta-

tur, simul febricitet, *quo in casu Clysteres constent ex laxantibus & simul refrigerantibus* anthelminticis, qualia sunt *cichoreum, succus rosar. portulaca, endivia* &c.

Ad vermium familiam pertinent *Vermes dorsi,* comedones, vel *Crinones dicti*, die Mit-Esser oder Zehr-Würm / quod infantibus alimentum subtrahant, unde etsi satis & voracius comedant, atque aliàs bene se habere videantur, non nutriuntur tamen, sed contabescunt, inquietudine & vigiliis exagitati.

Sunt verò vermes hi subtilissimi, *& in dorsi, brachiorum, & crurum partibus musculosis generantur,* & in cute intus hærent inconspicui, nec unquam toti prorepunt, sed post frictiones in balneo institutas capita tantum instar pilorum nigrorum exserunt, ad occursum vero aëris frigidiusculi ea retrahunt rursus.

Propterea si infans aquæ calidæ imponitur, tum *post* talem *fomentationem partes dictæ musculosæ melle fricantur*, sic capita exserunt, quæ tum vel novacula, aut crusta panis abradantur.

TIMÆUS laudat *aquam aloeticam* externe dorso quotidie illitam.

ETTMULLERUS post Tincturæ ℥ii internum usum tam præservativè quàm curativè commendat balneationem.

Mor-

Morbilli, die Masern/ die Röteln.

SUnt exanthemata, sive *maculæ rubræ cutis, per totum corpus disseminatæ cum quadam protuberantia, & pruritu,* & cum Febre non rarò vehementi aggredientes, per insensibilem verò transpirationem, citra suppurationem, disparentes rursus.

Quo citius verò erumpunt, eo citius decrescunt rursus, ut non rarò quarto, sexto, vel nono die, res acta sit.

Interim *omnes malo hoc correptos vexat salivationis species, cum tussi sicca molesta.* Præterea omnia symptomata cum variolarum symptomatibus concordant, unde etiam ab initio difficile judicatu, an infans talismodi symptomatibus correptus, vel variolis vel morbillis sit laboraturus; *nisi ex symptomatibus mitioribus excepto calore febrili, morbillorum proventum judicare velis,* quæ in variolarum initio graviora esse solent, qualia sunt dolores capitis, æstus febrilis, nausea, vomitus, hæmorrhagia narium, Dolores oculorum, Sternutatio, Tussis, pavor in somno, asthma inquietudo, anxietates &c. Vel si malum grave est, deliria & convulsiones, ex singulari quadam malignitate, spiritibus infesta, & humores suo modo à sua ordinaria textura invertente, ut insensibili transpiratione non amplius proscribi se patiantur partes separatæ; sed in poris paulisper hærendo, sudore tandem solvi necesse habeant.

Periculum in hoc malo non adeò est metuendum ac in variolis, præprimis si maculæ non sunt li-

vidæ, aut nigricantes; in specie in adultis, sed rubicundæ.

In curatione conducunt illa quæ ad variolas curandas vulgo commendari solent, qualia sunt *Tinct. Bezoard. Mixtura simplex, Ess. Myrrhæ, cum Pulveribus Bezoardicis absq; aromatibus factis* &c.

Æger verò in calore detineatur moderato, saltem ne frigido aëri exponatur.

Victus pro appetitu sit moderatus, & tenuis, & *ex hordeaceis vel avenaceis jusculis* constet. Potus sit *decoctum Hordei cum rasura C. Cervi, lentibus, liquiritia* &c. factum, vel & cerevisia tenuis in asuetis;

Alvum quod concernit, melius est sicca, quam lubrica.

Pro præservatione ante omnia conducit vomitorium, tempore grassantium morbillorum, exhibitum,

Pavor

Pavor in Somno,

SIve somnus infantum interruptus, quando in somno plorant & gemunt, aut subito perterrefacti in clamores erumpunt, sæpe *convulsionum prodromus est*, præcipuè si pavores tales sæpius revertuntur.

In causa sunt spiritus in suo blando motu, à crassis flatulentiis admixtis, perturbati.

Malo propterea hoc, *illi potissimum affliguntur infantes, qui sunt voraces*, & cibo nimio ventriculum replere semper solent, unde facilè *cruditatem acidam* incurrunt, ex qua *lerna omnium infantilium morborum* oriri solet.

Aliquando tamen pavores tales infantum à vermibus excitantur, vel sunt prodromi Febrium, morbiliorum, variolarum &c. ex singulari venenata dispositione spiritibus impressa, & hos ad tantos perturbatos motus irritante, vel stomachi contenta invertente, ut spiritibus fiant hostilia &c.

In cura ergo opera danda, ut *acescentia in stomacho præveniatur, vel tollatur.*

Facile vero prævenitur talismodi acescentia, si lac quod infans sugit, est laudabiliter dispositum; Propterea requiritur nutrix sana, quæ cibis boni succi utitur moderatè; vel si lac nimis copiosum adest, de alimento quid detrahatur, vel infans parcius lactetur. Sic & infans post lac, vel cibum datum non statim ad somnum componendus, sed aliquandiu gestandus, donec digestio inchoata saltem vel plurimam partem peracta nunc est.

Si autem corruptela talismodi acida nunc adest, in tempore propinetur vomitorium.

Vel *Specificum cephalicum* remisceatur cum granis aliquot *Jalappæ pulv.* ac parum *anisi*, pro conditione ætatis, v. gr. infanti unius anni pro vomitorio exhibeo *Panaceæ meæ vomitoriæ* gr. ij. vel iij. Aut pro laxante,

℞. *Specif. cephalici* gr. vj.
Jalapp. pulv. gr. iiij.
Ref. jalapp. gr. ß.
Sem. anisi, pl. gr. iij.
M. detur pro dosi.

Ad præcavendam verò vel corrigendam acescentiam in stomacho, in diligenti usu sint antiacida, sive *pulveres absorbentes cephalici*, ex Cranio hum. sine igne præp. C. C. Phil. pr. smaragdo pr. Cornu alcis. Phil. pr. &c. Vel ex his constans *Specificum cephalicum, Pulvis Marchionis, pulvis Anglicus* &c.

Phti-

Phtiriasis, die Läuß-Sucht.

ETsi in adultis sæpe, si vestes diutius haud mutant, vel non diligenter mundant; pediculi generari soleant, in vestibus; tamen *intelligitur hic illud malum infantile, ubi in capite in copia nascuntur pediculi inter pilos.*

In causa est singularis partium nutritiarum, pilorum vel exhalationum aliarum capitis dispositio, quam sæpe causatur ciborum promiscuorum & variorum usus. *Vel si sordium purgatio per lotiones, vel pectinationem haud diligenter peragitur* &c.

Cum verò malum hoc non solum turpe, sed ob pruritum, quem pediculi excitant, admodum tædiosum & molestum sit; imò ex pruritu caput scabie obduci, & tunc commodius pediculorum subtus latentium domicilium fieri soleat; vel si in toto corpore propullulare velint, prout non rarum est, ut pustulis inclusi delitescant, ex quibus si scalpuntur, erumpunt, periculi plenum sit, hinc in tempore occurrendum est.

Præcavetur verò malum hoc in genere bona victus ratione, corporis purgatione, vestimentorum diligenti mutatione, ac crebra capitis pectinatione.

Si verò nunc in copia propullulare incipiunt, nec diligens pectinatio sufficit, tum in usum veniant

niant præter alia ſanguinem, vel primas vias depurantia. *Externa quædam, quæ partim partes pediculorum nutritias abſtergunt*, vel ipſos pediculos enecant.

Fiat verò *Decoctum ſequens* pro ablutione capitis, v.g.

℞. *Rad. Hellebori nigri,*
Ariſtol. rot. aa ℥ß.
Herb. abſinthii,
ſcordii,
rutæ aa m. j.
Pomi colocynth. no. j.
Sem. ſtaphis agriæ ʒij.
Nitri ʒj.

Inciſa & mixta coquantur in ſ. q. aquæ pro lotione capitis; Poſt lotionem verò, quæ aliquoties de die fieri poteſt; inungatur hoc vel ſimile v. gr.
℞. *Cocculor. de Lev.* ʒij. pulvis frixetur cum *butyri* ℥iiij. & in fine adde *Olei Lauri* ʒij. ac *Olei Spicæ* ʒj. M.

Adulti Pediculorum proventum optimè tollunt *Cingulo mercuriali*, vel *Unguento pediculorum*, dicto Reutherſalbe / veſtibus illito, quale hoc eſt *Brandenburgenſium*.

℞. *Rad. Helleb. albi* ʒj.
Pyrethri,
Bacc. lauri,
Sem. Sinap.
Staphis agriæ.
Tartari albi aa ʒvj.

Olei

Olei Lauri ℥ iiij.
Nicotianæ ℥ ij.
Ping. porcinæ ℔ iiij.

Pulverisata omnia macerentur in pinguedine & oleis liquatis horis 24. Postea coquantur leni igne, colentur & fortiter exprimantur. Colaturæ verò expressæ & ferè refrigeratæ admisce subigendo ☿ *vivi* ℥ ij. *Olei spicæ dest.* ʒ j. atque ita servetur pro usu.

Pur-

Purpura *vide* Febris Miliaris.

Rachitis.

EST malum infantibus familiare & ex *Anglia* innotuit primum, *ubi endemium existit.* Nunc verò temporis, in nostris oris etiam fit familiare: & infantes à sexto mense plerumque invadere solet, ubi circa articulos observari incipiunt prominentiæ & quasi nodosæ excrescentiæ, & spina dorsi hinc vel inde incurvari incipit.

Infantes verò hoc malo laborantes in genere habent caput magnum, in quo protuberantiæ variæ observantur. Ac ingenium eorum plus solito est capax.

Præterea *abdomen intumescit, cartilago ensiformis prominet*, & pectus angustatur, ac respiratio fit difficilis, & vix pedibus insistere valent, à debilitate spinæ dorsi, quæ capitis onus sustinere sensim desistit, unde & partium omnium enervatio accedit, donec sic sensim Hectici evadunt, cum tussi, vel aliis tabidorum symptomatibus, &c.

Causa consistit in succi nutritii viscididate ac inæquali distributione, & impedito spirituum animalium libero transitu per spinalem medullam, propter obstructiones plurium tubulorum tam nerveorum quam partes nutritias transmittentium. Ex viscididate verò obstruuntur, hinc inde plures tubuli & glandulæ; circa quas obstructas partes postmodum plures per circulationem advectæ agglomerantur, ut tum illæ præ aliis excrescant; Prout magnitudo capitis, spinæ dorsi & tibiarum incurvatio, atque articulorum protuberantiæ, atque glan-

glandularum mesenterii obstructiones denotant.

Malum verò hoc etsi ex se lethale haud sit, tamen in morbos lethales sæpe degenerare solet, utpote *Phthisin, tabem, hydropem Pulmonum* &c. Quo citius etiam malum hoc infantes à partu aggreditur, eò periculosius est: *Et qui tunc ante annum quintum non sanantur, postea valetudinarii manent.* Si verò longè à partu affligit, vel post Febres ingruit, ac scabies supervenit, & symptomata alia minuuntur, tum salutis spes adest.

Quod adulti hoc malo non corripiantur, causa est, quod caput & ossa legitimam suam magnitudinem & crescendi metam, sint adepta.

In cura hujus mali eo annitendum, ut obstructiones tubulorum nerveorum ac glandularum reserentur, & obstructionis talis causa, humores nimirum viscidi & tenaces incidantur, & per purgantia expurgentur.

SYDENHAM propterea commendat potionem suam catharticam ex *Tamarind.* ℥ß. *Fol. sen.* ʒ ij. *Rhabarb.* ʒ j. in s.q. Aq. coctione paratam, in cujus decocti colati ℥ iij. dissolvit *mannæ el. & syr. rosar. solutivi* aa ℥ j. Et tunc hujus potiunculæ mane propinat cochl. j. vel ij. vel plus aut minus pro ætate infantis, per novem dies, uno tamen vel altero die, si opus, intermisso: & purgatione hac ita moderata, ut singulis diebus, ultra 5. vel 6. sedes haud efficiat.

Postquam catharsis hæc jam peracta est, tum *inungere præcipit Unguent. aliquod aperitivum* ex *Oleo Lilior. alb. Tamarisci* aa ℥ j. *Succi rad. bryon. apii* aa ℥ j. ad succorum consumptionem decoctione paratum, addito *Ung. de althea, & butyri insulsi,*

ſulſi aa ℥j. *Gummi ammon. in aceto ſoluti* ℥ß. & *Ceræ flavæ* q. ſ. Loco ante dictæ potionis catharticæ, commodè *jalapinum aliquod* exhiberi poteſt.

Et poſt catharticorum uſum *antiſcorbutica varia ex lumbricis, millepedibus* &c veniant in uſum. BOYLE ex PARACELSO in hoc malo ſuum extollit *Ens veneris*: HELMONT. ſuam *Tinct. ſuccini*, & alii alia commendant; magis tamen temperata & fixa, quam volatilia conducunt. *Et adultioribus martialia præ aliis conveniunt, cum cinnabarinis, caſtoreo* &c. mihi *loco liquoris C. C. ſuccinati*, aliis in uſu, prævalet *Tinctura C. C. ſuccinata*, inſignis uſus & effectus.

Inter externa conveniunt *fonticuli, veſicatoria, hirudines, cucurbitulæ* &c. item *frictiones* cum pannis laneis calefactis inſtitutæ, *non in partibus excreſcentibus*, ſed concavis; item *Thermæ vel naturales vel artificiales*, *aut fomentationes* ex aqua vitæ, vel vino, cui herbæ aromaticæ odoratæ nervinæ ſunt incoctæ, de hinc applicentur *Empl. Nervina*, infricatis prius *linimentis vel oleis nervinis* &c.

Si ſpina dorſi excreſcit, conſule ea quæ ſupra de Gibbo dicta ſunt.

Et ſi venter, ex glandularum meſenterii obſtructionibus *intumeſcit*, conſule ea quæ ſupra de hoc malo commendata ſunt, &c.

Ranula sub Lingua.

E*St excrescentia quædam membranæ glandularis, sub lingua*, à singulari quadam viscіditate & coagulo lymphæ enata, repræsentans non rarò parvulam, sive succenturiatam linguam, quæ quoniam sensim incrementum sumit, & loquelam impedit, vel balbutire facit; hinc in tempore removeatur tumor hic sive abscessus.

Aliquando verò *abscessus talis continet materiam, albumini ovi similem*, vel continet materiam induratam, aut planè calculosam vel in calculum versam.

Non rarò etiam venæ raninæ ita intumescunt, ut loquelam difficilem reddant.

Pro diverso ergo tumoris talis statu sub lingua, *cura diversa est*

Si namque tumor talis *à tumidis venis raninis* dependet, tum *facilè curatur venarum harum incisione* & sanguine educto. Hoc facto in usu sint collutiones oris, ex *Aqua prunell. fol. quercus, scabiosæ*, &c. *cum lapide prunell.* mixtis. Vel fiat *Decoctum ex herbis emollientibus discutientibus* &c.

Ubi verò Ranula talis ex crassa lympha, in glandulosa linguæ tunica stagnante & incrassata, exorta est, tum fiant collutiones oris cum *Decocto Flor. ligustri, vel Aq. fl. sambuci*, instillatis *Spir.* *ci gtt. aliquot, ut tenacitatem incidat & extrahat.

Et *si Tumor talis à Calculo* esse hariolatur, *is excisione*

cisione removeatur qualia exempla Ephemerides curios. annotarunt.

Si verò materia adeò est indurata, ut scalpello tumore aperto, effluere haud queat, tum ferro candente absumatur, ne recidivet vel revertatur; post inustionem verò *os colluatur cum Decocto Florum prunellæ, fl. sambuc. cum melle rosato commixto*, addito parum *Spir. vini camphorati* &c.

Sin-

Singultus.

INfantes ſæpe moleſtat, *vel à repletione nimia lactis, aut ejus aceſcentia in ſtomacho, vel ſtomacho ab aëre frigido alterato.*

Si repletio eſt in cauſa, tum ſingultum inde excitum, facile ſequitur vomitus.

Si verò corruptela acida lactis cauſam fovet, tum infantes dolent & plorant. & fœces alvi, corruptelæ acidæ, indicium exhibent: Cauſam verò talismodi lactis aceſcentiæ, lac nutricis ipſum ſæpe ſuppeditat.

Cum verò malum hoc *à motu ſpasmodico orificii ſuperioris* excitari ſoleat, & metuendum, ne cauſa diutius hærente alii motus ſpasmodici, vel convulſiones ipſæ combinentur, & reliquo nervoſo generi communicentur, hinc non negligatur malum hoc, diutius affligens, vel ſæpe moleſtans.

Propterea *ſi à lactis corruptela* provenit, ante omnia *vomitus* imperetur.

Poſtea in diligenti uſu ſint *antiacida*; Vel ſi copia ſaltem lactis ſit in cauſa, atque ſic *alimentum nimis copioſum* ſingultum foveat, ei aliquid ſubtrahatur.

Et ſi frigus eſt in cauſa, ventriculus foveatur *Decocto Fol. menthæ, abſinth. rad. cyperi* &c. Dehinc inungatur 🜖 *maſtichino, anethino*, &c. Vel fiat cataplaſma ex *mentha & ſemine anethi* pulv. *ac oleo maſtichino*; aut *Theriaca* applicetur &c.

Siriasis.

DIcitur malum hoc, *si ossa syncipitis*, parte superiore, *ubi sutura coronalis & sagittalis coeunt* ac membranacea adhuc sunt, *subsident & quasi foveam relinquunt*, cum syncipitis calore, faciei rubore, oculorum in specie cavitate, appetitu prostrato & vigiliis &c. nostrates dicunt, das Blat seye ihm gefallen / quoniam locum illum membranaceum, das Blat vocant.

In causa sunt Spiritus singulari modo prostrati, vel pessundati, quorum vigore cerebrum destitutum, subsidet & quasi foveam efformat.

Infantes morbo hoc correpti non facilè evadunt, sed intra triduum intereunt, id quod & suo tempore *HIPPOCRATES* observavit, ubi *aph.* 50. *sect.* 7. expresse ait: *Quibus Cerebrum sideratum est, intra tres dies intereunt, si verò hos superaverint, reconvalescunt.*

Conveniunt verò hic *Clysteres*, & ea quæ ad inflammationes alias conducere solent, externè saltem applicata.

Nutrix utatur Diæta refrigerante, ex lactuca, endivia, cremore hordei, emulf. sem, frig. maj. &c. ac vino abstineat &c.

Stra-

Strabiſmus, das Schielen.

VEl eſt malum nativum *ex vitioſa oculorum conformatione* ortum, *aut ex depravata conſuetudine* contractum, quando infantes continuo oculos ad latus obverſos habent, ut lucem aſpiciant. *Vel dum poſt Epilepſiam aut motus convulſivos*, oculorum muſculi contracturam incurrunt; & *oculi diſtorquentur*.

Ab ortu contractum hoc malum, ut & ſi convulſiones, vel epilepticos motus frequentes inſequitur, vix curam admittit.

Si verò ex mala conſuetudine fuit contractum, tum curam ſuſcipit, modo recenti malo occurratur, cum temporis ſucceſſu incurabile ſimul fieri ſoleat.

Curatur verò malum hoc, ſi lumen in partem oppoſitam, quam oculi præter naturam declinant, ponitur, ut infans fixo intuitu id aſpiciens, in contrarium oculos dirigat. Et hoc tamdiu continuandum, donec oculi in ſtatum naturalem redeunt.

Si tamen hæc methodus haud ſufficiens eſſe videtur, caput infantis & facies obducatur cappâ vel larvâ, cujus foramina ita ſint diſpoſita, ut infans nonniſi in oppoſitam partem oculos dirigere queat, lucem aſpiciendo.

Tabes ſive *Atrophia.*

INfantibus ſæpe peculiari modo accidit, ut ſine cauſa manifeſta contabeſcant, & licet comedant, tamen non nutriantur, nec augeantur.

Et quidem *aliis ex cauſis, quam quibus adulti extenuari ſolent.*

Sic infantibus peculiaris eſt *contabeſcentia ex vitio lactis*, ſi hoc vel deſit, vel haud copioſum adſit, vel vitioſum exiſtat, à quo ſanguis corpori alendo idoneus non generatur &c.

Non rarò enim ab una nutrice infans alitur, & contabeſcere incipit, qui, ſi alteri nutrici admovetur, optimè nutritur & augetur.

Aliam maciei in infantibus cauſam fovent lumbrici, crinones, Faſcinatio &c.

Quælibet verò Tabis taliſmodi cauſa & curatio videntur ſuo loco.

Tinea

Tinea *vide* Cruſta lactea & Favus.

Tormina Ventris.

INfantum vel ventris dolores, frequentiſſimum ſunt eorum malum, & vel ſola, vel cum alvi fluxu ſunt moleſta.

Cauſa utplurimum *eſt Lac in eorum ventriculo in cruditatem acidam verſum,* unde vel flatus generati, vel ipſa corruptela acida & acris, Tormina excitant; Aliquando tamen vermes etiam ſunt in cauſa.

Tormina verò adeſſe facile innoteſcit, quando infantes ſunt inquieti & continuò plorant, atque mammas averſantur, modò huc, modò illuc ſe jactant.

Et ſi flatus ſunt in cauſa, tum dolor per intervalla excruciat, & vel remittit, vel exacerbatur, cum ventris inflatione, ructibus vel ventris crepitu.

Si vero humorum acrimonia acida, cauſam ſuſtinet, Dolor ferè eſt continuus, & excrementa ſunt vel viridia, crocea vel viſcida.

Si vermes adſunt, eorum ſigna eos produnt, quæ videantur titulo de lumbricis.

Periculum mali hujus non eſt contemnendum, cum facile convulſiones accedant, & inevitabile factum, mors ſcil.

Cura ergo eſt maturanda, & ſi à flatibus dolores excitantur, alvusque adſtricta adeſt, tum *Clyſteres* optimi ſunt, *ex Fl. chamom. ſummit. anethi cum Aq. vel juſculo carnis parati & cocti, atq; ſacharo vel melle roſato acuati* &c.

Vel infanti præbeatur ℴ℘ *amygd. d. recens*, & venter ei largiter inungatur *oleo anethino* &c.

Si verò nec clystere, quod aliàs *Syrupi emet.* ℥ j. vel ℥ ij. aut ♀*i emet.* gr. j. acuari potest, alvus sollicitatur, detur hoc vel simile:

℞. *Jalapp.* pl. gr. ij. iij. vel v.
C. C. Phil. pr. gr. vj. ad xij.
Sem. anisi gr. iij.

M. detur infanti aliquot septimanarum pro dosi, cum lacte materno.

Vel ℞. *Auri fulmin.* gr. j.
Nitri crystallini gr. iij.

M. detur infanti aliquot dierum.

Ad causam originalem, corruptelam nimirum acidam corrigendam, ante omnia necessaria sunt antiacida. Inter quæ alii laudant seq.

℞. *Ocul.* ♋ pr. ℥ j.
Cryst.all. pr. ʒ ß.
Sem. anisi ℈ j.

M. Vel

℞. *Ocul.* ♋. pr.
Crystall. pr. aa ℥ j.
C. C. Phil. pr. ℈ ij.
Corall. r. pr. ʒ ß.
Myrrhæ r. elect. ℈ j.
Theriacæ gr. xv.
Olei anisi gtt. iiij.

M. & detur aliquoties de die cuspis cultelli.

Tussis,

Tussis,

ET ei juncta difficilis respiratio, quoniam non tantum vigilias, sed & vomitus frequentes, imo hernias inducere possunt, non negligenda sunt.

Et quoniam tenelli materiam tussim foventem expectorare & exspuere non possunt, sed ut plurimũ eam deglutiendo, stomachum inde onerant, hinc in hoc casu *vomitorium exhibitum optimum est*.

Dehinc dentur ea, quæ pulmonibus subveniunt, & pituitam incidunt, ut leviter expectorari queat;

Optimè verò conducit *Oleum amygd. dulc. cum sperm. ceti*, & *syrupo rosar. solutivo* &c. mixtum & sæpius propinatum.

Egregii effectus item est *Syrupus ex succo pulegii paratus* &c. Vel

℞. *Olei amygd. dulc.*
Looch sani & exp. aa ℥ j.
Sperm. ceti ʒ j.
Syr. de manna ʒ vj.
M. detur sæpius aliquid.

Si materia Tussin excitans est nimis tenuis & acris, optimum est *Diacodium Crocat.* M. Vel.

℞. *Spec. Diaireos* ʒ j.
Flor. ♁.
Boli armeni aa ℈ j.
Sachari candi ʒ ij.
M. detur sæpius cuspis cultelli.

Si verò materia est nimis viscida,

℞. *Syr. de Tussilag. oxymell. squill.* aa. Vel
℞. *Aq. Looch sani,*
Fœnic. aa ℥ j ß.

*Spir. *ci anis.* ℈ j.
Syr. Diacodii ℥ ß.

M. detur sæpius cochleare.

Tussim convulsivam, ab inordinato spirituum motu dependentem, & contumacem, *aliquando sedat terror, ex improviso concitatus.*

Alii laudant vesicas mox in nucha vel retro aures aut in brachiis excitatas, ita ut si prima consolidari rursus incipiat, alia excitetur.

Si medicamentis res videtur peragi,

℞. *Milleped. viv. mundat.* ℥ ij.
Sem. anisi ʒ j.
Sach. alb. ℥ j. contusis affunde
Aq. hyssopi ℥ vj.
Looch. sani ℥ ij.

Et fiat fortis expressio, cujus de die aliquoties propinetur cochleare unum aut alterum.

℞. *Sem. lycopodii* ʒ ij.
Flor. 🜍 ℈ ij.
Sem. anisi ℈ j.

M. & detur mane & vesperi cuspis cultelli in lacte vel alio liquore.

Pro potu ordinario infantibus tussientibus, fiat decoctum ex speciebus pectoralibus.

℞. *Hordei crudi mundi* m. ij.
Rasur. C. Cervi ℥ j.
Siliq. dulc. ℥ j ß.
Dactylorum no. vj
Sem. anisi ʒ j.

Incisa coquantur in Aquæ mens. duabus semis & colatura detur pro potu.

Si

Si Tuſſis Hectica adeſſe videtur,

℞. *Lactis caprilli* menſ. ß.
Aq. Flor. acat.
Tuſſilag.
Scabioſæ,
Hæder. terr.
Veron. aa cochl. iiij.

Ebulliant ſenſim leni igne, & admiſceatur *vitelli ovi* no. 1. cum *mellis roſar.* cochl. ij. & parum *croci*: atque mane & veſperi detur bonus hauſtus.

Vario-

Variolæ.

VIdentur esse, vel revera sunt crisis aut *effectus Febris Epidemica*, quæ infantes præcipuè corripere solet. Quemadmodum enim aër malignus, sive æther peregrinus, pro malignitatis peculiari differentia, modò has, modò illas in humoribus texturæ mutationes involvit, ut vel febris intermittens, aut continua vel dysenteria &c. inducantur, ita & talem humorum corruptionem sive texturæ immutationem involvere potest, ex quâ vel variolæ aut morbilli vel purpura sive Febris miliaris &c. originem sumere possunt, præcipuè in infantibus, quorum humores adhuc lactei, vel è lacte constantes, longè aliter sunt dispositi, quam adultorum in genere; Propterea que ab æthere peregrino, sive aëre maligno & contagioso, longè aliam corruptionem, quam in adultis subire possunt.

Et hæc *varia aëris malignitas*, sive constitutio humorum diversa, *diversam variolarum, modo benignarum, modo magis minus malignarum, faciem inducere potest.*

Dantur namque variolæ sæpe adeò malignæ, ut non tantum exteriores, sed & internas partes sive viscera adeò corrumpant, *ut non tantum dispositionem phthiseos, hydropis, sed & ipsam dysenteriam relinquant*, vel præter musculosas, sive carnosas partes, *ipsa ossa corrodant*, vel instar Luis venereæ labefactatis cubiti, carpi, genuum & pedum dearticulationibus movendi potestatem adimant &c.

Sem-

Semper verò ferè contagiosæ esse solent infantibus variolæ. Et licet infantes plurimi variolis vel & morbillis corripiantur , ad quos contagium haud pervenit, ex sola nimirum aëris constitutione maligna, tamen infantes cum aliis infantibus, variolis vel morbillis laborantibus , conversantes utplurimum ab illis inficiuntur , & eodem morbo corripiuntur.

Duo verò Febrium genera in variolis sæpe accidere solent; Sic in variolis discretis, sive paucis& benignis , post earum eruptionem sufficientem , Febris evanescere planè solet. Ubi verò copiosæ nimis sunt & parvæ, vel & confluentes, tum , si suppurare incipiunt, tota cutis sæpe intumescit & inflammatur , unde etsi prior ferè evanuerit , nova accenditur Febris, quæ interdum periculosior est, quam prior, & non prius cessat, donec variolæ exsiccari incipiunt.

Præservationem hujus mali quod attinet, an nimirum tutum & bonum sit à variolis infantes defendere , notandum eam omnino necessariam esse , si variolæ sunt malignæ, à quibus infantes plurimi trucidantur.

Instituitur verò præservatio talis vel aëris mutatione, vel medicamentis adhibitis.

Ubi verò variolæ grassantur benignæ, ubi plerique evadunt, tum non necessarium , nec tutum est aërem mutare, cum fortè alio, & periculosiori tempore morbus hic omnibus fere familiaris sustinendus foret. Non inutile tamen tunc erit , præ ætatis ratione , vel corporis constitutione infantes leniter purgare , & ruditates in primis viis, si adsunt,

& qui

& qui malum exaſperare poſſunt, ſubtrahantur. Hunc in finem

℞. ☿ *dulcis* ℈ß.
Diagrid. ♁*rati* gr. iiij.
M. detur infanti decem annorum pro doſi. Vel
℞. ☿ *dulcis* gr. v.
Jalapp. pl. gr. j. & ij.
Sachari parum.
M. detur infanti unius anni.

Vel detur vomitorium aliquod conveniens antimoniatum, ſic non tantum ſæpe præcaventur variolæ; vel ad minimum ſymptomata graviora præcaventur & avertuntur, ſed & abundantia variolarum reprimitur; vel aſſimilatio laudabilium humorum avertitur.

Præſervationem mali hujus alio modo inſtituere docuit *SYDENHAM* per acidos ſpiritus; qui humorum texturam magis firmam reddere ſolent, ut diſſolutioni leviori tam citò haud ſubjecta extet.

Applicari verò ſolet & debet præſervatio talis tempore variolarum graſſantium, infantibus adhuc omnino ſanis.

Si verò Febris jam præſens eſt, tum præſervatio locum amplius haud habet, ſed tunc danda opera ut variolæ maturè erumpant.

Et ſi Medicus vocatus, ad ægrum demum venit, variolis nunc in conſpectum prodeuntibus, & omnia ſe legitime habere obſervat, ita ut nec Febris amplius exorbitet, nec mitius nimis agat, id quod ſymptomata & tolerantia indicabunt, tunc ſpectatorem agat: Vel ſuppurationem ſaltem promoventia ultimis diebus adhibeat ex ♁ *Diaph. Ocul.* ♋. *myrrha*

myrrha &c. utpote quæ per plures dies repetita sanguinem suo vigori optimè restituunt.

Si verò grassantur variolæ magis malignæ vel confluentes, ubi plures intereunt, tunc ante omnia *præcaveatur, ne major humorum circulantium pars præcipitetur*, fieri hoc ante omnia solet denegato hypocausti calidioris vel lecti subitaneo usu, nec non medicamentorum calidiorum & expellentium abstinentia.

Neque prius ad lectum damnetur, aut hypocausto calido includatur æger, antequam variolæ nunc egressæ sunt; *melius verò febrilis æstus temperatur, aëre frigidiori hausto, quam omnibus refrigerantibus aliis adhibitis.*

Optimè etiam materiæ variolosæ *assimilationem inhibent anodina*, teste SYDENHAMMO, qui propterea ante omnia hic laudat *Syrupum Diacodii* ab ℥ß. ad ʒvj. & ultra adultis exhibitum.

Sed si materia variolosa nunc in copia præcipitata, ubique exitum quærit, & vomitus enormis se jungit, *tum secetur vena in brachio, & post aliquot horas propinetur vomitorium*, ut materia in primis viis ferociente rejectâ, æger interdiu eo melius è lecto abesse queat, donec variolæ omninò nunc sint egressæ.

Sed si magis benignæ observantur variolæ, tum non necessum est, ut æger à lecto arceatur, sed pro lubitu eo utatur vel includatur: id quod & observetur, *si infantes ante eruptionem convulsionibus tentantur, tunc quoniam tales rarò variolis confluentibus infestari solent, lecto pro lubitu tutius concredi possunt primis diebus.*

Si autem infantes semper dormiunt, vel comate somno-

ſomnolento afficiuntur, tunc ſignum eſt variolas admodum eſſe confluxuras, vel in copia emerſuras, propterea *diligenter propinentur anodyna*, *Syr. Diacodii* &c. & à lecto arceatur æger.

In genere obſervetur, omnium tutiſſimam variolas tractandi methodum eam eſſe, quam ipſa natura monſtrat, & cum hæc ab initio vix cognoſcatur, an ſcil. magna humorum pars præcipitata adſit, vel præcipitari velit, aut non; hinc ante omnia ab initio Medicus ſpectatorem agat, niſi ſymptomata aliud ſuadeant, & vel copioſam materiæ varioloſæ aſſimilationem denuncient, vel nimis lentam expulſionem indicent.

Quâ ratione verò materiæ varioloſæ præcipitatio nimia præcaveri debeat, optimè præ aliis docuit modò dictus SYDENHAM.

Ubi verò humorum viſciditas adeſt, quæ tantam præcipitationem haud admittit, vel præcipitatas particulas ægrè dimittit, *tunc neceſſaria ſunt ea quæ humorum & ſpirituum motum intendunt*. Veteres hunc in finem admodum commendant *ſemen aquileg. napi, card. bened.* &c. & ex his paratas emulſiones &c.

Recentiores laudant *Tinct. Bezoard. vel Eſſ. myrrhæ cum menſtruo volat. paratam*. Vel & *Pulveres Bezoardicos* &c.

Sic ubi variolæ nimis tardè erumpere obſervantur, & tamen ſymptomata gravia indicant, plures præcipitatas partes in humoribus adeſſe,

℞. *Pulv. Bezoard. Senn.* ʒj.
⊖*is card. ben.* gr. xv.
Myrrhæ el. gr. x.
M. detur pro tribus vel quatuor doſibus.

Vel

Vel ℞. *Pulvis Anglici* ℈ j.
Myrrhæ el. gr. iij.

M. pro dosi cum emulsione ex seminibus ante dictis propinanda.

Si adulti variolis affliguntur, in quibus ob cutis densitatem materia variolosa difficulter expellitur, tum *præter Venæ Sect. quæ hic semper necessaria est*, instituantur *externarum partium frictiones*, ut pori magis dilatentur.

Imò *Vesicatoria applicentur*, ac diu serventur apertæ vesicæ, imposito *Empl. Diapalma*, cum parum *Empl. Vesicatorii* remixto &c.

Et si in infantibus variolæ retrocedere, vel ante tempus evanescere velle videntur, tum *præter vesicatoria* applicata, detur *Essentia myrrhæ cum Spir. *ci remixta*, vel *Elix. Propr. CLAUDERI* &c.

Symptomata quæ variolas aliàs præcedere vel denunciare solent, varia sunt & diversa, in genere verò invadere solent variolæ cum horrore & calore febrili, insequente lassitudine & languore universali, dorsi dolore, nausea, vomitu, cephalalgia, vigiliis, tussi, &c. quibus non raro combinantur tremores vel convulsivi motus:

Et si præcipitatæ particulæ nunc cutim perforare & cumulari incipiunt, tunc sentiri incipit pruritus in cute punctorius; Oculi rubere & lachrymari incipiunt, Nares pruriunt, & raucedo se jungit &c.

Ex omnibus his *magis considerari merentur vomitus & convulsiones*, si modum excedunt, vel variolis egressis persistunt.

Aliàs *vomitus*, quoniam *leviorem morbi cursum indicat*, non est cohibendus, sed potius adjuvandus. Nisi immoderatus sit, & diutiùs duret, ac materiam variolosam nimis copiosam existere denotet, quo in casu suasu SYDENHAMMI *secetur Vena*, & postea *vomitorium propinetur*. Vel & *externa de vomitu commendata* applicentur.

Ad convulsiones præcavendas optimè conducit vomitus concitatus per *Sulfur auratum* ♁*ii ultimæ præcipitationis & alliati odoris*, vel simili ♁iato.

Ubi verò in variolarum incremento accedunt, tum exhibeantur *Pulveres antiepileptici*, *cinnabarini*. Vel exhibeatur *Tinctura anodina*, & reiteretur, quoties opus, cum convenienti vehiculo

Variolis autem erumpentibus, *cura habeatur, ut partes nobiliores*, *Facies scil. Oculi & fauces defendantur*, ne detrimentum capiant.

Ad defendendam verò faciem, ne cicatricibus deturpetur, statim ante eruptionem *facies illinatur Oleo amygd. dulc. aliquoties, & desuper ponantur folia auri & integra facies deauretur*, ut sic poris in facie occlusis variolæ se exerere haud queant. *Pedes verò immergantur sæpius lacti calido*, ut in illis feracius propullulent.

Vel foveantur pedes *vapore decocti herbarum emollientium* sæpius.

Aut, SYDENHAMMI consilio, *plantis pedum admoveatur allium contusum & linteo involutum*, à die octavo, ubi facies intumescere incipit, donec morbus omni periculo vacat, singulis die-

bus

bus renovando, ut sic materia acris à capite derivetur, aliàs confluxura.

Si verò variolæ nunc omninò egressæ sunt, & ad maturationem tendunt, tum *procuretur, ut citissime exsiccentur*, id quod præstat præ aliis *cerevisia secundaria recens, lupulata, nondum tamen fermentata, & cum Oleo* ♁*i per deliq. parum alcalisata,* quâ sæpius humectentur pustulæ.

Vel fiat *Linimentum sequens*, mediante quo illinantur pustulæ, dum siccari incipiunt.

℞. *Ossium pedum vitulin. & vervecis* q. l. coquantur probe, & tunc medulla eximatur.

Hujus medullæ ex ossibus coctis sume ℥ ij. *& medullæ ex ossibus non coctis* totidem uncias, ac supra ignem leniter liquefactis, adde *mastichis pulv.* ℥ ij. & tandem adde *Balsami Indici albi* gtt. 30. & si refrigerata sunt, laventur aquâ quadam vulneraria, ut albescat linimentum, quod tunc servetur.

Hoc linimento illinatur facies, quando variolæ exsiccari incipiunt, singulo die. Et si squamæ deciderunt, & foveæ relictæ sunt, tum per dimidium annum singulo die illinatur facies, donec foveæ sunt complanatæ rursus. Et si foveæ sint nimis profundæ, tunc oportet, ut per integrum annum facies illinatur. Sic majores foveæ consolidentur rursus.

Ad Oculos defendendos.

℞. *Sem. Sumach. grosse contusi* ℥ ß.
Aqu. plantag.
Rosar, aa ℥ iiij.

Bulliant parum, tunc adde *Croci* pl. ℈ß. M. & circa oculos illinatur.

Non absque effectu item erit *alumen cum albumine ovi tritum* & applicatum.

Et si palpebræ à materia viscida cohærent, applicetur *decoctum malvæ, meliloti, lini* &c. ut reserari queant Oculi, ne sanies noxam inferat.

Si verò post variolas oculi pustulis notantur, & defœdantur, tum diligenter instilletur *collyrium ex croco metallorum confectum*, & *vesicæ excitentur* in nucha, vel retro aures & diutius serventur apertæ.

Ne fauces copiosis variolis obsideantur, ab initio statim in ore detineantur *gargarismi leniter adstringentes*, vel similia de angina tradita.

Diarrhœa si egressis variolis, critico quasi motu, se jungit absque pustularum recessu, non sistenda est.

Si verò primis diebus accedit cum variolarum recessu vel nimis tardo egressu; tunc Bezoardicis de Diarrhœa laudatis sistenda erit. Et ut variolarum egressus promoveatur brachiis & fœmoribus applicentur vesicatoria juxta ductum majorum venarum.

Si in Pulmonibus stagnans acris lympha metum phthiseos relinquit, tunc vesicatorium applicetur cervici & exhibeantur grana aliquot *laudani*, sic defluxio tenuis raucedinem inducens, & suffocationis metum incutiens mox cessabit.

Diæta

Diæta in hoc malo sit tenuis, ex juseulis hordeaceis & avenaceis constans, neque caro ulla concedatur, nisi post massæ sanguineæ omnimodam depurationem; bonum tamen est, si ægressis variolis appetitus redit.

Pro potu fiat decoctum ex hordeo, Rasura, C. Cervi, Rad. Scorzon. Dactylis &c. Instante verò maturatione suasu SYDENHAMMI concedantur aliquot cochlearia vini.

Vertebrarum Colli Luxatio.

QUando infantes luxationem talem incurrunt, tunc *vexantur vomitu & febrili calore, cum inquietudine, vigiliis, diarrhœa*, ac tandem atrophiam lethalem incurrunt.

Cognoſcitur luxatio hæc, ſi infans genua ad oculos inflectere, eiſque difficulter imponere poteſt, ac faciem prominentem acquiſivit.

Roonhuyſenius Chirurgus, curam hujus mali hâc methodo inſtituere docet, infans nimirum attollatur capite, manibus infra aures apprehenſus, & caput huc illuc vertatur aliquoties, tum verò reponatur infans capite antrorſum inclinato: & ſi luxatio reſtituta eſt, tum ſubitò omnia ſymptomata, vomitus ſcil. & reliqua, ceſſabunt.

Dehinc ad confortandos nervos externè adhibeantur *Balſamica Nervina*.

Ad Diarrhœam verò ſiſtendam exhibeatur *ſuccus cydoviorum, cum vino canarino* &c.

Vomitus

Vomitus.

LIcet in infantibus plerumque nihil periculi portendat, cum tamen, si diutius durat, atrophiam inducere queat; vel & lactis corrupti effectus, & pejorum symptomatum causa esse soleat, hinc non omnimodè negligendum est malum hoc.

Si tamen à copia lactis excitatur vomitus, nil periculi habet, & post vomitum talem, infantes melius digerere solent. Accidere verò facile solet, ut Lac, quod infantes sæpe nimis avidè sugunt, in ventriculo acescat & corrumpatur, hinc melius & salubrius omninò est, si corruptelam talem acescentem rejiciunt rursus, quam si in abditas corporis partes eam admittunt.

In cura mali hujus, *si à copia lactis dependet, detrahatur aliquid copiæ lactis.*

Si verò *à lacte corrupto* ortum habet, vitium hoc emendetur *antiacidis absorbentibus vel edulcorantibus*, aut vomitorio insuper adhibito.

Externè verò ventriculo applicetur *Empl. de crustapanis, Empl. stomach. Regium Zvv.* &c.

Vel ℞. ℴℴ *Mastichin.*
Cydon.
absinth. aa ℥ ß.
Nucistæ ℈ j.
Caryophyll. gtt, iij.
M. & illinatur sæpius.

Vel ℞. *Panis tosti, & aceto rosaceo madefacti* iterumque expressi ℥ j. *Olei rosacei* q. s. *Mastichis, thuris, Flor. rosar.* aa ʒ j. *Caryophyll.* ℈ j. M. fiat Cataplasma, quod parum calidè applicetur.

Urina.

Urinæ Difficultas.

NOn adultis ſolum, ſed & infantibus ſæpe accidere ſolet, *aut à calculo, vel materia alia craſſa & viſcida*, unde vel ſtranguriâ, aut iſchuriâ ipſâ moleſtantur.

Iſchria ſive retentio urinæ per ſe patet. Difficultas verò cognoſcitur, quando cum fletu & guttatim urinam reddunt, ipſaque urina eſt craſſa & turbida.

Curationem vide de calculo aut iſchuria &c.

Urinæ incontinentiam, quâ infantes non rarò moleſtantur, vide priori in parte.

JOHANNIS HELFRICI JÜNGKEN,

M. D. & Physici Francofurt, Ordin.

MANUALIS PRAXEOS MEDICÆ MODERNÆ

PARS TERTIA.


Morbos

Chirurgicæ Medicinæ Parti partim adscriptos

In Compendio sistens.

Abſceſſus.

I.



St tumor intra hanc vel illam partem corporis internam, *ſivè muſculoſam, glanduloſam, aut membranoſam, vel parenchima cujusdam viſceris*, ex humorum circulantium, ſenſim facta ſtagnatione, & in pus converſione, enatus.

II. Tumor talis *pure repletus, in ſpecie abſceſſus* vel apoſtema dicitur, *quod dum vel ſponte, vel arte aperitur, ulcus conſtituit.*

III. Si verò legitimo ſuo tempore abſceſſus non aperitur, tum *pus morâ acrius redditum*, & acore & pondere *ſibi varias vias*, intra muſculorum cavitates & vacua quærit, & eundo varios cuniculos efficit, & cavernas, quæ *ſinus vocantur.*

IV. Talis ſinus, ſi tandem perruptis clauſtris in ulcus degenerat, & ejus orificia calloſa & dura evadunt, tunc *Fiſtula audit.*

V. Dum vero abſceſſus fieri incipit, tunc illo in loco percipitur *dolor, calor, rubor, roſio, tumor, pulſatio, ac febris jungitur*, & hæc Symptomata ægrum excruciant tam diu, & exacerbantur, donec humores ſtagnantes in pus ſive abſceſſum fuerunt verſi, quo tandem confecto & maturo, omnia ſymptomata remittere incipiunt, & mitiora evadunt.

Hæc verò actio, dum humores ſtagnantes in purulentam materiam convertuntur, & corrumpuntur, *vocatur ſuppuratio*, ubi incipiens ſtagnatio, inflammatio audit.

VI. Quò verò abscessus talis anticipetur, & in principiis suffocetur, vel in suis quasi incunabulis enecetur, *ante omnia inflammatio tollatur, quâ neglecta verò prospiciatur, ut humorum stagnantium & partium solidarum destructarum suppuratio legitimè promoveatur; & tunc facta, bene curetur.*

VII. Fieri verò hoc solet *maturando sive convertendo, humores stagnantes, cum partibus solidis corruptis, in fluidum spissum, sivè pus;* & emolliendo externa involucra sive cutem, ut facilis sit apertura; atque concoctum pus per hanc legitimè elimine-tur; locus verò exulceratus tunc optimè mundetur & consolidetur.

IIX. Hunc in finem *Applicanda sunt talia; quæ calorem partis, modicè augent & fovent*, qualia sunt, *cæpæ sub cineribus assatæ; Folia tabaci, synapi, crocus:* & ex gummatibus *galbanum, sagapenum, bdellium, Opoponax, aloes, myrrha*, &c.

Tum ea quæ cutim quasi occludunt, ne partium agentium, & sese invicem confringentium vis extrorsum versa pereat, sed intus retusa vigeat, & intendatur potius; & talia partim sunt viscosa, utpotè farinacea, *ex sem. lini, hordeo, lupino, orobo* &c. partim emollientia, utpotè oleosa, qualia sunt *butyrum insulsum, pinguido anserina*, dehinc *Bulbi liliorum alb. herb. malv. althea, parietariæ, verbasci, mercurialis, Flor. meliloti. sambuci*, item *Ficus pingues, caricæ* seminibus suis orbatæ & leniter tostæ, *mel* &c.

Et si his pro tumoris & doloris ratione & morbi statu electis & applicatis, omnis materia stagnans suppuravit, & locus affectus, *ex fluctuante pure* nunc mollis, albus, mucronato vertice elatus, ap-

paret,

paret, tum in parte molli, tenera & acuminata, ſi per ſe clauſtra ſua haud perrumpit pus, aperiatur ſcalpello abſceſſus juxta decurſum fibrarum, tam profundè, ut pus commodè effluere queat, ea tamen cum cautela, *ut arteria, vena & nervi evitentur.*

Pus verò ſucceſſivis vicibus, leni motu educendum eſt, ita tamen, ut nimia evacuatio evitetur: Et ut ſolidarum partium fragmenta forte dilacerata, & nondum in pus redacta ſimul digerantur, & in pus convertantur, applicandum erit *Digeſtivum ex therebinthina clara, vitellis ovorum, & ung. baſiliconis factum*, ut ſic ulcus nunc factum, mundetur, & filamenta ac vaſorum abraſorum flocci conſumantur, & latera ubique æqualia & ſana reddantur.

Ulceris verò nunc mundati fundus & labia illinantur *Balſamis vulnerariis & nervis amicis*, qualis eſt *Balſamus Arcæi*, vel ſimilis, ut his canales molles & Extenſiles reddantur, ut humores per eos fluentes ſani ſerventur, neque aere lædantur.

Ad retinenda verò talia Balſama & aëris irruentis impetum, vel peregrina irruptura, arcendà, deſuper applicetur *Emplaſtrum defenſivum*, faſciis idoneis. Sic Ulceris cavitatem, ſolidarum partes nutritiæ, ſenſim canales ſuâ continuitate ſolutos elongando, eisque detrita apponendo, implent, reſarciuntque.

IX. Originem mali hujus quod concernit, *cum ex humoribus circulantibus malè diſpoſitis*, & ab aci-

do ſingulari, in coagulum pronis, dependere ſoleat, hinc præter externa modò commendata, in diligenti uſu ſimul ſint medicamenta interna, quæ generalem omnis coaguli in humoribus cauſam, acidum nimirum abſorbendo, eos attenuant rurſus, & à Stagnatione vindicant.

Præſtare hoc ſolent præter univerſalia, primas vias à ruditatibus liberantia, *edulcorantia nimirum, ſive acidum abſorbentia varia*, qualia ſunt *Decocta vulneraria, Decocta Lignorum*, & *ex* ♄*io parata, Tinctura, Diaphoreticum*, *vel antihecticum dictum* &c. nec *oculi cancri* hic exulent, cum *cryſtallis mont.* ppt. utpote in acido abſceſſuum corrigendo, vel abſorbendo non minimam navantes operam.

Nec hic excludantur pro circumſtantiarum ratione *Eſſentiæ vulnerariæ ex Balſ. Peruv. ſale volatili oleoſo*, &c. conſtantes. &c.

Externè verò eò laboretur, *ut incipiens Stagnatio, ſive inflammatio, in prima quaſi herba ſuffocetur*, modò locus ita ſit diſpoſitus, ut medicamentum applicatum locum affectum attingere queat: Quæ verò hoc præſtant, ſunt præ aliis *Tinctura ſulfuris, ſive Elixir Balſamicum* à me ſæpius laudatum & expertum.

Ubi autem hoc malum tantum acquiſivit incrementum, ut omnibus ad diſſipationem, ſive incipientem ſtagnationem reſolvendam fruſtra adhibitis, materia jam ſtagnans *ad ſuppurationem tendit, hæc omni modô adjuvetur*, prout ſupra dictum per cæpas ſub cineribus aſſatas, & alia §. octavo [illegible]ta, inter quæ tamen alii eminere dicunt

cunt *Lac, in quo ſapo Venetus fuit coctus & ſolutus*. ac linteis multiplicatis ſæpius applicatus; hoc namque, admodum maturare, & abſceſſum aperire, præaliis prædicatur. &c.

Aegylops.

Ægylops.

I.

QUando glandula lachrymalis à sero crasso obstruitur, & in abscessum abit, tum *tumor dictæ glandulæ dicitur Anchylops:* dum verò *abscessus* nunc rumpitur, & *in ulcus abit, vocatur Ægylops*; & si acrimonia materiæ in pus versæ tanta est, ut cuniculos efficiat, & plures partes vicinas corrodat, canaliculi verò hi ex corrosione facti callo intus obducuntur, tunc *Fistula glandulæ lachrymalis audit.*

II. *Cura* hujus mali antè omnia *tentetur, quando glandula lachrymalis dolere & tumere incipit*, & antequam Anchylops sive incipiens abscessus glandulæ, exulcerari incipit, & in Ægylopem migrat.

Præstant hoc ea quæ modò de abscessu præcavendo commendata sunt. *Incipiens nimirum inflammatio sive obstructio vel stagnatio humoris serosi vel lymphatici*, glandulam alias libere perfluentis, *discutiatur, applicato, Elixirio meo Balsamico*, vel aliis spirituosis, qualis est *Spir. vini parum camphoratus*, vel *Aq. Reg. Hung.* &c.

Oculus diligenter suffiatur per accensum *succinum, mastichen.* &c.

III. Ubi verò tumor discuti haud potest, tum ad suppurationem sive maturationem progrediatur *per cataplasmata* de abscessu commendata, Vel

℞. *Mica*

℞. *Micæ panis albi* ℥j.
Flor. meliloti pl.
Bulb. Lilior. alb. aa. ℥ß.
Croci ʒj.
Lactis, q. s. Fiat s. a. Cataplasma, quo diligenter foveatur locus affectus.

Et si abscessus nunc ad maturationem sive suppurationem pervenit, in tempore aperiatur scalpello, ne pus subjectum ulterius corrodere pergat.

Dehinc factum ulcus mundetur, & ut de abscessu dictum consolidetur.

IV. Si verò abscessus diutius delituit, & metus adest, materiam purulentam corrodendo partes vicinas, & ossa jam corripuisse, tum ex *Ung. Aureo*, & ☿ij *præcipitati rubri* p. vj. & *aluminis* p. j. fiat mixtura quæ applicetur, donec os in conspectum venit, & si hoc nulla labe inquinatum apparet, Ulcus linteis carptis siccetur, bis de die mutatis, ac sic sensim consolidetur.

V. *Si verò os denudatum, carie infectum esse videtur*, tum instrumento idoneo abradatur, id quod inquinatum existit; & postea consolidetur.

VI. Et si in Fistulam abscessus nunc abiit, tum cuniculi callo obducti, instrumento idoneo discindantur, & os denudetur sensim, & quod cariosum apparet abradatnr & mundetur.

Sed cum operatio hæc nimis laboriosa existat, *plures commendant ulcus & os cariosum inurere cauterio actuali* per cannul am ex argento factam, ne oculus à ferro candente lædatur. Cannula verò fortiter loco affecto applicetur, ut forti hâc compressione sensus aliqualiter obtundatur inter inu-

rendum. Et ſi inuſtione factâ os denudatum cariosum exiſtit, tum inuſtio reiteretur, & tum ad modum aliorum ulcerum tractetur & curetur.

Applicetur verò Fiſtulæ apertæ *Eſſ. myrrha & Aloes cum Elix. vita* &c. & *Aq. Flor. Sambuci, in collyrium mixta.* &c.

Albugo.

Albugo.

I.

EST *macula alba tunica cornea*, vel *ex coagulo* materiæ impactæ, vel *nutritiæ lymphæ*, aut à cicatrice post vulnus vel ulcus remanente, & visum lædente, enata.

II. In curatione hujus affectus observetur, an sit incipiens vel confirmatus, aut à cicatrice enatus.

Incipiens namque curationem sæpe admittit, confirmatus raro, prout ille à cicatrice productus.

Laudantur verò ad incipientem maculam abigendam, *resolventia & attenuantia tam interna quam externa.*

III. Inter Interna prævalent *Pilulæ ophthalmicæ* sive cephalicæ laxantes, *lunâ decrescente*, aliquoties exhibitæ, ex *Extracto marocostino Pil. Lucis maj. de succino Crat. cum Diagridio acuatæ* &c.

His intermedientur cephalica alia ex *Herb. anthos, lavendulæ, euphrasia, salvia, trifol. fibrin. Thea, calam. aromat.* &c. in modum Theæ in infuso bibita.

Poterit item fieri *sal. vol. ol. ex specificis cephalicis variis*, vel in diligenti usu sit *vinum Medicatum* ex herbis variis cephalicis & aromaticis constans, de quo in prandio & cœna sumatur primus haustus.

IV. *Inter Externa* admodum commendatur *Aqua ex succo anagallidis destillata*; Alii *aquam*

Reginæ Hungariæ ad aliquot saltem guttulas sæpius instillatam, mirè commendant, ubi alii *liquorem ex felle & Hepate mustelæ piscis*, præ aliis extollunt.

Alopecia,

Alopecia, ſive *Capillorum defluxus.*

I.

EST affectus capillis proprius quando à ſingulari acrimonia ſucci capillorum nutritii, aut à ſingulari pororum cutis flacciditate decidunt.

II. Pro diverſo verò capillorum decidendi modo & cauſæ acrimonia diverſa ſortitur nomina. Sic *veteres* illum decidendi modum *Aream vocarunt*, ubi capilli areatim decidunt. *Ophiaſin* autem quando pili cū radicibus ab occipitio inceperunt in utroque capitis latere, per tempora uſque ad frontem defluere ſerpendo. Calvities verò in conſpectum demum venit, & fit, quando in ſyncipite potiſſimum pili decidunt, nec renaſcuntur.

III. Præter ſingularem verò ſucci nutritii acrimoniam ſanis aliquando couſuetam, & capillorum defluvium producentem, non raro ſymptoma eſſe ſolet *Phthiſeos*, *Elephantiaſis aut Luis venereæ*, vel *contumacioris doloris căpitis*, aut quando *poſt Febres ardentes effluvia acria* ad peripheriam corporis detruſa, *radices capillorum corrumpunt*, & decidere faciunt.

IV. Aliquando tamen Alopecia non tam ab acrimonia nutritiarum partium pilorum radices erodentium, *quam à calore nimio poros cutis rarefaciente aut nimis patulos reddente* oriri ſolet.

Sic familiare videmus eſſe animalibus nonnullis ut illis æſtate pili defluant, poris vero à frigore clauſis non item.

Et inde est quod capillorum hoc vitium à Vulpe, qui Græcis ἀλώπηξ audit, nomen fuerit sortitum, utpote cui animali hoc vitium præ aliis solet esse familiare.

V. Observamus etiam quod, *quo pori cutis sunt solidiores & firmiores*, *eò densiores & hispidiores efflorescere pilos*, & contra, ubi pori cutis magis sunt flaccidi, eò teneriores, & flaccidiores enasci pilos.

Etsi verò malum hoc *præter turpitudinem nil periculi* habere soleat, quin tamen luis venereæ suspicionem quis inde incurrere posset, *curatio tentetur.*

VI. Et hæc quidem, *tam internis quam externis adhibitis*, etenim si à lue venerea malum dependet, hoc nunquam curabitur nisi morbo hoc sublato.

Quo tamen malum inveteratum magis est, eo difficilius curatur. *Ophiasis tamen præ alopecia semper difficilioris curationis esse solet*, à singulari acrimonia originem trahens, unde non tantum capilli cum radicibus decidunt, sed & ipsa cutis eroditur, quod in alopecia haud fit.

Et si à Lepra capillorum defluvium accidit, incurabile existit.

VII. In curatione *ante omnia corrigatur humorum acrimonia*, tam universalibus, quam particularibus acrimoniam humorum corrigentibus internè exhibitis.

IIX. Dehinc *si à defectu partium nutritiarum* capilli defluunt, illæ restituantur diæta conveniente & humectante, ac loca capillis nunc denudata, per frictiones disponantur, ut partes nutritiæ pedem rursus figant, & capillos denuo producant.

IX. Ubi

IX. Ubi verò abſque ſingulari cauſa manifeſta, vel poris à calore vel interno, vel externo, magis patulis factis capilli decidunt, tunc in uſu ſint ea quæ ſingulari proprietate capillorum incrementum adjuvant, qualia ſunt *abrotanum; Capillus Veneris, Spica, Radix urtic. maj. lapathi, Folia buxi, Sem. fœnugræci, Gummi Ladanum* &c.

De Foliorum buxi Decocto cum Lixivio communi ſaltem facto Cl. Lentilius ſingulare communicat experimentum, ubi ancilla ruſtica, hoc Decocto in facie ſæpius lota, hirſuta quaſi evaſit.

Sic & *Decoctum ſem. fœnugræci* efficit, ut pili admodum propullulent. Vel

℞. *Radic. lapathi maj.*
Urticæ maj. aa. ℥ij.
Herb. abrotani.
Roris marini aa. p. ij.
Sem. fœnugræci ℥j.
Gummi ladani ℥ß.

Inciſa coquantur *in lixivio communi*, & hoc Decocto tunc lavetur caput calidè, & detergatur calidè.

Amaurosis.

I.

VUlgo gutta serena, sive suffusio nigra audit, der schwartze Stahr / ubi ægri serenis, & apertis quasi oculis cæci sunt, in oculis namque tali modo affectis quoad externum aspectum plerumque nullum animadvertitur vitium.

II. *Causa vel in spirituum animalium defectu, vel in nervi optici singulari obstructione*, influxum spirituum animalium impediente, consistit.

Nonnunquam affectus hic subitò accidit, & aliquando subitò rursus cessat.

III. Si tamen debilitas visus singularis, amauroseos sivè guttæ serenæ metum incutit, tum ante omnia eò allaborandum, *ut obstructio nervi optici quoad possibile reseretur, per nervina aperientia*, qualis mihi præ aliis est *Tinctura CC. succinata*. Veteres *Radici Valerianæ* miras adscribunt vires ad tollendam visus imbecillitatem.

Vel *ex herbis cephalicis cum Ligno sassafr.* &c. fiat infusio Theæ instar, & cedat in usum continuum.

IV. Si tamen his diu exhibitis nullum sentitur levamen, tum *ad vesicatoria, fonticulos, vel ipsam setaceorum carnificinam* fiat accessus, vel his nil juvantibus *ad salivationem deveniatur.*

V. *Amblyopia* visus obscuritas & hebetudo est, quâ senes vulgo laborare solent, & confortantibus tam internis quàm externis corrigi solet; plures propterea hoc in casu tam internè quàm externè admodum commendare solent *Aquam Reginæ*

Hun-

Hungariæ, cui ego admodum præfero meum *sal volatile Oleoso-Balsamicum, aut Essentiam Apoplecticam*, internè ad guttulas 30, vel ultra exhibitam *cum Aq. euphrasiæ* &c.

Ambustio.

I.

AMbustionis vulgò tres dantur gradus: *primus*, dum cuticula saltem est ambusta, & à cute separata: *secundus*, cum cutis ipsa ab igne est corrupta, *tertius* autem cum cuti subjectæ partes, caro videlicet, ac tendines &c. sunt combustæ.

II. Comburuntur verò partes *vel igne ipso*, *vel mediante aqua aut oleo fervido*, *metallis igne fusis*, *pulvere pyrio* &c.

III. Quo profundior tamen est combustio, eo periculosior existit: Si enim majora vasa, tendines vel nervi ipsi, per combustionem sunt corrupti tunc gangræna vel sphacelus facile se jungit, & membra fiunt mutila, vel si oculi graviter comburuntur, cæcitas solet esse consequens.

IV. *Si levi ambustione* cuticula saltem est læsa, prout ignem tractantibus sæpe accidit; tum crispatura fibrillarum cuticulæ, levi opera restituitur, *parte læsâ igni propius admota*, fortiori namque igne, fibrillæ crispatæ extenduntur rursus, ac dolor cessat.

V. Ubi verò graviori combustione cutis adeò læsa existit, ut pustulæ exoriantur, tum subitò applicetur *vinum calidum*, *multo sale imprægnatum*; Sic major pustularum proventus inhibetur.

Id quod etiam præstant *cæpæ cum sale contusæ & applicatæ*.

Vel

Vel ℞. *capar. crud.* ℥ij.
Saponis.
Salis comm. aa. ℥j. In mortario contuſis.
adde *Olei lini vel Flor. Sambuci* q. ſ. ut fiat quaſi cataplaſma, quod applicetur.

Vel ℞. *Olei Lini*
Crem. lactis
Album. ovi
Cretæ aa. q. l. miſce & applica.

Vel ℞. *Cortic. med. ſambuci* ℔j, coquantur in vino, poſtea exprime ſuccum ſpiſſum, cui adde
Olei ſambuci, vel lini ℥iiij.
lithargyrii
Ceruſſæ aa. ℥j.
Reſinæ & ceræ aa. q. ſ.
Viride æris ℥ß. Miſce fiat Empl.

Vel ℞. *Aquæ Calcis vivæ*
Spir. vini camph. aa. q. l. & applicetur calidè.

Cl. Muys commendat *Cretam cum Spir. vini camph.* impoſitam, adhibita arcta ligatura.

VI. Ubi autem ambuſtio eo proceſſit, ut ipſa cutis aduſta abſcedat, tum ad inflammationem ſedandam vel arcendam pars ambuſta ſubitò contegatur *lardo*, ſi in promtu eſt.

Vel ℞. *Aceti ex lithargyrio dulcificati*
Olei Lini vel ſambuci aa. q. l. fiat terendo nutritum, cui adde *camphoram in parum olei ſolutam.*

Vel puſtulis apertis applicetur *albumen ovi, cum mucilagine ſem. cydoniorum.*

Vel ℞. *Calcis vivæ* q. l. & *cum Spir. vini camphorato* fiat linimentum.

Vel

Vel ℞. *Calcis vivæ cum vino extinctæ* q.l. *& olei Lini* q.ſ. pro conficiendo linimento.

VII. Quod ſi gravior fuerit ambuſtio, ita ut eſchara fuerit exorta, tum puſtulis reliquis apertis, detur opera, ut quo citius, eo melius ſeparetur eſchara; huncin finem

℞. *Olei ſambuci,*
Liliorum alb. aa. ℥j.
Ovorum ℥ß.
Aceti ex lithargyrio vel minio edulcorati q.ſ. ut nutriendo fiat linimentum, cui adde
Mucilaginis ſem. cydon. vel tragacanthi
Cremoris lactis aa. q.l.

Vel ℞. *Butyri in Aq. Sperm. ranar. loti* ℥ij.
Olei ovorum. ℥j.
Sachari Saturni ʒij.
M. fiat linimentum.

IIX. Si autem *durior eſt eſchara*, ut difficulter ſeparetur, *incidatur hinc inde*, ut latens ichor effluat, ne ſubjectæ partes inde exedantur, vel ulcus putridum generetur tunc verò linimenta nunc dicta applicentur, donec eſchara fuit ſeparata, quo facto combuſtio conſolidetur, *unguento Diapomphol. ung. albo camph.* vel *Empl. miraculoſo dicto Sch.* aut alio,

IX. Qui *ambuſtiones à pulvere pyrio* factas, aliquid ſingularis præ aliis requirere credunt, admodum commendant *linimenta ex ſucco cancrorum facta*, quale eſt hoc:

℞. *Succi ex cancris contuſis expreſſi.*
Sempervivi maj. aa. ℔ ß.
Phlegmatis 🜍*li* ℥ij.
Mellis roſarum, ℥ iß.

Coquan-

Coquantur ad consistentiam paulò crassiorem & calidè applicentur.

Et si grana pulveris pyrii cuti hæreant infixa, ea suppurationi relinquantur, ne, si ea eximenda in frustula franguntur, se cuti magis implicent, & difficilius tunc, vel nunquam eximi queant.

X. *In combustione Faciei*, applicetur mucilago quæ cum aqua rosar. vel sperm. ranar. ex cortice mediano tiliæ & sambuci, ac semine psyllii fuit facta. Vel

℞. *Mucilaginis hujus* ℥ij.
Olei lini cum sperm. ran. cocti.
Ovorum aa. ℥iß.
Album. ovi. no. ij.
Crem. lactis cochl. j.
Camphoræ ʒj.
Sachari Saturni ʒij.
Misceantur in linimentum.

Quod cum linteo molli applicetur, & per plures dies relinquatur, quotidie verò eo humectetur.

Et si ambustio tanta fuerit, ut diutius, per quatuordecim videlicet dies linimentum dictum relinqui necesse habeat, loco albuminis ovi, linimento admisceatur vitellum ovi, & pergatur, humectando linteum faciei superimpositum, ad sanationem usque.

XI. *Si Oculi* fuerint ambustione læsi.
℞. *Pomorum dulcium* no. ij.
Coquantur in *Aquæ Rosar. & Euphras.* q. s. ad molli-

mollitiem, tunc pulpæ per ſetaceum trajectæ admiſce *Mucilaginis ſem. Cydon. fœnugr.* q. l. & adde

Croci ℈ ß.
Camphoræ gr. xij.

Mixta applicentur calide.

XII. Inter Medicamenta interna, ad inflammationem à combuſtione demulcendam, præ aliis conducunt *Nitrata* & *Cancrina.*

Anchy

Anchyloblepharon.

I.

BArbarum hoc nomen à Græcis obtinuit affectus ille, *quando noctu oculi per somnum coalescunt*, & palpebræ vel inter se, vel superior cum inferiore &c. conglutinantur, à lympha viscida, ex glandulis noctu exsudante.

II. Malum hoc etsi levè aliquando sit, tamen non negligendum omninò erit.

In curatione ante omnia educatur serum superfluum, mediante *jalapa in pulv.* ad ℈j. vel ʒß. exhibita.

Dehinc dentur resolventia & visciditatem humorum corrigentia.

Nec externa negligantur, quale præ aliis poterit esse sequens collyrium:

℞. *Aq. chelidon. maj.*
Fœniculi aa. ℥j.
Regin. Hung. ʒij.
Tinct. Croci ʒv.
Spir. ✱ci gutt. vj.
M. fiat collyrium.

Anex-

Aneurisma.

I.

DUplex est, vel *verum*, vel *spurium*, item vel *Internum*, in parte corporis interna, vel *Externum*, in exteriore quadam corporis parte exortum.

II. *Aneurisma verum* est tumor in parte vel tractu quodam arteriæ, *ab extensione singulari*, vel in interiore vel exteriore corporis quadam parte, enatus. Cum enim sanguinis circulatio per hos tubulos, maximâ pressione fieri soleat, hinc accidere non rarò solet, *ut fibris in hoc vel illo tractu arteriæ, suo modo præ aliis laxis & cedentibus, tumor exoriatur*, qui tunc sensim incrementum sumit, absque cutis decoloratione, sed pulsu, non aliter ac in ipsa arteria, sensibili.

Hæc aneurismatis species, non rarò observata fuit circa Cor internè, ubi arteria vel descendens vel ascendens in tantam molem excrevit & extensa fuit, ut singulari fortissimo pulsu fuerit molesta & conspicua.

III. Aliquando fieri etiam potest, ut venæ sectione insulsâ, *tunica una aut altera* arteriæ lædatur *interiore saltem integrâ manente*, quæ verò, cum exterioribus tunicis incisis, se simul extendere occasionem nanciscatur, hinc facile accidere potest ut hoc modo *in parte quadam corporis exteriore, utpote in brachio* aneurisma verum exoriatur, tractui cedens & recedens.

Curatio talismodi aneurismatis veri, in specie interioris, nulla est, uti nec exterioris, nisi hoc quodammodò

modo à majori extensione præcaveri queat, *laminâ plumbeâ* continuò desuper fortiter alligatâ & gestatâ.

IV. *Aneurisma spurium quod concernit, hoc instar ecchymomatis fieri fere solet*, dum arteriâ vel studio, vel ex improviso sectâ, sanguis cum impetu extravasatus, se intra partes musculosas effundit, & orificio vulnusculi occluso stagnare cogitur, stagnando vero corrumpitur & cutim livescere facit: in hâc aneurismatis specie aliquando pulsus magis minusve sentitur.

V. Aliquando tamen accidere etiam potest, ut arteria levi modo incidatur, ita ut guttatim saltem & sensim sanguis extravasetur, ac sensim sensimq; adjacentes partes musculosæ extendantur, & in tumorem attollantur.

Hæc aneurismatis species in principio non rarò tollitur *medicamentis adstringentibus*, *fasciis* idoneis, ut & *laminâ plumbeâ* fortiter læsæ parti alligatâ.

VI. In Priore verò aneurismatis spuriæ specie, ubi arteriâ quâdam incisâ, sanguis cum impetu erumpens, talismodi aneurisma facere posset, *subitò arteria incisa digito occludatur*, & ut sanguinis fortiter erumpentis, impetus mitigetur, *vena secetur altero in brachio*, & tunc vulneri applicetur *frustum Vitrioli Cyprii, vel albi, gossypio involutum*, huic vero inspergatur *pulvis sarcocollæ vel colophonii*, & desuper *applicentur splenia albumine ovi imbuta, vel lintea duplicata liquore stiptico imprægnata*, ligatura conveniente simul adhibita: Membrum

verò tali modo ligatum relinquatur in suo situ congruo, absque religatione, donec intra aliquot dies vulnusculum consolidatum existit.

VII. *Ligatura verò conveniens* ea sit, quæ nec stricta nec laxa nimis existit: stricta namque circulationem impedire, laxa verò occasionem addere posset, ut sanguis denuò erumperet.

Ani Condilomata.

I.

SUnt *excrescentiæ* quædam *verrucosæ*, in ano excitatæ à materia quâdam acri, quæ cutem erodit, unde excrescit substantia carnosa vel glandulosa, quæ *pro varia sui figura, diversum nomen sortitur*, v.g. si quoad figuram ficum repræsentat, *dicitur Ficus aut marisca*, Si Morum *Morus* &c. Porrò sunt vel pensilia vel non, item quædam dura, quædam molliora, aut spongiosa. &c.

Hoc malo tamen magis mulieres, quam viri affliguntur, *dum vel gonorrhœa virulenta, vel Fluore albo aut lue ipsa venerea laborant*; materia namq; acris vel corrosiva *in mulieribus frequentius anum irrigat*, unde etiam illæ hoc malo magis quam viri sunt obnoxiæ.

Sunt qui ani condilomata *cum hæmorrhoidibus cæcis confundunt*; sed absque ratione.

II. *In Curatione condilomatum ani, ante omnia eorum eradicatio tentetur*, dehinc locus cicatrice claudatur.

Eradicatio optimè peragitur, vel *Butyro antimonii* aut *spiritu sulfuris legitimè parato & illito*, litus tamen quotidie est renovandus, donec decidunt vel exsiccantur, dehinc locus cicatrice obducendus.

Si excrescentiæ tales sunt pensiles, & collo præditæ, facile extirpantur *seta equina*.

Ani Fissuræ.

I.

NOn raro accidunt vel *à materia aut sero acri, fibras cutaneas erodente, vel ab excrementis induratis* & fortiori pressione extrusis.

II. Et si negligitur malum hoc ab initio, accidit, ut lympha ex fissuris his continuò depluens, profundiores exulcerationes excitet, & pejora mala inducat. Cum enim simplices fissuræ inter egerendum dolores excitent & pruritum, multo pejora erunt hæc symptomata, si profundiores radices figunt.

III. Hinc in tempore *acrimonia tollatur & consolidatio promoveatur*, tollitur verò acrimonia optime *aqua calcis vivæ, in qua sach. Ḫni dissolutum est* hâc nimirum aquâ diligenter eluendæ sunt fissuræ Et desuper applicetur *Unguentum de sevo hircino* postquam *Enema hoc Mynſ.* interea temporis simu injectum fuit. v. g.

℞. *Olei violar.* ℥v.
Butyri non saliti ℥iij.
Mucilag. tragac.
Sem. psilii
Cydon. aa. ℥iß.
Sachari rubri ʒj. Misceantur.

Hoc enemate non tantum dolor mitigatur, & fibræ emolliuntur, sed & alvus fluidior redditur, & fissuræ sanantur.

Ani Fistulæ.

CUm præ aliis Ulceribus Fistulosis nil habeant, peculiaris, hinc earundum cura videatur sub Titulo Fistularum.

In specie tamen *hæ Fistulæ difficillimè curam admittunt*, & tam chirurgo, quàm ægro graves pariunt molestias; æger namque in lecto vix decumbere, vel sedere aut ambulare potest.

Anum verò vel penetrant, vel non; quæ non penetrant, haud adeò molestæ quidem sunt, sed non rarò hæmorrhoidum in modum sanguinem fundunt, aut saniem. &c.

Anus Imperforata.

I.

NOn rarò accidit ut infans in lucem edatur *nullo ani orificio vel indicio præditum*, id quod etiam plerumque lethale existit, nisi forte in puellis, si intestinum rectum in pudendum desinit, prout exemplum *Minodaus* habet.

II. Ubi verò indicium ani conspicitur, vel rima, licet membranâ occlusa sit, tamen facile incisione aperiri potest, id quod quò citius peragitur, eo citius fœces, sive meconium removetur.

Foramini verò incisione facto intruditur canalis plumbeus, unguento de thutia obductus, qui suo tempore ad excrementa egerenda eximitur, & rursus recenti unguento obductus, applicatur, donec cicatrix fuit obducta.

III. *In veris atretis* ubi nimirum nullum ani videtur indicium, cavitas intestini recti, sæpe tam profundè carne oppleta & consolidata existit, ut impossibile sit eam incisione vel penetrare vel removere, hinc à tali operatione abstrahendum, ne arti imputetur, eventus tristis, quem natura per se induxisset.

Non rarò ani occlusio accidit à concrescentia intestini recti, post ulcerum fistularum aut vulnerum consolidationem. Quamprimum angustia talis persentitur, cutis intestini conglutinata, denuò stylo ligneo vel plumbeo *oleo Liliorum alb.* illito, dirumpenda est, & tunc *canalis plumbeus inserendus*, & tam diu in meatu intestinali servandus donec cicatrice enata concrescere amplius nequit. *Canalis verò plumbeus unguento Diapompholigos, aut de lythargyrio obducendus est*, ut eò citius cicatrix enascatur.

Ani Procidentia.

Videatur de Infantum Morbis.

Anthrax.

Videatur Carbunculus.

Aridura, sive *Athrophia* aut *Tabes particularis*, das Schwindten eines oder andern Glieds.

DE universali etenim qualem *Phthisici*, *Hectici* vel *Scorbutici*, aut *Senes* experiuntur, hic non est sermo.

I. Originem verò *particularis atrophiæ*, membri cujusdam, ut plurimum à causa quâdam externa deducit, *post luxationes nimirum vertebrarum colli aut dorsi*, ut in *rachitide*, *vel post grave vulnus*, *aut contusionem cujusdam partis*, *aut membri*, &c. ubi plures tubuli contorquentur, lacerantur, & tandem ita coalescunt, vel à sua ordinaria textura deviant, ut partes nutritiæ neque appellere, neque apponi queant,

II. Unde est, quod, etsi vulnus tale aut ulcus sanatum fuerit, tabes tamen sive aridura sequatur, sæpius pertinax, dum nec sanguis, nec cum hoc chylus, propter arteriæ, vel nervorum ad eam partem tendentium læsionem, vel compressionem, haud rite affluere queat, ad partem nutriendam, aut invigorandam.

III. *Nonnullis* tabes partis hujus aut illius accidit, *post paralysin*, *post convulsiones articulorum*, *post compressiones vel distorsiones nervorum & tendinum*, *vel horum dislocationes*, unde spirituum nerveorum influxus sufflaminatur, & pars cum sensu stuporis successive debilescit, & tandem flaccida & plus minus tabida redditur.

IV. Sic & *illi sæpius hoc malo* obnoxii deprehenduntur *qui crebriori arthridite excruciantur*: Ex lymphæ namque catharralis decubitu crebriori in partem hanc aut illam, ejusque articulationem, & hinc contractam fibrarum & tendinum resolutionem cum obtuso doloris sensu, successivè ad atrophiam disponitur pars affecta, unde tandem quo magis confirmatur & inveterascit malum, eo magis fit incurabile.

V. *In curatione* promoveatur ante omnia tam spirituum animalium, quam sanguinis circulantis affluxus ad partem afflictam.

Et *si post grave vulnus* effluxus nutrimenti spirituosi atrophiam talem reliquit, tum calefacientia dicta, & humectantia adhibeantur, ut spirituum uberior, & humorum copiosior affluxus ad partem derivetur rursus.

Hinc diligenter fomentetur pars *cum decocto emolliente, additis pedibus ac Capite ovis vel agni*; porrò exarescens pars, *ventri canis vel bovis* aperto & calescente immittatur. Postea infricetur semper Unguentum sequens,

℞. *Ung. de Althea.*
Martiati aa. ℥ß.
Axung. Taxi
Humanæ
muris montan.
℅ *Lumbricor.*
Hyperici
Petræ aa. ʒij.
Spir. formicar. ℥j.
M. fiat unguentum.

VI. *Si ex contusione gravi, vel paralysi*, aridura origi-

originem duxit, instituantur *frictiones per pannum asperum*, apponantur *cucurbitulæ* plures cum flamma, absque scarificatione, *sæpius in septimana*, & relinquantur, donec cutis rubescat; quo facto pars affecta sequenti spiritu probè fricetur. v. g.

℞. *Piperis longi*
Rad. Pyrethri
Sem. Sinapi aa. ℥ß.
Bacc. Junip. ℥j.
Castorei ʒij.
Contusis & concisis adde *Spir. Vini rectif.* ad eminentiam, & dum hic probe saturatus existit.

℞. *Spiritus tincti* ℥viij.
⊖is. vol. lumbricor.
*Flor. *ci tartarisat.* aa. ℥ß.
Spir. therebinth. ℥i.
Et mixta stent ad usum.

Postquam pars spiritu hoc probe fuit fricata, superimponatur seq. *Emplastr. Barbette*, v. g.

℞. *Amianthi pulv.* ʒiij.
Rad. pyrethri pl. ʒiß.
Euphorbii
Castorei
♂ *terræ* aa. ʒij.
Gummi ammon. ℥iß.
Ladani & Ceræ q. s. ut fiat Emplastrum.

VII. *Ubi ex defluxione catarrhali* dolorosa, tabes supervenit, exhibeantur sudorifera & spiritus confortantia, qualia sunt *Spiritus CC. Tinctura CC. succinata, cinnabarina* &c.

Externè vero infricetur linimentum hoc;

℞. *Spir. vini rectif.* ℥ij.
Sapon. Veneti ℥iß.

℥o Juniperi
lumbricor. aa. ʒvj.
Spir, vitrioli vel sulfuris ℥j.

Misceantur omnia calore arenæ in formam linimenti, quod in tali contractura & aridura non minoris est valoris, *loco Spir. vini rectif.* poterit, *Spir. lumbric. terr. vel formicar.* in usum trahi.

Insignis etiam usus & effectus solet esse *liquor lumbricorum terrestr.* in clibano per deliquium paratus.

Vel ℞. *Ung. de althea*
Resumptivi
carminativi aa. ℥j.
Olei succini
carvi
fœniculi aa. ʒß.
Spir. vini camphorat.
Lumbricorum aa. ʒij.
℞. *succini* ʒj. M. fiat linimentum.

Athero-

Atheroma.

M*Eliceris*, *Steatoma*, *Bocium*, *Natta*, *Talpa*, *Testudo*.

I. Sunt Tumores sive abscessus cystici sive propria sua tunicâ inclusi, & partim contentorum ætate, partim figura & loco inter se differentes, etsi ab unâ & eadem materia trahant originem.

Materia namque si ab initio *instar mellis* se habet, *Meliceris dicitur*; dehinc si materia spissior evadit & *pultem refert Atheroma* audit. Si verò coagulum eo devenit, ut ex materia pultiformi in caseosam vel *adipi similem* transierit, *Steatoma* vocatur.

Bocium dicitur tumor talis, *qui collum occupat*, & si in capite tumor talis exoritur, & testudinis formam refert, *Testudo* audit, & *Talpa*, si talpam &c.

II. *Materia* in hisce tumoribus contenta dependet *ex chylo diversimodè coagulato* & in materiam caseosam vel sebaceam verso.

Nec insolitum est, *ex singulari talismodi lymphæ coagulo, in tumoribus similibus generari vermes, pilos vel alia insolita aut plane peregrina*; Diabolum tamen suis præstigiis aliquando subesse non negandum omninò.

III. Tumores hi omnes *citius tolluntur excisione*, quam medicamentis resolventibus, nisi plane ab initio, probè tamen observandum, ut tam contentum, quam continens ipsum, tunica nimirum simul exsecetur, & exactè separetur, ad recidivam præcavendam.

Cautione propterea opus est, ut tunica materiam continens, absque læsione separetur integra ab adhæ-

adhærentibus partibus, ne materia effluens operationem impediat, vel *si aliquid tunicæ relinquitur*. hæc tunc *cathæreticis absumi necesse* habeat. Quoniam si aliquid tunicæ relinquitur, tumor facile regeneratur.

Ad hoc præcavendum, si in capite Tumor talis separatur, tum folliculo exemto *pericranium secetur, & calvaria abradatur*, ne ulla radix, tumori de novo generando apta relinquatur.

Et si Tumor talis cutem adeo extensam reddidit, ut coire commodè haud queat, hæc in tantum abscindatur, ut tunc uniri rursus queat.

Bubo.

Bubo.

I.

EST Tumor glandularum, præcipue inguinalium exortus à lympha coagulata vel viscida magis minus acri vel corrosiva.

Et vel *Benignus* est vel *Malignus*, & hic vel *Pestilens* vel *Venereus*.

II. *Simplices Bubones* pueris & adolescentibus, dum augmentum vel incrementum sumunt, sunt familiares, hinc nostratibus vocantur die Wachs-Drüsen.

Præterea sunt vel *Symptomatici* vel *Critici*.

III. *Maligni Bubones*, in specie *Pestilens*, ipsius pestis familiare est consequens, & plus sub axillis quam in inguine apparere solent.

Venereus verò, inguina potissimum occupat, & ex coitu impuro oritur, ac Luis venereæ symptoma est.

IV. Dum verò Bubo exoritur, *ab initio ex albo rubicat, dehinc magis rubicundus redditur & splendidus*, vel & ex nigro rubicat, cum ardore & dolore.

Ab initio etiam mobiles sunt tumores hi, sub cute, sed sensim sensimque magis intumescunt & incrementum capiunt & immobiles redduntur cum duritie & tensione dolorifica.

V. *Cedunt verò tumores hi, ut alii, vel per discussionem, vel per suppurationem*, Sæpe enim per se evanescere solent, vel sudoriferis exhibitis, si humores non sunt adeò tenaces & viscidi.

Sim-

Simplex Bubo, ab initio facile *cedit Fotibus vel Cataplasmatibus resolventibus* applicatis.

℞. *Farin. sem. fœnugræci*
Rad. althea
Sem. lini aa. ℥ij.
Ficuum, no. vj.
cæparum, no. ij.
℞o *anethi* ℥iß.
Cum lacte coquendo fiat cataplasma.

Vel ex solo *pulv. Rad. Althea, cum lixivio communi* fiat cataplasma, quod in discutiendo vel maturando par non habet.

Applicari etiam potest *Empl. Diachyl. cum multo gummi ammoniaco*, paratum, vel & *Empl. Diaphoreticum Mynf.* aut *Empl. de Meliloto cum oleo* ♄*i nigro* remixtum.

Præterea in principio & fine non omittenda est catharsis.

VI. *In Bubone Maligno* & quidem *Pestilenti* venenum extrahatur sequenti cataplasmate,

℞. *Cæparum sub cineribus assat.*
Capitum allii aa. no. iij.
Ficuum assat. no. iiij.
Farin. sem. lini
Fœnugræci
Rad. althea aa. ℥iß.
Mannæ Calabr.
Sacchari rubri
Fermenti opt. aa. ℥j.

Omnia contusa *cum adipe suillo* subigantur in Formam Cataplasmatis, quod diligenter applicetur.

Vel

Velut validius veneno occuratur, statim ab initio, etsi tumor adeò notabilis haud sit, *applicetur vesicatorium, dehinc incisis vesicis, superimponatur Empl. Arsenicale Magneticum*, quod bubonem, etiam magnitudine nuci juglandi similem, spatio quinque vel sex dierum in integrum tollit; producit enim Empl. hoc escharam sive crustam crassam, quæ vera veneni extracti sedes est, hæc verò viginti quatuor horis, solius spatulæ auxilio postmodum facile separatur, absque scarificatione, modo unguentum digestivum ad escharæ separationem applicetur.

Si verò eschar â primâ sublatâ, tumor haud sufficienter imminutus existit, de novo imponatur *Empl. Arsenicale*, etiam tertia vice.

Consolidatio verò tandem absolvatur, mediante *Empl. de Minio* vel alio siccante, postquam omne venenum in corpore per tale ulcus fuit eliminatum; propterea lentè procedatur circa consolidationem.

Alii hunc in finem admodum commendant sequens Empl. resolvens, v. g.

℞. *Gummi Ammon. Bdellii, Galbani* aa. ℥j.
Bufonum Siccat. & pulv. ℥iß.
Adipis gallinæ ʒvj.
🜍 *Scorpion.*
irini aa. ℥j.
Ceræ & therebint. aa. q. s.
Mucilag. sem. lini ℔ß.

M. fiat Empl. singulis sex horis renovando applicandum.

Præ

Præterea veneno Peſtifero occuratur *alexipharmacis validioribus* internè exhibitis de peſte traditis.

VII. *Venereos Bubones* quod concernit, ſolent hi tolli internè *per Decocta Lignorum vel Salivationem Mercurialem*; Externè verò illis applicetur *Empl. Vigonis cum quadruplo Mercurii*, vel *Diachylon cum* ☍ ♀ *i nigro* malaxatum, &c,

Cancer.

I.

IN genere est *glandularũ totalis obstructio sive gangræna*, à lymphâ corrosivà, partem quam semel occupat, dolore continuò, excruciante.

Est verò *vel occultus*, sive Carcinoma non exulceratum, aut noli me tangere dictum;

Vel Exulceratus sive Lupus vocatus,

II. Præterea cancer *vel est indolens, vel maximè dolorificus*, & vel *lentè, vel citò prodiens*, vel *superficiariè vel profundè* hærens, &c.

Porrò differre solet malum hoc saltem *partis ratione*, quam, occupat, dum vel *Mammam, vel labia, aut nasum, vel pudenda* occupat.

III. Sic & occasionem aliquando sumit à causa externa, v. g. *à contusione, compressione*, &c.

Vulgò tamen ab interna causa exortum sumere solet, quæ in genere consistit in lympha vel corrosivâ, vel causticâ, stagnando tam carnem quam partes membranosas, aut alias corrodente & absumente.

IV. *Cancrum occultum quod concernit*, is ab initio est tumor valde exiguus ciceris magnitudinem vix superans, & magis minus dolens, sensim vero accrescens, & levi opera in exulceratum degenerans, adeò ut exulceratus ab occulto cancro non aliter nisi in fieri differat, ambo enim unam & eandem agnoscunt causam, in singulari obstructione corrosione sive malignitate consistentem.

In Mammarum cancro occulto, plerumque dolor versus jugulum se extendit, & tumor lapidis duri-

tiem ferè refert, propterea in dorſo cubare vix poſſunt.

V. *Dum verò malum hoc crudele radices figere incipit*, patiens affligitur gravitate & dolore capitis modo majore modo minore, ſomnus fit interruptus & turbulentus, vires labaſcere incipiunt, & febris lenta ſe jungit, appetitus proſternitur, ac chylificatio læditur, nutritioque ſenſim deficit, unde partes tabe vel atrophia conſumuntur, vel cachexiâ notantur, oculi intumeſcunt & ſuum alborem amittunt, oris color pallet, & facies evadit cadaveroſa, & decore ſuo vitali orbatur, &c. Et hæc Symptomata ſenſim creſcente malo exacerbantur, in ſpecie dum cancer antea occultus, nunc in exulceratum abit.

VI. *Plures vero annos aliquando latet malum hoc*, donec tandem fit conſpicuum vel exulcerari incipit.

Hippocrates ſuo tempore hujus mali genium malignum cognovit, dum ait; *Quibus occulti cancri adſunt, melius eſt non curare*: mitiora namque remedia contemnit cancer & fortioribus exaſperatur. Et licet cancer adhuc ſit exiguus, & ſtatim ab initio non negligatur, tamen ejus incrementum difficulter impeditur, ſi verò nunc auctus vel exulceratus ſit, ægerrimè, & ſi ad ſummum pervenerit, nunquam curari poſſe omnes fere Practici conſentiunt, niſi poſſit funditus & integer extirpari.

Ne tamen miſer abſque ſolatio vitam miſeram perdat, in curatione eo allaborandum, *ut lympha à ſale corroſivo acido fixo liberetur*, & obſtructio, illa

can-

cancrosa tollatur, hunc in finem *in Diæta observet æger*, ne lympham particulis viscidis corrosivis præditam, cibis difficilis digestionis & acidis ulterius exasperet: Cibi propterea sint boni succi, & sale volatili oleoso prægnantes; Potus verò sit *infusum Thea vel similium herbarum*. &c. vel *cerevisia ritè fermentata & defecata*, vel & *vinum* nulla aciditate, &c. præditum.

VII. *Internè* ante omnia *Purgantibus primæ viæ à ruditatibus vel cruditatibus liberentur*; omnium namque Practicorum suffragio certum est, purgantibus si non tolli, tamen mitigari posse cancrum, vel multis annis *vernali & autumnali cura*, incrementum saltem inhiberi;

IIX. *Post Purgantia, in usum sunt trahenda Diaphoretica*, vel quæ humores edulcorant, & glandulas obstructas reserant, ex quibus variis aliis præferenda est *Tinct. C. Cervi succinata*, ex vera antimonii Tinctura parata, & quod *ex Radice Sarsaparillæ confectum est Decoctum*. Sic & inter absorbentia alia hic pro specifico commendatur *Crystallus montan. præp.*

IX. *Inter externa* in cancro adhuc occulto, *conducunt Repellentia*, hunc in finem *Galenus* magni æstimat *succum Solani*: Alii hunc in finem admodum commendant *Laminam plumbeam* ☿*io vivo illitam* continuò gestatam. Nec inconveniens est, *Empl.* ♄*nin. M.* aut *de ranis Vigonis cum* ☿*io.* vel & *Empl. Diacalcith. aut Diapompholigos*, &c.

Vitentur verò pinguia & emollientia, ex horum namque usu cancer exasperatur, & ex latente fit manifestus.

Nec corrosiva conducunt, utpotè quibus ardor vel fervor in sola parte affectâ hærens, tunc toti corpori communicatur.

X. Hâc verò methodo si tractatur Cancer occultus, longas moras nectere potest: Sic *Hildanus* vidit fœminam quæ per 40. annos cancro occulto mammarum laboravit, & *Timæus à Gulden-Klee* refert, mulierculam quandam ab anno ætatis 49. ad annum 75. absque insigni dolore & incommoditate, medicamentis legitimis exhibitis, cancrum mammæ occultum sustinuisse, &c.

℞. *Herb. solani*
Geran. Robert.
Politrichi
Verbasci
Rad. Scrofular. aa. omnium recent. q. l.

Contusa *irrorentur succo solani vel granatorum, aut de Agresta*, & fortiter exprimantur, succus verò expressus tepide cum linteis duplicatis applicetur.

XI. *Exulcerati Cancri curam quod concernit*, etsi de ea omnes fere Practici desperent, tamen cum aliquando in natura hâc vel illâ, miracula fiant, & exempla dentur Cancri exulcerati curati, hinc non omnis spes est abjicienda.

Ante omnia verò *Massa Sang. depuretur, & Ulcus cancrosum benè mundificetur. acidaque acredo, absorbeatur ac Serpens putredo præcaveatur*, tandemque Ulcus consolidetur. Ut hic finis assequatur.

Præter

Præter Interna de Cancro occulto commendata fiat sequens Decoctum.

℞. *Herb. Millefol. plantag. filipend. Geran. Robert. card. ben. agrimon.* aa. m. j. *Flor. hyperici, rosar.* aa. p. iiij. *Rad. Nymph. Tormentill. Aristol. long. tapsi barbati,* aa. ℥ß. *Cort sambuci, cappar.* aa. ʒvj.

Incisa coquantur in *s. q. Aq. simpl. vel sero lactis*; & hoc Decocto aliquoties de die eluatur ulcus. & imponantur linteola munda, in illud immersa, sic egregie mundificabitur ulcus, & acrimonia humorum erodentium optimè temperabitur. *In defectu talismodi Decocti* eundem effectum optimè præstat *sola Aqua card. bened.* vel & succus supra descriptus.

Præterea sicut in omnibus mammarum ulceribus, ita præcipuè in cancrosis, mirandam utilitatem præstat *Balsamus sulfuris, cum oleo momordicæ illitus*, tam mundificando, quam abstergendo & consolidando.

XII. Ulceribus talismodi, optimo cum effectu inspergi etiam possunt pulveres, v. g. ex *Herb. Geran. Robert, Card. bened. aristol. long. plumbo usto* & loto, *Saccharo* ♄*ni*, Vel sequens:

℞. *Plumbi optimi* ℥iij. in tigillo liquato adde
☿*ii vivi parum calefacti* ʒiiij.
☿. *vitæ* ʒj.

Mixta effundantur, & refrigerata redigantur in pulv. subtiliss. hic pulvis non quotidie, sed per intervalla aspergatur, & cancer frustillatim cadit.

℞. *Antimonii opt.* ℥iij.
☿. *sublimati* ℥iß.
Mellis ℥vj.

Probè mixta destillentur per retortam mediocri igne, & prodibit oleum, ad omnia maligna & cancrosa ac callosa ulcera præstantissimum.

Egregium etiam escharoticum suppeditat *Magnes arsenicalis.*

Car-

Carbunculus.

I.

ANthrax Græcis dictus, vel *Ignis Persicus*, ceu malum Persis familiare, &c. *est Tumor igneus, sive carbonis ardentis instar urens*, vel maximâ inflammatione præditus, cum intolerabili dolore & sæpè cum pustulis ignis instar ardentibus, circum circa stipatus, quæ tamen mox in circumferentia in durum tumorem mutantur, in cujus centro Ulcus prodit, quod partes vicinas, *si non præcavetur*, mirè corrodit, & carnem exurit proserpendo, tandemque ulcus cavum relinquit, ac si mediante escharotico fuisset inustum.

II. *Quidam tamen Carbunculi sunt soli*, & in specie Carbones, Carbunculi, sive Anthraces dicuntur. *Alii verò cum pustulis igneis in circumferentia stipati sunt. Alii porrò cum majori malignitate* sunt combinati, prout illi qui homines Peste infectos adoriuntur. *Alii qui extra Pestem aliquando homines corripiunt*, & circum circa, circulo rubro notantur.

III. Quemadmodum autem *Bubo adoritur partes magis glandulosas*, sic *Carbunculus partes magis tendinosas* occupat, unde tantus dolor igneus. *Indiscriminatim tamen in omnibus corporis partibus prorumpunt*, videlicet mox in collo, modò in abdomine sæpius verò in dorso, frequentius autem in cruribus, pedibus, brachiis, &c.

IV. Cum verò partes vicinas admodum depascant, hinc sæpè *maximas cicatrices relinquunt*, etenim caro illis correpta, non aliter ac in gangræna mortificatur.

V. Non tamen ſemper puſtulâ notatur tumor talis, ſed *cruſta producitur ac ſi ferro candente eſſet inuſta*, quâ ſublatâ, non ſemper pus, ſed caro ſpongioſa ſubjacet: *Aliquando verò puſtula alba atque plana ſe exhibet*, quæ pus bonæ notæ continere videtur, compreſſa tamen omninò ſicca & dura extat, ſubjectam carnem interim admodum conſumens.

VI. Malignum Carbunculum varia comitantur ſymptomata, ut ſunt Febris, delirium, anxietates præcordiorum, nauſea, vomitus, palpitatio cordis, & animi deliquium.

VII. Cauſa tanti mali, ſunt *partes maſſæ ſanguineæ, à ſingulari corroſivo coagulatæ*, & à reliquis ſecedentes, ac tubulos, in quibus ſtagnant corrodentes, & adurentes.

IIX. Propterea que *Malum hoc ſatis eſt periculoſum*, in ſpecie Peſte correptos affligens, utpotè quibus mox interitum adducit. Plus tamen periculi alunt carbunculi, qui partes nervoſas & membranoſas, quam qui magis carnoſas obſident, prout & illi, qui nigredine fiunt conſpicui, utpote maximæ partis obſeſſæ necroſi notati, quibus ſuccedunt lividi & flaveſcentes, Mitiores ſunt rubicundi. Quò pauciores etiam oriuntur carbunculi, eo minus periculoſi. Majores tamen minoribus ſunt deteriores, & ſi Buboni Carbunculus copulatur, lethale exiſtit.

Peſſimi etiam moris ſunt illi, qui poſt eruptionem mox rurſus evaneſcunt. Et qui Febre Peſtiliali præcedente, demum oriuntur, quam qui ante Febrem producuntur.

IX. *In Curatione* hujus mali ante omnia *corroſio-*

nis

nis progressus est inhibendus, dehinc cavitas est mundificanda & consolidanda.

Internè verò ad venenum Pestilens corrosivum domandum *sudorifera valida sive Alexipharmaca sunt in usum trahenda.*

Ad progressum corrosionis inhibendum, ne latius serpere pergat, nil melius quam *Oleo sive butyro* ♁*ii* ambitum carbunculi inungere, hoc namque butyrum non tantum progressum inhibet, sed & quod corruptum est separat, ut tunc facili negotio mundificetur, & consolidetur.

Alii *Empl. ex Magnete Arsenicali* imponunt, quod crustam sive escharam excitat, quâ separatâ materia supposita, Unguento maturativo separanda est. Vel ad separandam escharam,

℞. *Saponis nigri* ℥iiij.
Butyri recentis
Mellis optimi
Therebinth.
Resin.Pini aa. ℥ij.
Ung. basiliconis
Fermenti acidi
Æruginis aa. ℥j.
Croci ℥ß. M. fiat Empl.

Si crusta separari nequit, ad carnem sanam usque est exsecanda, cavitas verò *Ung. Ægypt. & Spir. vini* est eluenda, vel & *Ung. fuscum, Felicis Wurtzii* &c. est applicandum; aut Ulcus *Ung. de apio* mundificandum.

Casus sive *Lapsus.*

I.

NOn rarò vario modo, citra voluntatem, homini accidit, magis minus violento impetu, ab alto vel in plano, unde diversimoda corporis accidit læsio, *vel quoad Externas, aut Internas Partes.*

Non rarò etiam partes corporis Internæ hoc modo admodum læduntur, externis salvis apparentibus.

Hinc pro magnitudine læsionis, prout in hanc vel illam partem nobilem aut ignobilem imprimitur, periculum variat. Quævis enim corporis partes, lapsus ab alto prehendere potest.

II. In genere tamen plus *partes corporis molliores in casu tali patiuntur*, nisi quod aliquando simul duriores osseæ, vel fracturas vel luxationes incurrant.

Hinc *malum quod Casu vel Lapsu corpori contrahitur* ut plurimum consistit in perturbata humorum circulatione, non datur namque mollis pars in corpore, quæ non sit constructa ex variis tubulis, hunc & illum humorem vehentibus. Hinc *tubulis magis minus lapsu contundendo, læsis; circulantium humorum fit perturbatio, extravasatio, & stagnatio*, modo levior, modo gravior, pro corporis graviori vel leviori allisione, in subjectum magis minus durum.

III. Causam sive occasionem Ministrantia, varia esse possunt. Sic senes & pueri facile labuntur, præ firmioribus; tectores & murarii, ac qui arbores scandunt, præ aliis in plano laborantibus, hyeme

item

item in glacie, plures labuntur, quam æstate, imò ebriis contingunt casus graviores, quam non inebriatis. Frequentiores porro casus accidunt illis qui equitatu, & curruum cursu itinera conficere necesse habent, ac indomitis equis vehuntur. Taceo hic præternaturales plures causas, utpotè si cæcus, paralyticus, noctambulo, vertiginosus Epilepticus, Apoplecticus &c. in terram, vel obvia corpora, præcipiti lapsu fertur, & vel in capite, vel in pectore, aut abdomine vel artubus noxam capit.

Periculum futurum indicant symptomata magis minus gravia, in genere verò periculosus est lapsus in caput, item si ex contusione per lapsum factâ, vel Hepar, aut Lien, renes &c. læsa existunt. vel & spinalis Medulla admodum compressa, vel alio modo læsa fuit. &c.

IV. *In curatione* in genere omnia ea conducunt quæ sanguinis circulum restituunt, sive sanguinem extravasatum à coagulo præservant, vel coagulatum resolvunt rursus.

Ex horum censu præ aliis, Diaphoretica & sudorifera adsunt, sive Fixa sivè volatilia, utpote ♁ *Diaphoret.* *CC. sine igne* ppt. *Tinctura Bezoardica, Liquor CC. succinatus; Spir. ✱ci vinosus. Sal volatile Oleosum. Tinct. ♁ii. Sperm. Ceti, sanguis hirci, Rhabarbarum. Balsam. Peruv. sulfuris anisat. Chærefolium, carduus Mar. heder. terrestr. millefolium, hypericon. pilosella. Ung. rubr. potabile*, & similia plura.

V. Non negligatur pro circumstantiarum ratione *Venæ sectio*, præcipuè in lapsu in caput vel pectus, aut ipsa *Trepanatio.*

Nec *cucurbitulæ* minoris sæpe sunt valoris *cum hirudinibus.* Sic & *Frictiones* egregiè sanguinem resol-

resolvunt: Id quod tamen melius præstant *fomen-tationes, per sacculos* ex resolventibus & cephalici constantes, & *in vino coctos*, ac maturè & sæpius applicatos. v.g.

℞. *Herb. Majoran.*
Rorismarini.
Salviæ
Stœchad. Arab.
Lilior. convall.
Flor. Rosar.
Chamomill. aa. q. s.
Rad. Irid. Flor. pro l.

Ex incisis fiant sacculi in vino coquendi, & rursus expressi ac calidè applicandi.

Nec *Unguenta & linimenta* hic sunt contemnendi usus ex variis oleis, qualia *ex temperatioribus* sunt *Oleum septem florum, hyperici, chamomillæ, Lilior. alb. Rutaceum*, & in specie *Oleum Lumbricor. terrestr.* quod in casu ab alto ac contusionibus aliis, *Ephemerid. Cur. Dec.* III. *Anno* I. *p.* 24. pro experimento commendant; bis in die ad gutt. xii. vel xv. cum jusculo calido sumtum. Item *Axung. humana, taxi, cati Sylv.* &c. vel ex penetrantioribus *Oleum Philosoph. Petræ, Juniperi, C. Cervi fœtid.* &c. & ex compositis *Ung. Pleuriticum. M. Rubrum & viride Potabile* &c. Neque suo usu carent *Emplastra*, sive dissipandi, sive demulcendi fine, quali sunt *Empl. Diaphoret. Myns. Diasulfuris Rul. Empl. Sandalinum sivè incognitum, contra Rupturas*, &c.

Inte-

Inter Interna vulgò in usu sunt *Pulveres contra* [c]*asum*, qualis est ille *Pharm. August. Ren.* v. g.
[℞]. *Terra sigillat.*
Sang. Dracon.
Mumiæ aa. ℥ij.
Sperm. Ceti ℥j.
Rhabarb. elect. ʒß. M. fiat pulvis qui detur à [ʒ]ß. ad ʒj. alii addunt *Sang. Hirci siccatum*, *Myr*[r]*ham*, *Nucem Moschat.* &c.

Clavus,

Clavus, ein Hüner-Aug / &c.

I.

Est callosa quædam substantia in Digitis pedum exorta, & ingredienti ut plurimum dolore admodum sensibili molesta: *Originem plerumque sumens ex forti pressione calcei nimis angusti*; unde fibræ nerveæ continuo calceorum affrictu introrsum quasi premuntur & concentrantur, ut liquidum illas perfluens stagnare cogatur, & sensim duritiem clavi dolentis acquirat.

II. Malum hinc ab initio haud negligendum existit, alias si altas egerit radices, curatu aliquando admodum fit difficile. Vel *si incauta adhibetur excissio*, facile inde gangræna & mors maturatur.

III. *Cura* propterea inchoetur ab initio *pedes Balneo ex herbis emollientibus imponendo*, & per aliquot dies reiterando, dein cultello clavum exscindendo, ita tamen ne caro sana attingatur, & hæmorrhagia excitetur. *Facta verò exscissione applicetur folium herbæ thelephi sive sempervivi, pellicula viridi exutum*, & renovetur bis de die per octiduum.

Vel præmissa exscissione *imponatur linteum oleo lini tepido imbutum*, quod aliorum experimento vix fallit. Aut applicetur *Empl. de ranis cum quadruplo ☿ii* quod clavos admodum discutit. Alii *solum gummi galbanum* cum effectu imponunt.

Vel ℞. *Saponis*
♀i ad albed. calcin. aa. ℥ij.
Spir. Salis
Vini aa, ℥ij.
♂ Juniperi

Petr.

℥ *Petræ* aa. ʒß.
Ceræ q. s. ut fiat Empl. Vel
2. *Gummi Ammon.* ℥iß. in aceto solutis adde
Ærug. æris ʒiß. & ad spissitudinem coctis
porro adde
Cranii humani calcinati ʒiß.
Aristoloch. rot. ℈ij. M. ut fiat Empl. Vel
4. *Picis navalis*
Ceræ citrin.
℥ *lumbricorum* aa. ℥ß.
Viride æris ʒiij.
cantharidum ʒij.
Gummi galbani
Ammoniaci aa. ʒiß.
☿ *sublimati* ʒj. M. fiat Empl.

IV. Alias *per curam magneticam*, sæpe curatur malum hoc. Sic sunt, qui clavum *pulpa pomi transfiss.* affricant, & tunc defodiunt, donec putrescit pomum. Alii *cadaveris humani Hectica demortui manu*, fortiter affricant clavum & curant.

Vel quod expertum scio, *sume limacem rubram vivam*, & hac probè fricato clavum; dehinc limacem, quâ cum fricasti clavum, *dumeto affige*, sic limace arefacta, clavus cessat.

Collum

Collum incurvatum.

I.

NOn rarò accidit, ut *paralysi laboranti*, *musculus colli mastoideus* caput flectens, relaxetur, exsiccetur aut contrahatur, unde patientis caput in alterum latus trahitur, ut cogatur collo curvo incedere. Malum hoc, quoniam *rarò emollientibus adhibitis tollitur*, hinc manus chirurgi adhibenda est, qua mediante, sectio est instituenda, sequentem in modum.

II. Patiens sedeat in loco lucido, & is vel vinciendus vel à ministris immobilis tenendus est. Tunc cutis incidatur, vitando vasa majora, ac *musculi mastoidei elongati tendo*, *ubi claviculæ implantatur*, *forvice*, *vel cultello falcato*, *unicâ incisione abscindatur*. Tunc verò patientis caput ad oppositum latus erigatur, non absque magno crepitu: Facta operatione labia vulneris, non sunt adducenda, ut in vulneribus, sed quam maximè deducenda, & caput fulcimentis idoneis in hoc statu erectum servetur, vulnere balsamis obligato, ad sanationem usque.

Echymo

Echymosis.

I.

DIcitur alias *Sugillatio*, si circa oculos contingit, sive suffusio, à sanguine intra cutem extravasato, unde pars affecta livido colore tingitur, à stagnante sanguine in coagulum abeunte.

II. *Causæ* hujus affectus possunt esse *vel Externæ, vel Internæ. Externæ sunt vel contusio, collisio, casus, lapsus, fustigatio*, &c. Echymoseos verò *causa interna* in genere dependet à tubulorum subtilissimorum sanguinem vehentium obstructione, dehinc sanguinis stagnatione, & tandem factâ tubulorum subtilissimorum ruptura, vel extraordinaria dilatatione.

III. Malum hoc ab interna causa accidens in genere *plus scorbuticis & cachecticis, quam aliis familiare est*, ob humores, tam acrimonia quam visciditate peccantes; Si tamē leviora sunt echymomata, parum periculi habent, nisi quod in tibiis difficilioris sint curationis.

IV. *Cura* hujus mali, *vel Internis, vel Externis* instituenda venit remediis. *Internè* conducunt omnia ea, quæ in Pleuritide & casu commendantur, qualia sunt *Antim. Diaphoret. Oculi* 69. *mandib. lucii piscis, lapis scissilis Irlandicus, Sperma ceti*, &c.

Externè verò statim antequam sanguis extravasatus concrescit, *applicetur Spir. matricalis, vel Spir. vini camphoratus, cum Spir. *ci remixtus.* Ut in fluore servetur sanguis, vel ut vasa constringantur,

nec dilatentur, applicetur *albumen ovi cum alumine tritum.*

Aliàs, sola quandoque *Bryoniæ rasura* parti sugillatæ imposita, coagulum tollit. Vel

℞. *Spiritus matricalis* ℥v.
Aq. Regin. Hung.
Elix. Vitæ Matth. aa. ʒij.
Myrrhæ.
Aloes Epat. aa. ℥ß.
Sach. ♄ni ʒj.
Camphoræ ℈ij.

M. & calidè sæpius cum linteis quadruplicatis applicetur, Vel

℞. *Radic. Sigilli Salom.*
Iridis flor.
Sem. cumini
fœniculi
Herb. Salv. aa. ℥ß.
Macis
Garyophyll. aa. ʒiij.

In vino coctis, adde *Panis Biscocti* q. s. ut fiat cataplasma, quod calidè applicetur, & quamcunque sugillationem tollit.

Vel si in gravioribus Contusionibus metuenda est inflammatio vel exulceratio, aut ipsa gangræna;

℞. *Summitat. Absinth.* m. j.
scordii
rutæ
marrubii
abrotani aa. m. ß.
Flor. chamomillæ
Sambuci
Meliloti aa. p. ij.

Con-

Concisa coquantur ex Decocto earundem herbarum, & ut acquirat consistentiam Cataplasmatis adde *Farin. hordei & sem. lini* q. s. *Salis* ✱*ci depurati* ℥ß. *Spir. vini camphorati* ℥ij. M. & tepidè applicetur.

Ex Emplastris hic conducit, illud *de Cumino, de Spermate ceti*; *Diachylon*. s. &c. Aliquando tamen sanguis extravasatus, *mediante scarificatione* evocetur prius.

Emphysema.

I.

ESt tumor flatulentus, ubi in nonnullis tubulis, vel meatibus, aut peculiaribus tunicis, ventus vel flatus concentrantur & colliguntur; hinc digitis facile cedit, sed redit. *Fit verò à pororum obstructione*, à quacunque causa exorta.

II. *Curatio* propterea hujus mali potissimum consistit *in removendis pororum & tubulorum obstructionibus* per Diaphoretica & carminativa, qualia sunt *Essent. carminativa, cort. aurant. Zedoariæ, Aq. Zedoar. anisata, cum Spir. nitri dulci. Aq. Flor. chamomillæ, Spir. anisi. Spir. ✱ci anisat.* &c.

Sic & solis sudoriferis facile cedit malum hoc.

III. Inter Externa couducunt *Sacculi ex Fl. chamomillæ, sambuci, sem. anisi, carvi* &c. in Vino cocti, ac tepidè pro fotu sæpius applicati. Ex Emplastris laudem hic meretur *Empl. de Cumino, de Baccis Lauri, carminativ. Sylv.* &c.

Nunquam vero Tumores hi ferro sunt aperiendi, quoniam Gangræna facile subsequitur, sed ex modo dictis fiant Fomentationes.

Dehinc illinantur humidæ partes *Oleo Philosoph. chamomillæ, succini, cumini, carvi, anisi*, &c. vel diligenter *suffiantur*, speciebus ex carminativis, &c. paratis.

Encan-

Encanthis.

I.

E St intumescentia carunculæ lachrymalis, *aliquando benigna*, & laxa absque dolore, *aliquando autem maligna*, dura & inæqualis cum dolore.

II. Originem caro talis luxurians Carunculæ lachrymalis trahit ex superfluis particulis nutritiis, stagnantibus & ex acido coagulatis.

I I. Curatio perficitur, Oculo munito per applicatum cauterium vel *cathæreticum*, aut sæpius humectetur *cum aquâ calcis vivæ*, quæ in vase cupreo antea stetit, cuique aliquid ☿ii *sublim.* additum fuit.

Ubi autem his applicatis caro luxurians haud absumitur, *forcipe prehensa rescindenda est*, cavendo tamen, ne nimium auferatur, ac de ipsa caruncula nimium detrahatur, ut Rhyas inde exoriatur.

Peractâ abscissione, ad carunculam relictam adstringendam & consolidandam adhibeatur *collyrium ex Aq. chelidon. maj. plantag. cum aloe & myrrha, parum ♄li albi addito*, &c. Nec inconveniens est *Unguent. Ophthalmicum Myns.* quod specificum hic est.

Enterocele.

Vide *Hernia*.

Ephelides.

V Ulgò vocantur maculæ, *quibus non ràrò gravidæ in facie defœdantur*, quæque post partum

rursus evanescunt. Sic & non raro talibus maculis circa os & labia notantur, mulieres obstructione mensium laborantes, quâ cessante maculæ etiam cessant rursus.

Curam ephelidum vide de *Lentiginibus*.

Epiphora.

VIdeatur Ophthalmia, priori in parte, sunt enim, qui Ophthalmiam, Epiphoram appellant.

Epiplocele.

Vide Hernia.

Epinyctides.

I.

A Nonnullis definiuntur quod sint pustulæ quæ sua sponte in cute noctu oriri solent, cum inflammatione insigni & dolore, ac si ab aqua fervente essent excitatæ, & quod quoad colorem sint vel lividæ vel nigricantes, aut rubicundæ vel albæ, magnitudine fabam minorem raro excedentes. Ab aliis in numerum carbunculorum recensentur.

II. *Blancardus recenset has pustulas inter illas, quæ faciem maximè defœdant*, vel aliquando partes genitales occupant, sed raro alias partes.

Parva dicit esse tubercula, ab initio rubicunda, dehinc suppurantia, & si exprimuntur, caseosi quid

quid evomentia, sæpèque vermiculum album referentia.

III. Quoad internam curam, curatio consistit *in depuratione Massæ Sang.*

Externè conducit Aqua Calcis vivæ, in specie *Elixir Balsamicum* ex Tincturâ sulfuris paratum, &c. Alii commendant *Brassicam contusam*, pustulis his applicatam. Si cum inflammatione scil. dolent. &c. vel carbunculi instar urunt.

Epulis.

I.

Est excrescentia fungosa, ab inflammatione in gingivis, plerumque circa dentes molares exorta, quæ sæpè in immensum augetur, & non raro in cancrum degenerat, ceu malum glandulis proprium. Vel & fungosam massam constituit, facile minimo attactu sanguinem fundentem.

Aliquando ex osse originem sumit & excrescit malum hoc, & quod excrescit, cartilagineum vel osseum evadit.

II. Sæpe verò excrescentia epulidis *adeò augetur ut totum os repleat*, unde nec cibus vel potus assumi possunt, nisi manu chirurgi auferatur.

Non raro, etiam excrescentia talis putrescere vel exulcerari incipit, cum fœtore, & *Parulis audit.*

III. Ab initio malum hoc facile tollitur, *collutione Oris ex corticibus granator. Gallar. Radic. bistortæ, cum alumine*, &c.

Si verò suppuratur vel exulceratur collutionibus talismodi adstringentibus, additur *Spiritus cochleariæ, mel rosarum, Unguentum Ægypt.* &c. Et si putrescit, aspergitur *pulvere sabinæ & aluminis usti.*

Si admodum excrescere Epulis pergit, basis ejus sive colium *filo æneo sive seta equina constringatur*, ut alimenti appulsu denegato moriatur & decidat: tum *collutionibus adstringentibus* quotidie eluatur. Et si denuò propullulat, tum non tantum auferatur, sed & *canterio actuali inuratur*.

Alias ad Parulidem convenit *Mell rosarum cum Oleo* ♃*li acuatum*, v. g. ad ℥j. mellis. olei ⊖li ʒß. item *Unguentum de Aquilegia*.M. sæpius, etiam de nocte exhibitum, &c.

Eryſipelas.

I.

E*St inflammatio ſive obſtructio vaſorum lymphaticorum capillarium in cute*, cum aliquali tumore in latitudinem ſparſo, cum rubore, calore, & dolore ac Febre incipiens.

II. In cauſa eſt *lympha nimis gelatinoſa ſive craſſa facta*, vel ab aere frigido, vel à cibis & potulentis nimis frigidis &c. & quoniam coagulatio ſaltem levis cauſam fovet, hinc etiam facili negotio à calore rurſus attenuatur, & ad priorem fluiditatem reducitur.

III. Sed *ſi lympha ſimul eſt nimis acris*, tunc lentè circulando, & preſſione à tergo auctâ, aliquando canaliculos lymphaticos diſrumpit, ut liquor intra cutem & cuticulam deſtillet, *unde in veſiculas elevatur*, & vocatur *Eriſipelas veſicularis.*

Pro diverſo etiam lymphæ male diſpoſitæ ſtatu prout vel nimis tenax, viſcida, acida, acris &c. exiſtit, diverſa apud veteres ſortitur nomina, ita ut vel *Eryſipelas phlegmonodes, œdematodes, & ſcirrhodes* illis audiat.

Prout namque materia obſtruens particulis magis ſubtilibus, oleoſis, ſulfureis &c. gaudet, eo inflammatio & calor magis intenſus eſt, à magis craſſis verò, minor, &c.

IV. Quæ mulieres vel viri lympha acri pleni ſunt, affectum hunc ſæpe incurrunt.

Eryſipelas Veſicularis plerumque faciem, rarò autem alias partes occupat.

Aliàs brevi quidem malum hoc ceſſat, ſed facilè

 reci-

recidivat & non raró in ulcera degenerat. Et ſi nimis citò evaneſcit, vel introrſum vertitur, boni ominis haud eſt, ut nec ſi in facie oboritur, vel in capite.

V. Curatio plerumque fieri ſolet *per inſenſibilem tranſpirationem*, ubi accedente pruritu, cuticula quaſi in ſquamas fatiſcit, & color ſenſim in ordinarium mutatur rurſus.

Fugiantur ergò repellentia & refrigerantia, ne in ulcera rebellia, vel ipſam gangrænam abeat.

Sed ut inflammatoria obſtructio tollatur, & coagulum lymphæ auferatur rurſus, *exhibeantur Diaphoretica & abſorbentia*, unde non tantum pori aperiuntur, ſed & acidum coagulans peſſundatur. Hinc

℞. ♁ *Diaphoret.*
CC. ſine igne ppt.
eboris ſine igne ppt. aa. ℈ß.
⊖ *is vol.* CC. gr. v.
Croci gr. iij. M. pro doſi. Vel

℞. *Aq. card. ben.* ℥iij.
R. *Bezoard.* ʒiß. *ſine acido.*
Rob. Sambuci ℥ß. M. pro doſi. Vel

℞. R. *meæ C. C. ſuccinat.* ʒj.
Aq. Fl. ſambuci ℥iij.
Rob. ſambuci ʒij. M. pro doſi.

Si dolor & inflammatio ex nimis auctâ preſſione admodum urgent, *ſecetur vena, utpote in quavis inflammatione neceſſaria.* In vigore verò inflammationis cave à purgantibus. Vel ſi purgare neceſſum ſit ſtatim in principio mali hoc fiat, quoniam alias motus humorum, quem natura per corporis peripheriam exturbare intendit, ad interiora trahitur. *Sudorifera ergò omnem hic abſolvunt paginam*, ſed inter ea exulent tam ſalia volatilia quam fixa.

VI. *In-*

VI. *Inter externa* omnia ea conducunt, quæ acidum deſtruendo reſolvunt, & coagulum tollunt, ſive ſiccâ, ſive liquidâ formâ exhibeantur.

Egregie vero conducit *ſeq. epithema:*

℞. *Herb. rutæ.*
Scordii
Abſinth. aa. m. ij.
Myrrhæ rubr. ℥ß.
Thuris albi ʒij.
Sulfuris pulv. ʒj.

Coquantur in ſ. q. *Aceti & vini* aa. & calidè applicentur, & calor ac rubedo extrahuntur. Vel

℞. *Rob. ſambuci* ℥j.
Theriacæ ℥ß.
Spir. Vini camph. ʒij. M. & calidè applicetur cum linteis præſertim *in Eryſipelate faciei.* Vel ſi *Elixir meum Balſamicum* eſt in promtu, hoc admodum reſolvit. Vel

℞. *Spir. vini præſertim ſambucini* ℔ß.
Rob. Sambuci ℥ij.
Sachari ♄ni ℥j.
camphoræ ℥ß. M. & applica. Aut

℞. *Sachari ♄ni*
Bacc. ſambuci ſiccat. aa. ℥j.
Aq. Sperm. ranar. & Flor. ſambuc. aa. parum.

In pultem contuſa applicentur in aluta è corio caprino.

Vel *Rob. ſambuci* ℥j. *Sach. ♄ni* ʒij. mixta & in aluta extenſa applicentur.

Inter *epithemata ſicca* egregius eſt *Pulvis Eryſipelatodes Mynſ.* Vel

℞. *Farin. ſem. lini tritici* aa. ℥j.
Liquirit. pulv. ʒvj.

Ceruſ-

Cerussæ
Cretæ aa. ℥ß.
Myrrhæ ʒij.
Camphoræ, ʒß.
M. fiat pulvis, qui externè applicetur calidè.
Vel & *pars affecta* sæpius de die *suffiatur mastiche & thure, ac sabina.*

VII. Si verò Erysipelas *in exulcerationem abiit*,
Ex aceto lithargyrii filtrato, *cum oleo* ♀i fiat linimentum, & cum linteis intinctis applicetur.

Sed cave à pinguibus & oleosis. Vel

℞. *☿ii præcipitati ruberrimi* ℥iiij.
Butyri recenter cocti ℔j.
Olei rosarum vel sambuci
Camphoræ aa. ℥ß.

Camphora in oleo soluta admisceatur butyro liquefacto, tunc admisceatur exactè ☿ius præcip. in subtilissimum pulv. redactus.

Hoc linimentum applicetur linteis inductum, postquam ulcus *aqua aluminosa* prius fuit purificatum.

Dehinc curatur per *Empl. Oppodeldoch*, vel aliud ad ulcera inveterata usitatum.

Essera.

Esseræ.

I.

SUnt *parvæ pustulæ, in cute erumpentes*, cum squamis, bullarum instar eminentes, & carnem quasi exuberantem habentes instar hypersarcoseos. Nostris malum hoc audit die Nesselsucht.

II. *Oritur à lympha debitò viscidiore, & salinis particulis turgida*; Cum tamen salibus suis volatilibus benignis, ac partibus spirituosis nondum depauperata extet, hinc facile quidem cedit malum, sed etiam *levi de causa, subitanea nimirum refrigeratione, aut terrore, mox redit.*

III. *Curatur* hoc malum prout alia vitia Cutanea, *per institutam Diaphoresin*, in specie per *Tincturam meam CC succinatam.*

IV. *Inter Externa* conducit *Balneum, ex herb, scabiosæ, agrimon. saponar. oxylapathi, malvæ, cum furfuribus vel farina lupinorum*, addito *sulfure & Nitro*, factum.

Sic & egregii usus hic est *Aqua Calcis vivæ, cum* ☿*io dulci & sach.* ♄*ni* &c.

Favus,

Favus, der Erbgrind.

Videatur de infantum morbis parte secunda.

Fistula.

I.

EST Ulcus inveteratum sinuosum, quod sese profunde intra partes corporis molles insinuat; *Ductus* ejus sive cavitates, *aut cuniculi, sunt angusti & callosi.*

In genere verò *vel unam, vel plures habent cavitates*; si plures, nominantur *cuniculi*, sed si una saltem cavitas adest, *specus vocatur.*

Labia hujus ulceris *plerumque sunt alba, atque callosa ac dura*, vel cum, vel absque insigni dolore: Interdum sicca, non rarò multum humidi fundentia.

Si cavitas obliqua est, loco styli candela cerea profunde introduci potest. Et si extremitas in carnem desinit, fundus est mollis, sed si in os, durior. Si nervum tangit, & rodit, dolor sequitur intolerabilis, atque pus est oleosum, nec pars affecta debite moveri potest.

Si in ossa desinit, & tangendo inæquale quid tangitur, caries adest, & pus quod effluit sæpè tenue est, fœtens & colore nigricans. Si venulas contingit, pus est cruentum. Et si in articulationibus terminatur, materia instar albuminis ovi glutinosa effluit.

II. *Originem trahunt* ulcera hæc Fistulosa, *ab humorum,*

morum, ex vasis ruptis, *intra musculorum cavitates, exstillatione*, ubi subsistendo corrumpuntur, & acidi acresque fiunt, unde tunc parietes cavitatum, quos præterlabuntur, callosi, duri, sive scirrhosi evadunt, dum fibræ ubique redduntur obstructæ.

Et dum succi acres per illas fibras fluentes magis ac magis incrassantur, & tandem à suo cursu inhibentur, *in cancrum degenerant*, ubi tunc labia & latera, livida & plumbea evadunt.

III. *Causæ præcedentes* sæpe fuerunt *inflammationes, Exulcerationes, abscessus, vasorum ruptura, lapsus, casus hæmorrhoides* &c.

IV. *A quacunque verò causa originem sumunt Fistulæ, difficillimæ sunt curationis*, præcipue si in articulos desinunt, vel in ano, utero, pectore, &c. oriuntur. Et quo plures sinus adsunt, eo curatu sunt laboriosiores. Item si adest caro fungosa, caries ossium, inflammatio Febris & dolor, eo pejus. Cum etiam in junioribus difficilis sint sanationis, *multo minus curationi auscultant, in Senibus*, ut & *in cacochymicis, Cachecticis, scorbuticis ac lue venerea laborantibus*, quam in aliàs sanis.

Boni vero ominis adhuc sunt labia mollia & humida.

V. *In Curatione humorum acrimonia corrigenda, & callositas removenda*, & si plures sunt sinus, cultello in unum sunt secandi.

Ad corrigendam humorum àcrimoniam in continuò usu sint *Decocta ex sarsaparilla, China, Guajaco, sassafras & herbis aliis vulnerariis*, Nec non *Diaphoretica & absorbentia* alia.

VI. Inter Externa ante omnia ea in auxilium sunt vocanda, *quæ labia & latera fistularum callosa tollunt*, hunc in finem.

℞. *Ꝥ. li*

℞. *Ⓗli albi* ℥iiij.
Camphoræ ʒj.

In pulverem contusa tenuem, sartagini imponantur & in modum lapidis alchymiæ igne torreantur, donec pulvis rubet, tunc pulverisentur denuò & addantur Boli rubr. ℥iiij. ac ad usum serventur.

Tū si *in usum debet venire sume aquæ pluvialis* ℔ij. & dum hæc ebullit, adde *pulveris modo dicti cochlearia duo*, ac benè agitentur, dein post subsidentiam, quod clarum est, decantetur, ac cum linteis carptis applicetur & injiciatur.

Si verò orificium fistulæ est nimis angustum, dilatetur prius vel ferro, vel spongia dilatatoria in pyramides formata. Vel si pars sectionem admittit, tota, *si simplex est fistula*, aperiatur ferro, & callus cultello removeatur, vel applicato *ung. Ægyptiaco*, aut *Ung. fusco Fel. Wurtzii* cum turundis immisso tollatur. Vel

℞. *Ung. Ægypt.* ℥ß.
Aloes Hepat. ʒß.
☿ *dulcis* ʒj. Coquantur ad consistentiam pro turundis conficiendis, quarum unâ vel alterâ immissâ callus facile cedit. Sed si plures anfractuosi occurrunt sinus, tum pro injectione utere ante dictâ aquâ. Vel

℞. *Ligni sancti* ℥j.
Sassafr.
Rad. chinæ aa. ℥ß.
Gentianæ,
Aristol. rot.
Ireos Flor. aa. ʒiij.
Herb. Nicotian. m. j.

Flor.

Flor. hyperici m. ß.
Alum. crudi
Aloes Hepat.
Alb. Græci aa. ℨiij.
Aq. Fontan. ℔ij.
Vini rubri ℔j.
Coque ad consumtionem med. partis;
Colaturæ sume ℥ij.
Succi cancror. expr. ℨij.
☿. *dulcis* ℨj. M. pro injectione per siphonem.

VII. *Si Fistula in os desinit, & hoc carie infectum esse suspicamur*, tum ante omnia Caries illa auferatur, alias nullam curã suscipit. Proptcrea sume *Aquæ plantag.* uncias aliquot, in qua coquendo *dissolve aliquid* ☿*ii dulcis*, & adde insuper *Spir. Nitri dulcis* saltem gtt. aliquot, ne nimis acre fiat, hanc aquam injice per syringam & intra quinque vel sex dies nigredo ossis cessabit, *tum si carne tegi os incipit, hoc stilo tangi potest.* Tunc desistatur ab hac injectione, & applicetur, v. g.

℞. *Succi Tabaci viridis expressi*
cancror. rec. express. aa. ℥iij.
☿ *dulcis.* ℨj.
Mellis chelidon. ℥j.
Coquantur, ut fiat quasi Unguentum, quod applicetur.

Vel os cariosum tangatur sæpius ferro candente, sic fœtidus odor statim cessat. Ossi verò sic denudato, aspergatur pulvis mastichis, Myrrhæ, Aloes, euphorbii, aristoloch. Rad. irid. florent. &c. tunc verò *imponantur filamenta carpta*, & denique *Unguentum digestivum* Tandem verò obstaculis omnibus remotis bona carne repleatur fistula, id

quod ipsa natura aliquando sua sponte efficit, vel saltem *simplici Emplastro* ℞ *nino* adjuvatur.

Si autem cavitas fistulæ nimis ampla est, tunc fiat Decoctum ex *Myrrha, Aloe, Fl. rosar. Rad. arist. rot, scordio. Cent. min. cum vino.* Et hoc sæpius calidè injiciatur, quo sordes eo melius detergantur, & putredo humorum affluentium arceatur, ac consolidatio promoveatur. Sed *dum hoc ita peragitur, fistula adhuc aperta servanda est*, ut pus secernatur.

De turundis, ad callos absumendos *notandum*, quod tamdiu sint adhibendæ, *donec omnis durities ablata fuit*, & tunc bonæ nutritiæ lymphæ appulsu, caro nova generari incipiat, id quod opus tunc adjuvari potest, *Sarcoticis, quæ Balsamicas & temperatas particulas fovent, quæque acidas & salsas partes sanguinis temperant, & humidum excessivum consolidationem retardans absumunt*, qualia sunt, *Bals. Peruv. Copaivæ, Gummi animæ, Elemi, Styrax liquida, myrrha, mastix*, &c. Hunc in finem poterit fieri egregia *Essentia incarnans* ex *Flor. Hyperici. Rosar. r. millefolio, Aloe, myrrha, mastiche, gummi Elemi, styrace liq. Bals. Peruviano & Melle.*

IIX. Hæc verò de Fistulis in genere dicta sunt. Sed cum singularium partium fistulæ, cautelas alias exposcant v. g. *Ani Fistulæ hoc proprium habeant, quod plerumque non nisi sectione curentur*, hinc notandum totum ejus ductum, Viam monstrante specillo, syringotomo, ab orificio, ad extremum usq; fundum incidendum esse, si anum penetrat.

Vel Syringotomon in cuspide muniatur globulo cæreo, & tum trajiciatur per callosum ductum & cavitas uno ictu incidatur: sic incisio momentanea quasi est.

Hoc peracto removeatur callositas methodo supra docta, & consolidetur per sarcotica &c.

Si verò Fistula anum haud penetrat, tum orificium dilatetur saltem mediante Radice Gentianæ, vel spongia siccata, deinde sinus & caro intus putrida & callosa excidatur cultello, vel *cathæretico* supra notato *ex Ung. Ægypt.* vel alio, curatio verò tunc porrò perficiatur per sarcotica Balsamica, aut Emplastra saturnina &c.

IX. Ut verò curatio eo felicius peragatur, *accuratissima victus ratio observanda est.* Vitentur verò omnia *salsa, acria, acida & viscida.* Ac *vitetur omnis excessus in potu*, præsertim spirituoso. Corpus interim per intervalla purgetur: Et infusa sanguinem diluentia & temperantia sint in frequenti usu.

Fractura.

I.

IN Machina Corporea, *Ossibus saltem propria*, in genere à violentia quadam externa accidere solet, licet ex aliorum observationibus constet, quod à causa etiam interna, utpote convulsionibus, Ossa aliquando fracta fuerint.

II. *Si os secundum longitudinem frangitur, dicitur Fissura*, & ut plurimum in occulto latet, ac symptomata sua gravia tardè prodit.

III. *Si per transversum frangitur*, superveniunt dolores graves partium membranosarum, *& quidem admodum atroces, si festuca Ossis fracti* partes cutaneas, vel membranaceas pungit & lædit. Præterea motus ossis per transversum cessat, & partis fractæ intumescentia æqualis se jungit, atque ratione doloris & tensionis subinde Inflammationes & œdemata superveniunt.

IV. *Inflammationes autem hæ*, in principio Fracturarum accedentes ex fibrarum strictura, motum sanguinis & lymphæ retardante, *non confundendæ sunt, cum Erysipelate*, quæ quarto vel septimo die supervenire solet, ob læsas partes nerveas, quarum partes nutritiæ, in corporibus præcipuè cacochymicis, admodum alteratæ & acorem contrahentes, ipsas partes nerveas irritant, & inde febrem excitant: *Unde non rarò, festucarum* ex osse procedentium, & partes vicinas lædentium *suspicio oriri solet.*

Ossa verò Senum arida, ut & Lue venerea infectorum cariosa præ aliis facile franguntur.

V. *In*

V. *In Fissuris ossium*, non rarò nutrimentum ossis proprium, secundum longitudinem ossis elabitur, & defluit, *ac circa loca articulis vicina congeritur, & tandem in abscessum abit*, qui in loco abscessus impossibile curatur, quoniam fissura ad distans continuo materiam suggerit.

Propterea *admodum judiciosè Fissura occulta inquirenda & expiscanda est*; tangendo probè totum membrum læsum, an vel rimula quædam, aut inæqualitas, vel asperitas, aut cariei signum percipi queat. Inquiratur etiam, an in casu vel motu, sonus aliquis vel strepitus in membro læso audita sint.

VI. *Fractura verò transversa*, quæ sine ossis remotione ex suo loco facta fuit, *facilius curatur*, quam illa, ubi simul os è suo loco remotum est.

Et si Os in frustula comminuitur, periculosum admodum est; propter vulnus vel sensibile vel occultè partes membranosas lædens, unde abscessus facile oriri solet.

VII. *Ubi duo ossa juncta sunt, & unum ex illis fracturam incurrit*, tum alterum loco fulcri est, quod os fractum in suo situ retinet, & membrum firmat. *Majus ergo periculum adest, si utrumque os frangitur.*

Sic & Fractura circa articulos, propter tendines & nervos circumsitos, difficulter reponitur, & obfirmatur.

Nec minus periculosa est illa Fractura, quæ circa loca tendinosa & fibrosa, utpote in talo accidit. Secus quam illa, ubi multi musculi fractum os tegunt, ubi non tanta symptomata gravia sunt metuenda.

IIX. *Quæ autem cum vulnere vel contusione par-*

tium mollium, vel vasorum sanguivehorum majorum facta fuit, inflammationes vel convulsiones, imò ipsam Gangrænam inferre solet.

IX. *Si verò Os in frustula fractum est*, tum ea quæ minora sunt & planè separata, citius removentur, quam majora, & membranis adhuc adhærentia.

Os Femoris, musculis vastissimis circumseptum raro consolidatur, quin denuò elabatur; vel vitiosam figuram contrahat.

De cætero ossa in hominibus aliàs sanis utplurimum intra viginti vel viginti quatuor dies consolidantur, ubi majora aliquando quinquaginta vel sexaginta dies pro consolidatione requirunt.

X. *Fractura verò recens, consolidationem citius admittit, quam si negligitur*, & ei tempus relinquitur, non solum *quoniam extensio partis quæ requiritur, accedente inflammatione absque periculo vix fieri potest*, sed & quod occallescant extremitates ossium fractorum, ut postea junctæ raro coalescant, præcipue in senibus.

Curatio propterea promta hic requiritur, antequam enormis dolor, & inflammatio accedunt.

XI. *Et cum ossa fracta, utplurimum suo loco dimoveantur*, ita ut unum supra aliud feratur, oportet ut debitè extendantur rursus, ut coaptari ritè queant, & in suum situm naturalem firmari mediantibus fasciis & ferulis.

Si enim hoc ita ritè peragitur, ipsa natura, sive *circulatio nutrimentum in ossa fracta apportat, & conglutinat*, atque inflammationes ac alia symptomata advenientia avertit.

XII. *Chirurgi ergò officium hic unicè consistit in cita, &*

ta, & debita Ossis fracti repositione, & repositi obfirmatione.

Ubi tamen probè consideret, an os fractum ab invicem dimotum extet, vel non, *si enim transversim os fractum est, non semper ab invicem dimovetur*, id quod cognoscitur, si in loco fracturæ nulla cavitas percipitur, nec punctionis sensus adest, aut membrum brevius apparet. Tum enim non opus est, ut membrum extendatur, sed saltem opera danda, ut ossa fracta in sua sede & situ naturali detineantur & uniantur rursus.

Si verò inflammatio nunc adest, hæc curetur prius, antequam fractura attingitur.

Vel si nondum adest, & tamen metuenda, tum medicamenta adhibeantur in deligatione, quæ eam præcavent: qualia sunt *Fotus ex floribus Hyperici, chamomillæ, meliloti Herb. rutæ, Scordii* &c. in vino coctis, plura vide de Inflammationibus.

Deligationem ipsam quod attinet, hæc nec nimis laxa sit, nec nimis stricta. Pro conditione loci affecti ferulis interjectis, ut membrum firmum teneatur. Methodum specialem *vide in mea chirurgia de Fracturis.*

Legitimæ vero deligationis signa ex ægri rogati vel querimonia, vel tolerantia desumi possunt. Sic & tumor in extremitate membri, intra diem & noctem, post deligationem exortus deligationem fortiorem designat, &c.

Tertio verò die ligatura prima solvenda est, tum ut paulò arctius stringatur, tum ut exitus pateat vaporibus sub cute contentis, qui pruritum excitant.

Vel ne deligatione tardius institutâ, putredo,

exulceratio, aut ipsa Gangræna cum vitæ periculo, exoriatur. *Propterea semper vel secundo aut tertio die ad septimum usque deligatio solvenda est*, postmodum si omnia bene se habent, quarto semper die hoc peragendum: & ita continuandum, *donec callus genitus, & fractura sanata fuit.* Id quod pro ætatis, constitutionis corporis, anni temporis, ac ipsius fracturæ dispositione, *in femore* intra 40. dies, *in humero & tibia* intra 30. *in radio & cubito* intra 20. *in digitorum ossibus* intra 15. dies circiter fieri solet. *Citius vero coalescit fractura in puero & juvene, quam in sene, sic & verno citius, quam æstivo tempore.*

Interea tamen, dum hæc fiunt, pro convenientia ægri non omittenda est vel Venæ sectio, vel purgatio ægri &c.

Sic & talia à nonnullis exhiberi solent, *quæ ad callum generandum specifica esse credunt*, qualis est *lapis osteocollæ* in pulvere ad ʒj. *cum aqua symphyti* sæpius exhibitus. Vel

℞. *Lapidis hujus* ℥j.
Cinamomi electi ʒiij.
Sach. ℥ij.

M. fiat p. subtilissimus, cujus dentur ʒij. singulis diebus in jusculo. Pro Emplastro

℞. *Empl. Vigonis ad fracturas ossium* ℥ij. *Empl. Oxycrocei* ℥ß. *Lapid. osteocoll.* ppt. ℥ß. *Lumbricorum* ppt. & pl. ℥j. *cum olei lumbricor.* q. s. fiat Empl. quod superimponatur.

XIII. *Si Fractura cum Vulnere facta est* tum ossa loco suo restituantur & conjungantur, dehinc vulnus sanetur. *Restitutio fiat mediante extensione non adeò violenta*, vel si hæc non sufficiat, ferramenta

firma

firma vectibus similia, & partibus fractis convenientia adhibeantur, & ossa fracta in suum locum compellantur. Et hæc omnia primò statim die facienda sunt, antequam inflammatio supervenit.

Deligatio autem fiat mediantibus ferulis perforatis, ut sine ligaturæ solutione pus exire, & medicamenta per foramen applicari queant. *Compressio verò sive deligatio*, etsi tanta esse oporteat ut ossa fracta combinata teneantur, *tamen paulo laxior esse potest*, ne vulnerata parte compressa dolor & inflammatio excitentur.

Numerus verò fasciarum, laxiorem deligationem compensare potest, cum tutius sit sæpius fascias circumducere, quam partes fractas comprimere.

XIV. *Si in osse fracto festuca adsunt*, quæ cum reliquo osse agglutinari non possunt, & jam separatæ sunt, hæ mediante volsella sunt extrahendæ: Si vero adhuc reliquo ossi adhærent, tum leniter tractandæ sunt, donec natura eas successu temporis separat; Deligatio interea laxior est instituenda, & sæpius quoad foramen relictum, solvenda, ne pus detineatur, sed liberè effluat.

Si autem fracti ossis prominentiæ adsunt, quæ dextrè reponi nequeunt, vel jam ab aere cadaverisatæ sunt, *necesse est, ut vel abradantur, vel separentur* vulnere per digestiva diutius aperto servato.

XV. *Et si os repositum debitam figuram haud nanciscitur*, tum si callus recens est, & non ultra sex menses concretus, ac æger robustus, & os fractum non adeo magnum existit, callus iterum frangatur, & ossa rectè coaptentur. Ut verò talis fractura eo facilius procedat, *foveatur callus Decocto Herbarum emollientium.* Si autem callus nunc inveteratus est,

os frangatur rursus circa callum, & debita coaptatione facta consolidetur &c.

Si verò Fractura ossis cum vulnere ita videtur esse constituta, ut nil de osse abscessurum metuatur, tunc vulneris labia sunt conjungenda, & balsamo vulnerario tractanda.

XVI. *Fissuram ossis quod concernit*, si recens est, facile curatur per *Empl. ex radice symphyti.* Si verò est inveterata, & tumor accessit mollis & tractabilis, scalpello aperiatur, & abscessus instar aperturæ cum vulnere tractetur. Si autem abscessus nunc sponte obortus est, facta suppuratione aperiatur & apertura relinquatur, circa locum fissuræ, ut caries, si quæ adest in osse, tollatur, mediante *pulv. euphorbii, vel Ol. garyophyll. destillati* &c.

XIIX. Ante omnia verò tam in curatione, quam peractâ hác, *advenientia symptomata* in considerationem veniant, qualia sunt *Dolor, Inflammatio*, & hanc insequens *Gangræna, Pruritus, excoriatio, vel exulceratio*, membri curati *figura depravata*, callus justo major vel minor, *membri extenuatio & debilitas.*

Dolor cum vel ab osse aliquo pungente, vel fasciis nimium adstrictis, membri situ inconvenienti, &c. exoriri soleat, hinc si fieri potest, ea statim tollenda sunt. *Quomodo Inflammatio compescatur*, vide suo loco. *Pruritus & excoriatio ut sistantur*, vulnus aquâ calidâ vel modicè salsa abluendum est. Dehinc inungatur locus *Ung. alboc amph. vel Diapompholigos.*

Si callus justo major excrescit, & induratus existit, foveatur *cum Decocto emolliente*, & apponatur *Empl. ex illo de ranis cum ☿io. & de mucilaginibus commixtum.*

tum. Tandem loco Empl. adaptetur *lamina plumbea* cum firma ligatura.

Si verò callus justo minor generatur, quod tactu cognoscatur, si est à penuria succi nutritii, victus plenior concedatur, & quidem cibi chylum gelatinosum suppeditantes, & *lapis osteocolla exhibeatur*, &c.

Et si membrum gracilescit, vel à victu nimis tenui aut alimenti penuriam, aut post longam strictiorem deligationem, vel membri diuturniorem quietem dum à motu cessat, &c. tum his omnibus prospiciatur. *Consule ea quæ de atrophia huc spectant.*

Fungus Articularis, der Glied-Schwamm.

I.

Est tumor mollis, digitis cedens & recedens, qui sensim incrementum sumit, sed absque singulari dolore, *præ aliis verò partibus genua facilè occupat, & gressum difficilem reddit.*

II. Originem vulgo sumere solet, post violentum lapsum, aut percussionem, aut vim aliam in hoc vel illud genu, *unde tendines extenduntur*, vel alio modo læduntur, ut lymphæ articulari facilè locum cedant, & tumori tali ansam addant.

III. Quam diu verò lympha talis circulum suum adhuc absolvit, tam diu tumor ille etiam per plures annos absque singulari dolore adesse potest, nec singulariter incrementum sumit, sed si fortiori pressione circulum absolvere cogitur, tum dolor sensim affligit. Et si tandem lympha viscidior evadit, ut sensim stagnare incipiat, tum non solum dolor, sed & tumor augeri incipiunt, & in cancrum non rarò degenerat, vel & ad Tabem corpus disponit.

IV. Si malum ex casu vel lapsu, vel alia violentia originem sumit, tum *Thermæ admodum conducunt*, vel in harum defectu *fiant fomentationes diligenter ex Decocto Herb. Salviæ, beton. Rorismarin. Flor. chamomillæ, hyperici, Bacc. Lauri, juniperi, Sem. cumini* &c. addito *Spir. ✱ci, & matricali cum camph.* vel statim ab initio, antequam extensio tendinosarum partium nunc incrementum capit, sequenti fotu constringantur læsæ partes, v. g.

Mu-

℞. *Muriæ halecis* ℔j.
Aceti vini acerrimi ℔ß.
Olei Romani ℥ß.
Alum. crudi ʒij.
Boli Armen. ℥j. M.

Post fotum, qui sæpius reiteretur, imponatur *Empl. carminativ. Sylvii*, vel illud *de Cumino*, aut *de Ranis* cum ☿io, &c.

Si lympha extravasata in coagulum nondum abi-it *Felix Wurtz commendat sectionem*, ut lympha extravasata effluat. *Vide chirurg. meam manual.*

Furun-

Furunculus Græcis *Dothien.*

I.

Est tumor in acutum tendens, *cum rubore, ardore, dolore & duritie; erumpens cum horrore & rigore, vel Febre.* Magnitudo diversa est; alii sunt majores, alii minores, plerumque ovum columbinum magnitudine exæquant, & si unus cedit, sæpe alter revertitur, atque sic homines aliquando diu excruciari solent talismodi abscessibus.

II. *Si ad suppurationem tendunt*, dolor admodum intenditur, cum pulsatione & inflammatione maxima totius artus, & si nunc abscessus rumpitur, & in ulcus abit, tum materia plerumque est admodum viscida & tenax, aliquando cum sanguine mixta. Aliquando verò in superficie cutis foraminula exoriuntur, quæ humorem tenuem fundunt & reliqua durities discutitur.

Aliquando verò materia coagulata per frustula se extrahi patitur.

III. Causa est *chylus ab acido coagulatus*, & in hac vel illa corporis parte, & ejus tubulis, stagnando & obstruendo in abscessum, & tandem in Ulcus abiens.

IV. Quod junioribus plus quam adultis hoc malum familiare sit, causa est voracitas, ubi præter alimenta crassa, fructibus sæpè immaturis inhiant, & copiosè devorant.

Aliquando tumores tales epidemicè grassari solent. Et quoniam aliàs facile recurrunt, & sæpe diu du-

rant;

rant, infantes non raro ad atrophiam deducuntur, præcipuè si acrimonia humorum major adest, unde est quod aliquando homines, hoc malo aliquot mensibus excruciari soleant, uno nimirum talismodi tumore inflammatorio exulcerato & curato, in alia parte repullulat novus &c.

V. *Ut ergo radix hujus mali tollatur, ante omnia Depurationi Massæ Sanguineæ inhæreatur*, ut repullulascentia evitetur. Hunc in finem in usum veniant talia, quæ acescentiæ obstant, & coagulum lymphæ impediunt; qualia sunt *absorbentia varia*, tam fixa quam volatilia sanguinis depurationi dicata, in specie ex ♁io & ♂e parata. Sic ex ♁io, hic in specie adest, *Tinctura ♁ii verè Aurea, ex 🜄e ♁ii extraverso* &c.

Nec contemnendi effectus hic sunt *Decocta Lignorum vel species ex illis lignis* magis appropriatis, misceantur *cum Thee*, & in continuo sint usu.

VI. Ipsum verò Furunculum nunc præsentem quod attinet, *ante omnia tentetur ejus emollitio & suppuratio*, hunc in finem applicetur *Empl. de gummi ammoniaco*, vel *Diachylon, & de Meliloto* invicem mixta, aut illud *de mucilaginibus* .&c. Et si materia est satis emollita, & per se rumpi haud velit, *aperiatur cultello*, & exempto pure ulcus mundificetur *Unguento Basiliconis & Balsamo 🜄is*, &c.

Si verò materia nimis crassa suppurationem recusat cum sectione aperiatur tumor, & cute sublatâ, materia extrahatur, reliquiæ verò absumantur *Unguento Ægyptiaco*, vel ☿. *præcip. aut alumine usto*, & Ulcus tandem consolidetur mediante *Empl. Opodeldoch*, &c.

Ab initio ad suppurationem promovendam & mate-

materiam maturandam *egregiè etiam conveniunt cataplaſmata*, de abſceſſu commendata, nec inconveniens eſt *Unguent. Baſiliconis*, quod egregie emollit & maturat.

VII. Cum etiam ab initio inflammatoria ſtagnatio & incipiens obſtructio ſæpe tanta ſit, ut æger pro dolore vix perſiſtere queat, hinc ad inflammationem talem mitigandam applicetur *Elixir. meum Balſamicum*. vel imponatur mixtura ex *Rob. Sambuci, Theriaca & Spir. vini camphorato, &c.*

Datur verò Furunculus aliquando magis Benignus, ein gemeiner Schwären / vel magis Malignus ein Blut-Schwären / carbunculo benigno non abſimilis.

Ganglion, ein Ober-Bein.

I.

EST tumor durus, & indolens, utplurimum circa manuum juncturas, & talos, absque cutis discoloratione adveniens, *à tendinum læsione*, dum vel contorquendo, vel illidendo, &c. eorum fibræ lacerantur, dilatantur &c. unde liquor circulans ad latera, partes vel fibras læsas distendit, & stagnando in tumorem attollit.

II. Et cum malum hoc sit indolens, nisi premendo dolorem obtusum exhibeat, atque propterea non magni æstimari soleat, hinc fit *ut extravasata lympha admodum viscida & tenax reddita*, tunc difficulter neque emollientibus neque discutientibus obediat.

III. *Propterea in tempore applicentur talia quæ egregiè resolvunt & coagulum avertunt.* Alii hunc in finem commendant *penetrantes spiritus*, qualis est *Spiritus* ✱*ci*, *matricalis*, *vini camphoratus*, ☍ *Petræ* *cum camphora.* Nec *seq. Empl.* est negligendum.

℞. *Empl. oxycroc.* ℥j.
Gummi ammoniaci
Bdellii aa. ℥ij.
Flor. ✱*ci* ʒj.
☍ *Petræ* ℥ß.
Ceræ q. s. M. fiat ceratum.

Sic & conducit *Empl. de Ranis cum* ☿*io duplic. &c.* Laminâ plumbeâ crassiori ponderosa desuper fortiter alligata.

IV. *His vero frustra adhibitis*, manus vel pars, in quâ ganglion hæret, situetur commode super tabu-

lam, atque *aliquoties ganglio fortior ictus pugni injiciatur*, ſic rumpitur tumor, & planus evadit, quo verò tunc ulterius reſolvatur coagulata lympha, ſæpiſſimè de die quam calidè infricetur hoc linimentum:

℞. *Ung. de alth.*
Olei Lauri aa. ℥ß.
Philoſoph. ʒij.
Ceræ ʒj.
Tinct. Galbani ℥j.
Spir. ✱ci opt. ʒiij.
camphoræ ʒij.

Deſuper vero apponatur Empl. ſupra laudatum, cum ſtrictâ ligatura.

V. Qui magis expeditam curam expetunt, *tumorem ſectione tollere poſſunt, tendinem ſcil. juxta fibrarum ductum ſectione aperiendo*, & materiam contentam coagulatam extrahendo, tum verò rurſus conſolidando; Et ne lympha de novo partes extendat, & in tumorem novum attollat, deſuper geſtetur *Empl. ſupra reſolvens. laminâ plumbeâ deſuper fortiter alligatâ* & per tempus geſtatâ.

Sed hæ curæ magis violentæ, inveterato potius Ganglio ſunt adhibendæ; Cum *recens malum* ſupradictis *Spirituoſis vel Empl. adhibitis* aliquando facile cedat. Alii *ſolo gummi ammoniaco* emollito & in forma Empl. cum lamina plumbea alligato non rarò coagulum ſolvunt, &c.

Gan-

Gangræna, der heisse Brand/ oder eine anfangende Ersterbung.

I.

EST enim alicujus partis corporis *incipiens mortificatio*, sive corruptio omnium circulantium humorum, *unde pars totaliter obstruitur*, quæ obstructio & corruptio tunc citò & brevi tempore partibus sibi vicinis communicatur, *& dum mortificatio alicujus partis nunc facta est, dicimus* partem jam *Sphacelo esse correptam*, sive emortuam, atque *Sphacelus à Gangræna saltem gradu differt.*

Quemadmodum enim Gangræna est incipiens corruptio tam fluidarum quam solidarum partium ita *Sphacelus est nunc facta earundem & plenaria mortificatio*, à totali perturbata humorum corruptione, & partium solidarum plenaria obstructione exorta.

II. Hoc vero malum plerumque *carnosas & musculosas* partes occupat, prout *Cancer glandulosas, & Caries ossa.*

Sic & hoc malo citius afficiuntur *partes corporis remotiores*, utpote ab influxu spirituum non tam invigoratæ, ac partes cordi sive fonti caloris propiores.

III. *Signa* Gangrænæ incipientis, *pro diversitate Causæ* variant.

Si *ab inflammatione* alicujus partis occasionem sumit, tum *Color inflammatorius ruber in flavum mutari incipit*, dehinc malo sensim ingravescente, *color cum maximis doloribus & cruciatibus in fuscum*

& lividum mutatur; Et dum sic sensim ad mortifi-cationem sive Sphacelum tendit malum, *exoriuntur pustulæ majores*, ichore, loturæ carnium simili, re-fertæ, & dolor, calor ac pulsus remittere, ac tu-mor collabascere incipit, & attingendo foveam re-linquit instar œdematis, cum sensu & calore parti abolito.

IV. *Si à Frigore* Gangræna originem trahit, tunc adest dolor pungens, qui tamen mox mitescit, pars vero fit livida, & instar glaciei frigidissima.

V. *Si ab Hydrope*, tum ab initio dolores sunt me-diocres, si verò ad mortificationem tendit, tunc dolores ingravescunt, pars livescere incipit, & red-ditur insensibilis, cum pulsu cessante & deniqu abolito.

VI. *Si Defectus succi nutritii* Gangrænæ causa ex-istit, tunc ab initio nec inflammatio, neque dolo aut tumor adsunt, pars verò interim redditur frigi-da, & absque dolore ad Sphacelum sive perfectam mortificationem transit.

VII. Et *si à constrictione vel ligatura, aut Contu-sione fortiori* partis alicujus oritur affectus hic, tun ex tumore, inflammatione, doloribus intensis, ve-siculis aquâ repletis, & livore ac nigredine parti dignoscitur, membrum fit immobile, & cutis carne abscedit, & si inciditur, tum præter paucam quantitatem lymphæ & vaporem nil exit.

IIX. Et, *si Morsus alicujus venenati animalis*, *v malignitas alia* est in causa, tum præcedunt anim deliquia, vomitus, Febris maligna & deliria vel ali symptomata morbis malignis vel pestiferis solen nia.

IX. *Sphaceli* verò sive *mortificationis nunc facti*

igna sunt, *si pars Gangrænosa fœtet, livet & nigrescit, tumida, mollis & cadaverosa apparet, absque sensu, pulsu & dolore, etsi pars secetur, vel pungatur aut uratur.*

Atque sic *Sphacelus est partis alicujus totalis corruptio, necrosis, sive lethalis extinctio vel mortificatio*, quæ corruptio partes vicinas mox inficit. Dum enim *lympha in suis vasis, sanguis in suis arteriis, Spiritus in suis tubulis*, in suo transitu subsistere coguntur, tum hi stagnantes, aliis propulsis obicem ponunt, donec sic sensim omnes partes fluidæ in corpore subsistunt & coagulantur, & sua vasa discerpunt, & invicem miscentur, atque ex tali confusa diversarum partium miscela singularis putredo exoritur, quæ alias adhuc fluidas partes inficit, & partes solidas citò corrumpit. Hinc nisi pars emortua in tempore amputetur, totum corpus perit & mors inevitabilis subsequitur.

X. *Cura ergo mali hujus* atrocissimi *subitò instituatur oportet. dum Gangræna incipit*, & corruptio adhuc est superficiaria in cute & carne, nec vasa majora, aut nervi & tendines vel tota pars nunc emortua existit.

Propterea si externæ partes sive artus hoc malo sunt prehensi, tunc citam curam adhuc admittunt; secus si internæ partes in corpore vel viscera sunt affecta, quæ omnem medelam respuunt.

Nec etiam partes molliores, utpotè *labia, gingivæ, nares, aures, pudenda*, &c. curam facile admittunt.

Si tamen à causis externis, utpotè *à Contusione, Ustione, Fractura, vulnere, vel medicamentis repellentibus*, &c. Gangræna occasionem sumsit, *tum*

non tam periculosa est, quam si ab internis proficiscitu *causis* humores corrumpentibus, *& ad singulare ta* *lismodi coagulum*, disponentibus.

Sic & in Junioribus, sanitatis major affulge spes, quam in senibus, *Si tamen humores stagnant* *suppurari incipiunt, & pus album fundunt*, tunc par tes corruptæ à sanis separari incipiunt; & saluti spem faciunt.

Ab hydrope verò, & quæ à scorbuticis depende humoribus, rarò curatur.

XI. *Curatio* hujus funesti mali, *in genere*, in e consistit, *ut ante omnia Stagnantibus humoribus; li bera procuretur circulatio*, vel transitus per suos ob structos tubulos: Ut verò hoc obtineatur, *oporte ut humores corrupti & stagnantes, rursus fluidi red dantur.* Vel si pars quædam nunc emortua est *hac à sana separetur*; & tunc suppurantia & dige stiva adhibeantur, quale est *Ung. Apostol. Aureum Basilicon.* &c. Et si tunc omnes partes obstructa hâc actione suppuratoria, dissolutæ omninò sunt,& eschara remota est, tunc adhibitis sarcoticis & con solidantibus pars restituatur.

Ex Internis, quibus stagnantibus humoribus li ber restituïtur transitus, vel quibus humores sta gnantes & corrupti, rursus fluidi & balsamici, a spirituosi redduntur: in genere conducunt *Dia phoretica varia, ut & absorbentia*, item *Spirituosa, u Spir. theriacalis camph. Elix. vitæ*, ℞ *Bez.* ut & *Oleo sa Balsamicaque alia*, vel varia ex his constantia.

XII. *Si externis res peragenda est*; respectus ha beatur occasionalis causæ, à quâ Gangræna origi nem sumit, v. g.

Si Inflammatio per repellentia vel refrigerant ia malè

malè curata, *in Gangrænam abiit*, tum obſervetur.

1. *An pars emortua jam ſit.*
2. *An pars emortua, cum vitali & ſana adhuc communicationem habeat.*
3. *An humores ita ſint conſtituti, ut priſtinæ fluiditati reſtitui queant.*

Si verò hæc ita ſe habent, tum ante omnia prohibeatur, ne malum ulterius progrediatur, hunc in finem

℞. *Lixivii aliquoties per cineres transcolati,*
Aceti vini fortiſſimi aa. ℔iiij.

Apponantur igni in capaci olla, & dum ebulliunt, ab igne remotis, ſub continua agitatione cum ſpatula lignea, adde

Lithargyrii
Ceruſſæ aa. ℥ij.
Aluminis uſti ℥j.

Et ſi omnis pulvis nunc ſub agitatione continuâ admixtus eſt, tunc igni denuò appone, & ebulliant, donec ora vaſis tranſcendere intendit maſſa, cui ab igne remotæ, lintea multiplicata immerge, & quam calide applica: hæc verò applicatio, ſingulis tribus horis reiteretur ſemper perquam calidè; ſic Deo benedicente intra viginti quatuor horas inhibetur progreſſus.

Cl. Over-Camp in ſua chirurgia ſequentia commendat, ad progreſſum Gangrænæ inhibendum.

℞. *Summitat. Abſinth. Rutæ rec. Scordii, Leviſtici, Helenii* aa. m. j. *Cicutariæ* miſſ. *Bacc. Lauri, Juniperi* aa. ℥iij. *Sem. aniſi, fœnic. cumini* aa. ℥j. *Myrrhæ, Aloes* aa. ℨvj. *Salis* ♁i. ✱ci aa. ℥ij.

Nuc. Mosch. Macis, garyophyll. aa. ℥ij. Concisis & contusis superaffundatur *Spir. vini* q. s. & postquam per tempus macerata fuerunt, abstrahatur spiritus, cui admisceantur *Myrrha, & Aloes reservata, & in Spir. matricali soluta.* Spiritus verò ita saturatus externè applicetur mediantibus linteis tam diu, donec fluidum stagnans, & coagulatum resolutum esse videtur.

Ex modò dictis speciebus, optimo etiam cum effectu *potest fieri Cataplasma*, hunc in modum: Speciebus nimirum incisis & pulv. affunduntur *Spiritus modò dicti, & urinæ veteris* aa. p. æq. & factâ brevi infusione coquuntur ad consistentiam cum aromatibus, *Farina Fabarum*, *vel pane biscocto.*

Et si hoc cataplasma magis efficax requiritur, sub prima deligatione additur *Elixirii vitæ* ʒj. in qua *camphoræ* ʒiij solutæ sunt. In deligatione secunda prioribus additur *Tinct. Castorei* ℥ß. In tertia autem loco Tinct. Castorei, additur *Essent. Asæfœtidæ* ℥ß. in quartà verò *Spir.* ✱*ci* ℥ß. &c.

Cataplasma verò semper debet applicari quam calidè, atque singulis binis horis reiterari.

Si tamen hæc ita in promtu haud sint, eorum locum egregiè supplet *Spiritus theriacalis Camphoratus*, qui applicatur mediantibus linteis, pulvere *Myrrhæ & Aloes* simul conspersis.

Non minoris efficaciæ est *Decoctum ex sale armoniaco & Urina ægri confectum.* Ut & *Cataplasma ex fimo equino in vino decoctum*; ubi alii optimo cum effectu applicant *Jus Brassicæ acidæ*, Sauer-Krauts Brühe.

Si verò hâc methodo progressus Gangrænæ est prohibitus, interea autem partes nonnullæ Gan-

grænâ

grænâ jam corruptæ & ſphacelatæ fuerunt, tum proſpiciatur ut partes tali modo emortuæ ſeparentur prius, antequam ad conſolidationem ſit progreſſus.

Fieri verò hoc ſolet, ſcarificando partes emortuas, & Sphacelatas ad vivum uſque, tum verò inter vivum & mortuum applicetur ſequens *pulvis eſcharoticus*. v. g.

℞. ☿. *ſublimati albiſſimi & pulv.* ℥ij.
Butyri ♉ ℥j.

Miſceantur probe, & quidem vaſe vitreo, mediante ſpatula lignea, tum ſtent per diem, ut probè uniantur, tunc verò cineribus impoſita evaporentur ad ſiccitatem, & ad uſum ſerventur. Vel

℞. *Olei* 🜍 *per campan.* ℥ij.
Butyri ♉. ℥j. Tunc

Miſceantur probè agitando in phyola vitrea: & ad uſum ſerventur.

Pulvis vero hic, aut *Liquor Eſcharoticus* applicatus per unum diem vel 12. horas relinquitur. Si vero inde excitetur dolor intolerabilis, tunc applicetur ſequens *Unguentum ſuppurativum, & anodinum:*

℞. *Olei Lilior. alb.*
Flor. ſambuci
Roſarum
Omphacini aa. ℥ij.
Sevi cervini, vitulini aa. ℔ß.
Myrrhæ, Thuris aa. pl. ℥ß.

Mixta hæc igni apponantur, & dum liqueſcunt, adde

Picis Naval. liquefactæ ℔j.
Therebinth. Claræ ℔ß.

Ceræ flavæ ℥vj.
Olei anthos & Lavendulæ aa. ℥ij.

Probè verò invicem commixta & agitata, colentur & ad usum serventur.

Hoc Unguento mane & vesperi inunguntur partes emortuæ, donec eschara, à carne viva separata extat. Postmodum imponuntur *plumaceoli sive linteum carptum hoc unguento illitum*, donec incarnatio nunc facta est, cui tunc imponuntur *plumaceoli sicci*, desuper applicato *Cerato*, *ex Empl. Diapalmæ de cerussa*, *& minio cum oleo rosarum mixto*, &c. donec cicatrix & consolidatio nunc est inducta.

Alii ad escharam inducendam, vel carnem emortuam à sana separandam, optimo cum effectu adhibent *Balsamum Aquæ Fortis*, qui fit *Aquæ Forti Oleum Olivarum* ad digitorum aliquot eminentiam affundendo, & in digestione ponendo, *donec Oleum rubescit*.

Alii plagis scarificatis cum penicillo immittunt *Ung. Ægyptiacum*, carnem verò emortuam novaculâ tum separant.

Dum verò hæc ita peraguntur, *non omittenda sunt ea quæ Sphaceli progressum inhibent* supra commendata, ut partes adhuc vita præditæ conserventur.

XIII. *Si Frigus* partem quandam exanimavit, & Gangrænam induxit, circulationem in parte illa sistendo, & mixturam humorum turbando, tum cave, *ne calor statim accedat*, *qui subitò obstructionem solvendo*, & partes concentratas exagitando; dum plus spatii requirunt, *ipsam texturam destruit*.

Propterea *pars rigida*, si manus vel pes obriguit,

statim

ſtatim *inſeratur vaſi nive repleto, vel aquâ gelida aut nive, primum miti frictione, frigus demulceatur.* ac ſenſim ſenſimque molli agitatione articuli vellicentur, ut ſopiti humores reviviſcant.

Conſuetum hoc eſt incolis regionum ſeptentrionalium, qui homines rigidos, & morti ferè proximos à frigore, aquæ frigidæ immergunt, vel manus, pedes, naſum &c, rigida, antequam hoſpitium ingrediuntur, *nive abluere & fricare ſolent*; mediante namque tali frictione quæ manu fieri ſolet, humores rigidi ad motum rurſus revocantur, nix interea prohibet, ne calor manus uno impetu humores congelatos ſolvat, & partem deſtruat.

Interea dum hâc methodo *ſenſus partis redit, qui tamen dolorificus ſatis eſt*, applicetur *fotus, ex Herb. Rutæ rec. ſalviæ, roriſmarini, ſumm. abſinth. ſem. Sinapi, aniſi, fœniculi,* &c. *cum vino & urina* coctus, donec dolor & rubor partis ceſſant. Vel ſi *Spir. vini camph. Spir. lumbricor. juniperi, ſalis armoniaci, nervinus, Tinct. Balſam. Deckeri,* aut *Elix. meum Balſamicum, &c. eſt ad manus*, eundem effectum præſtabunt applicata.

Et ut à partibus internis, calor ſe ad partes exteriores fortius pandat, & frigus omne expellatur, *detur vinum cum Theriaca, vel aqua Theriacalis, aut* ℞. *Bez. vel* ℞. *mea C. C. ſuccinata*, &c. & ſudor provocetur in lecto probè calefacto, vel lagenæ aquâ calidâ repletæ, corpori intra lectum apponantur, ut eò citius incaleſcat.

Si verò pars quædam à gelu adeò exanimata eſt, ut his & ſimilibus ad vitam revocari haud queat, tum ut Sphacelata tractanda per ſcarificationes &c. prout ſupra doctum eſt, *modò membrum vel pars nondum*

nondum totaliter emortua est, ubi nec scarificatione aut novacula, id quod corruptum existit, auferri potest, sed tota pars amputanda erit.

XIV. *Si Hydropicus Gangrænam alicujus partis incurrit*, prout hoc in pedibus & cruribus facilè accidere solet, tum, etsi parum spei curationis adsit, cum hoc non nisi malo inveterato & deplorato fiat, tamen ne æger omni solatio destituatur, partibus Gangræna correptis *continuò applicentur Balsamica spirituosa*, quale in specie est *Elixir meum Balsamicum desuper apposito Cataplasmate vel fotu, supra à D. Over-Camp commendato.* Et ut hæc eo diutius calida detineantur, simul superimponatur *saccus arenâ calidâ, vel sale aut pulvere lateritio*, qui calorem diutius quam alia retinet, repleto, &c.

Si verò partes quædam jam sphacelatæ sunt, scarificentur & tractentur, prout supra doctum fuit, vel novacula brevi manu, quod emortuum est, â sano separetur.

XV. *Si à Scorbuto* gingivæ vel aliæ partes oris gangrænâ corripiuntur, ubi dentes vacillant, gingivæ fœtent, atque facies intumescit, cum Febre, &c. tum

℞. *Muriæ Limonum* ℥iiij.
Elix. vitæ ℥iij.
Spir. vini rectif. ℥ij.
Myrrhæ ℥ß.
Tartari ⊛*lati* ʒij.
Camphoræ ʒß. M.

Et hâc mixturâ calidè in ore detentâ, eluantur partes duodecies ad minimum intra viginti quatuor horas, vel sæpius. *De hâc mixtura, D. Over-Camp*

Camp prædicat, quod multos restituisset, quibus ex hoc malo dentes jam exciderint, gingivæ corruptæ, & præter maxillas etiam fauces in collo putredine correptæ fuerint. *Videatur Over-Camp in sua chirurgia.* Nostratibus vocatur hoc malum die Mundfäule.

Gangræna, quæ à defectu partium nutritiarum dependet, rarò curationem admittit.

Aliàs omnis Gangræna, sive à nunc dictis, vel aliis causis, utpote Combustione, fortiori & enormi Contusione, Fracturis, &c. *traxerit originem, solet inhiberi* prout ab initio doctum fuit, *per valida resolventia & deobstruentia*, &c.

XVI. *Sed si* Gangræna à quacunque causa exorta, *nunc in Sphacelum abiit*, tum nihil aliud agendum, nisi quod id, quod jam emortuum existit, ab illis partibus separetur, quæ vitâ adhuc gaudent, sive quousque humorum circulus adhuc pervenit, & sensus integer est.

Ubi autem totum vel integrum aliquod membrum nunc est emortuum, vel *sphacelatum*, *nec vita* supra traditâ methodo *revocanda*, tum ense resecandum est, ne pars sincera trahatur, &c. *Quâ methodo hæc operatio peragatur, vide in mea chirurgia manuali.*

Gutta

Gutta Serena.

Vide Amaurosis.

Gutta Rosacea, ein roth kupffericht und finnicht Angesicht.

I.

EST singularis *faciei rubedo cum pustulis* & ulceribus faciem defœdans, ex singulari lymphæ subsistentia & coagulo; atque *suos habet gradus, ratione magis & minus distinctos.*

II. Et cum causa hujus mali dependeat ab humorum visciditate ad stagnationem prona, neque vero Hepatis putata caliditas in causa sit, hinc nulla putatitia Hepar refrigerantia huc quadrant, sed talia quæ acidum absorbendo humores à coagulo vindicant, qualia sunt ♁. *Diaphoreticum*, *Bezoard. martiale*, *oculi* 69. *Ebur*, & *CC. Phil.* ppt. &c.

Malo autem hoc, illi præcipuè corripiuntur, qui Potulentis acidulis, sive sit vinum vel cerevisia, continuò delectantur & ebrietati dediti sunt, licet & hoc malo alii obnoxii sint, naturæ vitio, qui etsi sobriè vivant, tamen malo hoc corripi soleant.

III. Ut malum hoc tollatur, sunt qui admodum commendant *venæ sectionem in fronte vel naso* institutam. *Hartmannus* commendat *scarificationes* singulis mensibus *in aurium lobis institutas*. Sic nec *fonticuli* hic exulent.

Ex internis commendantur Purgantia *Rhabarbarina*, item *serum lactis cum nitro depurato potum*,

tum, &c. nec *acidulæ* hic sunt negligendæ, cum *cichoraceis* ab antiquitate adeò commendatis.

Inter externa egregii usus & effectus est *aqua calcis vivæ cum* ☿io dulci. Vel

℞. *Aq. omnium florum*
Sperm. ranarum
Flor. Fabarum
Sigilli Salom.
Pulpæ citri
Rosar. aa. ℥j.
Olei ♀*i per deliq.* ℥ß.
Cerussæ
Borracis Venet. aa. ʒj.
Sachari ♄*ni* ℈ij.
☿.*dulcis* ℈j. M. detur, & facies ea sæpius humectetur, præcipuè noctu sub hora decubitus, ubi mane facies abluatur rursus *aquâ infusionis furfurum.* Vel

℞. *Lithargyrii* ℥j.
Alum. ʒj.
Borracis ʒiij.
Cerussæ ʒß.
Aceti ℥iij.
Aquæ Rosar. Plantag. aa. ℥iiij.

Mixta bulliant ad tertiæ partis consumtionem, deinde colaturæ adde parum *succi limonum*, & hâc mixturâ vesperi facies illinatur. Vel

℞. *Ung. Pomati* ℥iß.
Olei camph. gtt. iij.
☿. *præcip. albi* ℈ß.
Benzoi ℈j.
Aq. vitæ ʒj. Misceantur omnia *in mortario plumbeo* accuratissime, & cum ʗ q. *ceræ* fiat unguentum. Vel

℞. ☿. *præ-*

℞. *☿. præcip. albi*
Sachari ♄ni aa. ʒj.
Butyri rec. non saliti & aquâ rosar. loti ℥j.
Pomadæ jasmini ʒij.
Ambræ gr. ij. *moschi* gr. iij. M. fiat linimentum.

℞. *Salis armoniaci* ℥ß. vel si acrius velis ℥vj.
Alum. rupei
Cerussæ aa. ʒij.
Camphoræ ʒß.
Aq. Flor. Fabarum
Sperm. ranar. aa. ℥iiij. Mixta digerantur & sæpius agitentur. Postea filtretur aquâ; & servetur. Tempore usus *sume hujus aquæ, & Aceti ex minio vel lithargyrio edulcorati* aa. p. æq. & confundantur; sic lactescunt, & valent ad pustulas faciei, ad herpetes, ac alias cutis asperitates. Vel

℞. *Cretæ pulv.* ℥ij.
Fulig. camini
Olei olivar. aa. ʒij.
Cremoris lactis q. s. ut fiat linimentum, quo bis vel ter de die inungantur pustulæ, sive impetigo faciei.

Hernia.

Hernia.

I.

OB varias ſpecies, inter ſe admodum *differre ſolet*, non tantum *ratione loci*, ſed & *ſubjecti*, quod prolabitur. Et inde fieri poteſt diſtinctio, *vel in veram vel ſpuriam Herniam.*

Vera Hernia loci ratione *vel ſuperior* eſt; *vel inferior. Superior umbilico accidere ſolet*, rarò ſupra umbilicum, niſi à vulnere inflicto peritonæum anſam ſe nimium extendendi nanciſcitur.

Inferior verò vel inguinalis eſt, ſi in inguine tumor jam exoritur, *vel ſcrotalis*, ſi ad ſcrotum nunc inteſtina prolabuntur. In fœminis rarò infra os pulbis ſed ſemper ſupra illud, Herniâ oriri ſolet. *Partes quæ vulgò prolabuntur ſunt vel inteſtina, vel omentum, & hæc veræ Herniæ ſunt ſubjectum.*

II. *In Cauſa omnia ea ſunt, quæ Peritonæum extendunt & dilatant*, ut ſunt infantum ejulatus nimii: Vomitus vehementes: tuſſes continuæ, ſaltatio immoderata, caſus, verbera, ponderis gravioris elevatio, Flatus, excrementa forti niſu extrudenda; equitatio vehementior &c. Omnia namque hæc, ventri vim faciunt, & peritonæum extendunt, ut inteſtina flatibus diſtenta tùnc majori niſu peritonæum extendere pergant, donec Hernia nunc facta exiſtit.

III. Cum verò certior Herniæ ſcrotalis cura, in ablatione teſticuli conſiſtat, hæc autem non rarò vitæ periculum junctum habeat, hinc excogitata ſunt adminicula alia quibus inteſtina cùm omento in ſuis clauſtris detinentur & reſtituuntur.

IV. Si in inguine adhucdum tumor conſpicitnr, nec ad ſcrotum uſque peritonæum extenſum eſt, tum ulterior hujus *dilatatio inhiberi poteſt per commoda & apta ſubligacula* aut bracheria, longo tempore geſtata *ſuperimpoſito Empl. ſticťico vel ſimili ad Hernias.*

V. Si verò dilatatio Peritonæi eo uſque proceſſit, ut inteſtina in ſcrotum uſque dilabantur, tum hæc ante omnia retroagantur: Hunc in finem æger collocetur ſupinus diductis cruribus, ita ut caput inclinatum ſit, coxæ verò magis altè collocentur.

Si autem fæces induratæ, vel ſcroti ſingularis durities repoſitionem difficilem reddunt, *tum foveatur venter & ſcrotum, Decocto ex herbis emollientibus facto*, vel æger collocetur *in Balneo*, cui herbæ emollientes incoctæ ſunt: *Clyſteres* etiam non negligantur.

Cl. Hoffmannus ſequentem extollit modum inteſtina in ſcrotum delapſa reſtituendi, nimirum recipe *Empl. Magneticum Arſenicale in aluta extenſum, illine Oleo amygd. dulc.* & abſque ſyndone lumbis impone per horæ ſpatium vel ultra, ſic inteſtina disiocata in ſuum locum redeunt, ſenſu quodam tractivo: niſi à fæcibus incarceratis & induratis remora injicitur, quo in caſu, modo jam dicto fæces induratæ emolliantur prius.

Reſtitutione verò inteſtinorum in ſuum locum factâ.

℞. *Radicis conſolidæ maj. rec. purgatæ, & in orbiculos inciſæ* ℥iß *Adipis porcinæ* ℥ß.

Contundantur in mortario ligneo cum ſimili piſtillo ad conſiſtentiam unguenti ſive cataplaſmatis, ex quo formato formam orbicularem, quam loc

rupt

rupto sive extenso applica, & apto subligaculo obfirma probe.

Tunc, vero patiens jaceat in lecto supinus octo diebus & unguentum singulis diebus renovetur, postea æger paululum potest deambulare, & satis est, si singulis septimanis tunc cataplasma renovatur; Hàc verò methodo si Hernia recens est æger, curabitur intra 6. septimanas, si verò inveterata, tunc dimidius annus requiritur pro cura. *Plura vide de Infantum morbis p.* 153.

VI. Præter modo traditas Hernias veras, *dantur aliæ spuriæ*, quales sunt *Hernia aquosa, sive hydrocele; Hernia Ventosa, sive Pneumatocele, ac Hernia Carnosa sive sarcocele, & Hernia Varicosa seu Cirsocele.*

Hernia aquosa videatur sub titulo Hydrocele.

VII. *Herniam ventosam* quod concernit; est tumor scroti levis rotundus, rubicundus & splendens, flatibus sivè aëre repletus, *atque non aliter generatur ac Tympanitis à membranarum expansionibus, à spiritibus flatulentis excitatis.*

Propterea hic ea conducunt, quæ spiritus flatulentos compescunt, vel discutiunt, ut *Epileptica & anticonvulsiva* dicta.

Inter externa conveniunt ea, quæ poros aperiunt propterea *ex sem. Dauci, carvi, Baccis Lauri in spirt vini coctis fiat Fotus.* Vel *Empl. Vigonis cum ☿io & Diapalma in alcohol vini soluta applicentur.*

Omnibus tamen hisce irritis *per puncturam* flatibus via aperiatur.

IIX. *Hernia Carnosa, Sarcocele* dicta, nil aliud est, quam *excrescentia quædam glandulosa vel*

spongiosa, aut scirrhus testiculi hujus aut illius, atque testiculo vel immediate, vel tunicæ ejus adhæ ret.

Apparent verò *testiculi inæquales*, nodosi, duri, sensim sensimque accrescunt.

Sunt verò *scirrhosi & duri sine dolore*, & non nisi extirpatione curantur. Alii verò non sunt adeò duri, sed dolore pungente molesti, qui aliquando exulcerantur & curantur.

Causa in genere dependet à ruptura vasculorum aut *canaliculorum testium*, sive illa à vulnere, contusione vel compressione occasionem nacta fuerit.

Tentetur verò hujus Herniæ resolutio seq Empl.

℞. *Gummi ammon. in Spir. ✱ci vinoso soluti, Empl de cicuta* aa. q. s. Misceantur & malaxentu cum s. q. ℘ *camphoræ* & ℘ ♃i *dest. fœtidi.*

Si hoc vel simili scirrhus vel excrescentia hau resolvitur, nulla alia superest medela, quam *testicu excrescentis extirpatio.*

IX. *Hernia Varicosa*, sive *Cirsocele* exori tur à dilatatione vel ruptura venarum testes perre ptantium, à quibus testiculus flexuosis & inæquali bus dilatationibus aliquando ita circumvolvitur, u tertium mentiatur testiculum.

Causa vel interna est, dum in ipsis venis polyp enascuntur, unde varicum in modum, intume scunt; *vel Externæ sunt*, ut à verberibus, casu, au collisione vel equitatione enatæ.

X. No

X. Non rarò *Herniæ spuriæ species exoritur, quan- o semen* propter copiam & crassitiem, per vasa ex- cretoria *excerni nequit*, unde subsistendo *vasa semi- alia admodum extendit*, & posset vocari *Hernia minalis*, ad distinctionem Herniæ Venereæ, quæ ue venerea affectis sæpè accidere solet, ab impu- o coitu, & aliàs vocantur Venus-Ballen.

Herpes five *Serpigo*, Flech= ten oder Zittrachten.

I.

Est exulceratio cutis ſerpens vel repens, ac gradibus diſtinguitur: Sic ubi ſumma ſaltem cutis e roditur cum puſtulis ſemini milii non abſimilibus tum *Herpes miliaris* dicitur Germanis, der Haar Wurm.

Sed ſi acrimonia tanta eſt quæ cutem profundius exulcerat & exedit, tum dicitur *Herpes exeden* *ſivè eſthiomenos* ,nonnullis Germ-nicè der Wolff.

II. Malum hoc cum continuo pruritu in gener moleſtum eſt, & ſi puſtulæ ſcalpuntur, tum cuticulâ erosâ & abrasâ, emanat humor,qui,ut dictum,i cruſtam exſiccatur, & puſtulæ quæ ab initio ſunt ſo litariæ, tunc in uuum confluunt, ac cutem defœ dant. Aliquando verò ſiccis furfuribus cutis te gitur & Herpes ſive Serpigo ſicca dicitur.

III. Cauſa in genere hæret *in obſtructione glandu larum cutis*, factâ ab acidâ quâdam lymphæ vi ſciditate, unde *à ſcabie & impetigine gradu ſalte differt*.

Et licet malum hoc ſanitati nil detrimenti af ferre ſoleat, cum multum humoris acrioris, qu aliàs in ſanguine remaneret, quotidie excernitur tamen cum moleſtum admodum ſit, hinc medela expoſcunt inquietati.

IV. Malum autem melius externis, quam inter nis remediis curari ſolet. *Sed ſi interni aliqui prodeſſe poteſt, ſulfur commune quotidie cum lacte v*

ov

ovo sorbili datum, egregiè conducit, cum aliis sanguinem depurantibus, ex quibus prævalet *Tinct.* ☿*ii*, &c.

Inter Externa, si malum leve est, convenit *litus ex saliva jejuna, vel linctus caninus*, &c.

Si vero malum rebelle magis est.

℞. *Aq. Calcis vivæ* ℔j.
 ☿. *dulcis* ʒß.
 Sachari ♄*ni* ʒj.

Coquantur omnia, donec soluta sunt atque filtraturâ eluatur locus affectus tepidè, ter vel sæpius de die, aut linteis applicetur. Vel

℞. ☿*ii vivi* ʒj. solvatur in *Aq. Fortis* ʒij. vel iij. tunc *præcipitetur, per aquam salsam*; Aquæ verò decantatæ affundatur *Aqua plantag. & rosarum*, ita tamen, ut non omnis acrimonia pereat, atque hâc aqua sæpius eluatur Herpes. Vel

Quod ad rebelles serpigines unica inunctione delendas *in Ephem. Cur. Dec.* III. *Anno* vij. & viij. *commendatur*.

℞. *Gummi tragac. in Aqua plantag. sol.* ʒj.
 Aluminis.
 ☿*ii sublimati* aa. ʒj. M. fiat linimentnm. Vel

℞. *Ung. rosacei* ʒj
  enulati cum ☿*io* ʒiß.
 ☿ *præcipit. albi* ℈ij.
 Sach. ♄*ni*
 Sulfuris
 Lapid. scissilis aa. ℈j. M. fiat Ung.

Hordeolum.

I.

Est tuberculum oblongum quod in palpebra inferiori, potissimum enascitur, hordei grano quoad externam figuram sæpè non absimile, & non raró, tunica sive cysti inclusum.

II. *Huic non absimile est tuberculum rotundum* & pellucidum, quod in palpebra superiore concrescit, atque digito huc illuc impulsum mobile est, & latinis *Grando* dicitur, utpote grano grandinis non absimile.

III. Oriuntur veró tubercula hæc *à lymphæ transudantis coagulo*, sive à particulis lymphæ nutritiis singulari tunicâ præternaturaliter inclusis & in tuberculum condensatis, &c.

IV. Curantur veró tubercula hæc sæpius, si singulis matutinis *propria salivâ* fricantur, id quod & præstat *Spir. ✱ci.* Si veró his vel similibus discuti haud possunt, *tum sectione optime curantur*, præsertim si cysti propria sunt inclusa, in his namque tuberculis contenta lympha sive humor, quicunq; is etiam fuerit, vix ad suppurationem perducitur. *Qui veró hoc malo semel affliguntur, in illis facile recidivare vel reverti solet.*

Aliquando optimè consumuntur mediante ⊖-lo infricato.

Vel

Vel ℞. *Ung. albi camph.* ℨj.
axung. viper. ℈ß.
☿ *dulcis*, gr. v.
viride æris gr. ij.
Sach. ♄*ni* gr. vj.

M. fiat linimentum, quo diligenter inungatur Hordeolum.

Hydrocele sive *Hernia Aquosa.*

I.

ETsi vulgò inter Hernias referri soleat, tamen magis specialis Hydrops, Scroti, nuncupari potest, cum ut omnis alia hydrops, ex vasorum lymphaticorum ad scrotum decurrentium ruptura fieri soleat; *In genere namque accusatur causa violenta*, utpote Contusio, à lapsu, saltu, equitatione &c. unde canales lympham vehentes lacerari & disrumpi, lymphamque contentam effundere solent, unde Scrotum sensim repletur, & tumidum redditur.

II. Hæc verò hydropis particularis species, &c. ab initio curatu facilior judicetur, quam inveterata tamen in genere curatu difficilis existit.

Totum verò scrotum vel aquâ tumet, vel dimidia saltem ejus pars, vel aqua continetur, intra testes & membranam albugineam, aut intra scrotum & testiculos. Aliquando aqua continetur in suâ vesiculâ, instar hydatitis, & tertium mentitur testiculum, vel tumor est inæqualis, nodosus & asper.

In genere tamen *tumor hic est indolens*, nisi ex majori extensione, vel acrimoniâ contractâ dolor contrahatur. Præterea *tumor est ponderosus, diaphanus* ac si ex opposita parte candela quædam collocata extat, splendens.

III. Curari solet malum hoc, ut hydrops alius particularis, per resolventia Diuretica, &c. qualia de Hydrope commendata sunt.

Sed cum malum ab externâ causâ violentâ exor-

tum,

tum, potius externis, quam internis auscultet, hine externè, malo adhuc recente, apqlicentur *Cataplasmata & Empl. resolventia*, qualia videantur de Hydrope. Vel *Empl. de baccis lauri, aut de Cumino* &c. applicetur.

IV. Omnibus verò his in vanum adhibitis *ad scroti paracenthesin deveniatur*. Scrotum nimirum, *acu triangulari, filo serico instructâ, transfodiatur*, filum verò in vulnere maneat, quod ter vel quater singulis diebus horsum vorsum trahatur, donec sic sensim omne serum est evacuatum. Cavendum namque nè omnis humor unâ vice evacuetur, præsertim si hydrocele, ascitis consequens est.

Sed *si ex vasis lymphaticis in scroto ruptis lympha denuò colligitur*, tunc operatio iteranda est, & hæc quidem toties, quoties collectio accidit. Si verò æger diuturnam talem carnificinam ægrè fert, brevi manu *extirpatione testiculi* instituta, *malum tito tolli potest*, & æger alleviari.

Si scrotum acu & filo transfossum, graves parit dolores vel intumescit, tum filum extrahatur, & symptomata hæc demulceantur prius.

Hydro-

Hydrocephalus.

I.

EST hydrops capitis particularis, *infantibus magis, quam adultis consuetus.* In utero verò materno sæpe morbum hunc acquirunt infantes, cum capite declivi & inverso diutius in eò detinentur.

II. Stagnans verò lympha sivè serum *in nonnullis extra, in aliis intra cranium extravasatum subsistit:* Etenim si tumor mollis est, & ad digitorum tactum cedit, tum humor extravasatus inter pericranium & cutem latet: Si autem intra cranium & membranas cerebri delitescit, tumor ad tactum quidem non est mollis, si tamen validior fit compressio, tunc quoniam cranium infantis, suturis adhuc dilatatum existit, cedere tactui fortiori solet.

In his etiam dolor major est, & frons magis prominet, ac frequentius lachrymantur, & sopore detinentur, vixque caput sustentare possunt.

III. Malum hoc utplurimum *à contusione vel compressione* occasionem sumere solet, prout facile accidit, quando in puerperio ab obstetrice caput rudius contrectatur.

Non raró tamen *insensibilis transpiratio, vel impedita urinæ excretio* est in causa, &c.

IV. Eventus mali hujus vulgo tristis est, & raró evadit infans malo hoc correptus.

V. Curatio interim tentanda est ab initio evacuantibus, & si hæc ægri benè ferunt, sæpius sunt exhibenda quo major etiam est collectio aquæ in particulari tali hydrope, eo fortior poterit esse purgatio: Omnibus verò aliis hic præfertur *Jalappa in*

pul-

pulvere, cum oleo cinam. aromatisata, nec clysteres negligantur.

Præterea omnia ea hic conducunt, quæ in hydrope in genere commendari solent, ad restituendam humorum texturam.

Inter externa, ad lentorem lymphæ stagnantis corrigendum, & poros aperiendos,

℞. *Stercoris caprilli* ℔j.
Sem. cumini
carvi
Bacc. Lauri aa. ℥ij.
Urinæ hominis sani q. s. ut fiat cataplasma, cui adde *Spir. urinæ* ℥j. vel ij. & calide applica. Dehinc, *cucurbitulæ applicentur hinc inde, cum scarificatione*, præcipue in hydrocephalo externo, vel *per paracenthesin* sensim sensimque evacuetur humor stagnans;

Si verò humor extravasatus intra cranium delitescit, tum *tentetur trepanatio.*

Et si ex contusione tumor capitis sive hydrocephalus spurius exoritur, imponatur *Empl. optimè resolvens ex Gummi Galbano, myrrha, camphora*, &c.

Hypo-

Hypopion.

I.

E*St puris collectio*, vel ſub tunica cornea, vel inter illam & uveam accidens, atque ex eo cognoſcitur, *quod pus vel totum oculi nigrum, occupet, vel iridem impleat*, & per tunicam corneam pelluceat, præcipuè oculo commoto.

II. Cauſam non rarò ſuppeditat *ophthalmia male curata, vel oculus à contuſione fortiori ſugillatione notatus*, ubi materia ſtagnans in pus mutatur.

III. *Periculo non caret malum hoc*, præcipuè ſi materia diutius deliteſcens, majorem induit acrimoniam, quod dolor vehemens prodit.

IV. Cum verò materia purulenta diſcuti nullo modo queat, *per factam debitam puncturam evacuandum eſt*, punctura verò ea in parte tunicæ corneæ inſtituenda, in quâ omnes tunicæ terminantur, ad iridem videlicet; Omnis vero materia educenda eſt, mediante ſiphunculo foramini intruſo, quo pus exigi queat. Siphunculus in medio ventrem habeat, ut in illum pus, quod ſugendo extrahitur, defluere nec ſugentis os ſubintrare, cum nauſea poſſit, &c.

Impe-

Impetigo,

I.

GRæcis Lepra audit: Nobis *ſcabies ſquamoſa aut leproſa*; *In genere eſt ſcabiei malignæ ſpecies*, quâ cutis ſummè exaſperatur, atque ſquamis cruſtisque defœdatur.

II. *A ſcabie* vero vulgari, ſive minus maligna, *differt in eo, quod non per contagium propagetur. Sicuti ſcabies*, utpotè quæ utplurimum per contagium in alios transfertur.

Cum ideoque *impetiginis ſpecies alia malignior, alia benignior exiſtat*, atq; hæc benignior ſcil. ſcabiei proximæ accedat, illa verò ab ea longè recedat; *Alia etiam vel integrum membrum*, vel quasdam ſaltem areas occupet, item alia hyeme adveniente aggrediatur, vere verò appropinquante, rurſus cedat, vel alia æſtate exoriatur, hyeme verò accedente abeat rurſus, *hinc probe inveſtigetur, an ſcabiei vulgari, vel impetigini aut ſcabiei leproſæ*, accenſeri debeat malum.

III. Ab initio verò apparent puſtulæ ſolitariæ, vel plures, quibus Morbo incrementum ſumente, undique novæ adjunguntur in variis corporis partibus præcipuè in facie, brachiis & cruribus, *hæ vero à ſuo principio quotidie ulterius in latitudinem & circumferentiam proſerpunt*, earumque ſuperficies aſpera eſt inæqualis, & quandoque alba cum ſquamis, quibus ſcalpendo abraſis, ſæpe tenuis ichor exſudat, qui tamen mox in cruſtam ſquamoſam rurſus indureſcit; cum inſeparabili pruritu, à quo ſcal-

ſcalpendo non tantum non juvantur, ſed malum inde admodum exaſperatur.

IV. *A Scabie ergo vulgari differt malum hoc* puſtularum forma, cum hæ in ſcabie ubique ferè ſint ſingulæ, & ſpatiis exiguis ab invicem diſtinguantur. *In Scabie verò Leproſa ſive Impetigine*, plures conglobatim & quaſi racematim magnis intervallis ſejunctæ erumpant.

In Scabie etiam quandoque furfuraceæ decidunt cruſtulæ; *ſed quæ in lepra, ſive ſcalpendo, ſive non ſcalpendo decidunt, ſquamis piſcium non abſimiles apparent.* Scabies etiam ſummam ſaltem cutem occupat, ſed Lepra profundè cutem depaſcitur.

V. Cauſa hujus mali dependet *à conſtitutione Maſſæ ſanguineæ acido-ſalſa*, unde exoriuntur concretiones acido ſalinæ *inſtar tartari in vino.* Et cum concretiones tales ſubigi & diſſolvi nequeant, hinc ad cutem propulſæ, ſe poris ejus inſinuant, & à tergo advenientibus foras protruduntur, unde in puſtulas concreſcunt, pauciores vel plures, prout tartareæ tales concretiones copiosè ſanguini inſunt, & à circulantibus humoribus ſeparantur, & ad peripheriam corporis protruduntur.

VI. Malum hoc etſi rarò lethale ſit, attamen radicatum curatu admodum difficile, imo utplurimum incurabile exiſtit.

VII. *Curatio propterea*, quamprimum mali hujus certa indicia adſunt, *minimè protrahatur*, ſed protinus efficaciſſima hujus mali antidota in uſum vocentur, antequam Lepra confirmata extat, ubi meli-

melius eſt nil agere, quam Æthiopem fruſtra lavare.

Ante omnia in uſu ſint concretiones tales colliquantia & educentia, *ex Helleb. nigri extracto*, *☿io dulci*, *Reſina jalappæ* &c. parata.

Colliquatis verò ſic, reiteratis vicibus, ſalinis taliſmodi concretionibus, acceſſus fiat ad ea, quæ ſalino-acidam maſſæ ſang. diſpoſitionem, invertunt & reſolvunt.

Talia verò omnium Practicorum conſenſu ſunt *chalybeata*, *Acidulæ*, *Serum lactis cum Nitro*, *Decoctum Sarſaparillæ cum ☿. dulci*, imo ipſa *Salivatio*.

Willis admodum commendat *cucumeres* diligenter comeſtos. Item *jubet tres vel quatuor cucumeres in taleolos conſcindere*, tum ℔ iij. *aquæ fontanæ per noctem infundere*. dehinc liquori effuſo *ſalis prunellæ* ℥iij. admiſcere atque ter vel ſæpius de die ℔ß. bibere.

Eundem hunc effectum promittit *à lacte*, cujus ℔iij. *ſedi majoris* m. iij. incocta & in ſerum converſa ſunt; bibendo bis in die colati ſeri ℔j.

IIX. In Diæta cavendum eſt, ab acidis & ſalſis, *præcipuè à carnibus porcinis*.

Et ſi malum, *ſcorbuti vel luis venereæ ſymptoma eſſe hariolatur*, id quod probè inquirendum eſt, hinc ad ſpecifica hujus vel illius prægreſſi mali, reſpiciatur.

IX. *Non etiam Externa negligantur*, qualia de Herpete ſunt commendata, inter quæ & *Thermæ*, aliquando non abſque effectu, tam potæ, quam pro balneatione in uſum trahuntur. Licet ſint qui tam

volatilibus antiſcorbuticis, quam thermis, malum plus exaſperari, quam mitigari credunt. Hinc etiam à plurimis viperæ in hoc malo plus commendantur in pulvere vel Decoctis, quam earum ſal volatile. Sic *Barbette* admodum commendat *pulv. viperinum ſæpius ad* ℈j. *propinatum.*

Inflammatio.

I.

SI in ultimis atque angustis canaliculis arteriosis, venosisque, ac glandularum insulis, *minimorum* nimirum *vasculorum sibi occurrentium inosculantiumque reticulari plexu, nexuque formatis*, sanguis vel arteriosus, aut venosus refluus, vel proprio, vel tubulorum quibus coercetur, vitio stagnat: tum *oritur Inflammatio sive Tumor ruber*, à sanguineis sphærulis à tergo cumulatis, adactisque.

Hinc jungitur Dolor pungens ab extensione continuatâ, hincque imminente vasculorum laceratione; *cum duritie renitente & resplendente*, ex infarctu & compressione canaliculorum, atque tensione & soliditate fibris inductâ.

Adest porro Calor rodens ex motu fluidi impediti atterente, & sensim vasorum latera solvente, *cum pulsu magno*, ex impetu cruoris à tergo propulsi, & lateribus obstructorum canaliculorum impulsi & recepti.

Dehinc accelerato pulsu, & sanguine circuitum suum frequentius absolvente oritur *Febris.*

Est verò Inflammatio, licet obscurum, attamen scitu *maximè necessarium in medicina phænomenon, cum in Externis, tum Internis morbis*, quorum magnam partem & quidem lethiferam sæpè causam constituit, *frequentissimè contingat.*

Pro diversitate verò partis affectæ *nomen generale, inflammationis scil. sæpè deponit*, & specialius induit, utpotè *si in larynge accidit inflammatio*, Anginæ, *si in Pleura, & musculis intercostalibus*, Pleuri-

tidis, *in Pulmonibus* Peripneumoniæ, *in cerebro & meningibus ejus* Phrenitidis, *in Oculis* Ophthalmiæ, *in Diaphragmate* Paraphrenitidis, *in renibus* nephritidis, *in glandulis juxta aures* parotiditis, *in extremitatibus digitorum* Paronychiæ nomen sortitur, &c.

Ab Erysipelate verò Inflammatio differt, in eo, quod *in Erysipelate calor acrior & magis sensibilis, ac rubedo magis ignea* sit, ac in Inflammatione; hæc etiam rubedo digito leviter compressa maculam albicantem, mox vero rubescentem rursus relinquat, secus ac inflammatio.

Sic & dolor in Erysipelate magis est sensibilis & tensivus ac pulsatilis; atque se latius extendit brevi tempore, ac inflammatio facere solet.

II. *Innumeræ verò dantur causæ*, quæ sanguinis hæsitantiam & subsistentiam in minimis vasis producere possunt, & sunt

1. Omnia ea, quæ fluidi sanguinei particulis eam imprimunt indolem, ut facile coagulentur, & obstruant, *id quod efficiunt nimii corporis & animi motus, usus que potuum inflammabilium, utpote qui potius incrassant quam resolvunt*, & ignis instar inspissant, *docente hoc experimento cum albumine ovi & sero sanguinis* spiritui cuidam ardenti affuso, instituto. Oriuntur verò inde morbi inflammatorii, qui ob pertinacem & indissolubilem coagulationem difficillimè curantur.

Accensentur his sudores nimii, nimiaque fluidissimarum particularum expressio atque excretio, *remanente crassiori quasi sanguinis amurca*, minimos obstruente canaliculos.

Ex altera classe, omnia illa sanguinis subsisten-

tiam

tiam producere solent, *quæ transpirationem insensibilem impediunt, & meatus obstipant*, particulasque acres eis simul imprimunt, qualia sunt *Unguenta pinguia & acria*, præprimis *Olea destillata*, unctuosaque & acerrima.

Tertiam Classem constituunt illa, quæ rumpendo, contundendo, extendendo, coarctando, convellendo, crispando, urendoque, vascula minima ita disponunt, & coarctant, ut sanguis appulsus & propellendo adductus ea haud ritè penetret, sed hærendo obstruat.

Motus propterea musculorum nimius, item calor solis vel ignis excessivus, ligatura arcta, frigus acerrimum, pari ratione cum ignis vehementia agens, nec non acria sæpius assumta, stagnationis atque inflammationis causæ existere sæpe solent.

III. *Si tamen humor obstruens; nullâ acrimoniâ, sed levi saltem crassitie præditus est*, & vasa non constricta, stagnatio etiam levis, canalisque adhuc mobilis & suâ virtute oscillatoriâ gaudens, diluensque vehiculum accedit, tunc facile reducitur fluor, *& vel sponte vel arte*, motu nimirum massæ sanguineæ aucto, *Inflammatio solvitur rursus.*

Si verò obstruentibus vel hærentibus moleculis *simul acrimonia*, vasa irritans ac constringens *adest, & copulatur viscositati obstruenti*, & canales teneros nimis distendenti, fluidumque aut discussum, aut separatum extat, tum malum curatu est difficile.

IV. Absolvi verò Curatio solet: 1. *Vasis tensis & pressis, elasticitatem restituendo*, ut lente circulantem vel hæsitantem massam conquassare, concutere, dividere ac solvere rursus queant.

2. *Diluendo sanguinem*, & inter divisas particulas, ne coire atque concrescere amplius queant, fluida interponendo.

3. *Corrigendo acrimoniam*, canales rodentem, constringentem vel laceranrem, &c.

Instituenda propterea est ante omnia *Venæ sectio*, tanquam divinum in tollenda inflammatione remedium.

Hæc quippe sanguinis copiam minuendo & impetum à tergo impellentem, prementem, distendentemque sedando, obstructiones reserat, & liberum fluidis fluorem conciliat.

Venæ sectioni socias ferunt manus, licet minùs efficaces, *Cucurbitulæ*, *scarificationes*, *hirudines*, quæ & sanguinem detrahunt, & à loco obstructo avocant.

Hunc in finem quoque adhiberi solent *frictiones pannis calidis factæ*, nec non *epispastica sive tractoria*; item *vesicatoria*, *sinapismi*, *fomenta*, *Balnea*, *fonticuli*, &c. utpotè quæ omnia, stimulando & resistentiam externam tollendo, fluida alliciunt liquida, & versus locum morbosum determinata avertunt.

Post venæ sectionem necessariæ sunt *alvi subductiones*, excitatæ per evacuantia quibus antiphlogisticum aliquod fuit admixtum. v.g.

℞. *Scammonii electi* gr. xviij.
Aq. Endiviæ ℥iiß.

Diu terendo eliciatur aqua lactea, cui à fœcibus separatæ adde

Syrupi rosar. solutivi ℥j.
Nitri crystallini gr. xv. M. & fiat haustus.

V. Hoc peracto adhibeantur medicamenta alia *quæ sanguinem congelatum, & plexam vasculorum mini-*

minimorum, obstruentem, attenuant, ut à vasculis capillaribus rursus admitti, & intra vasa majora propelli denuo queat.

Inter hæc verò prævalent Externa, quæ præter vim aromaticam, & particulas subtilissimas, simul moderata potentia adstringendi pollent, v. g.

℞. *Herb. savinæ*
Rutæ
scordii
absinthii
myrthi aa. m. j.
Nuc. cupressi
Cortic. granat. aa. ℥ß.
Bacc. Lauri
Sem. cumini
Myrrhæ
Thuris
Mastichis aa. ʒiij.
Camphoræ ʒij.
Croci ʒj. Incisa & contusa *coquantur in vino*, & hoc Decocto diligenter foveatur locus affectus, vel & applicetur *Decoctum chirurgis Nigrum dictum*, & in Gangræna frequens; in horum verò applicatione persistatur ad statum morbi usque, si cedere prius nolit. Vel applicetur *Decoctum seq. Ettmulleri ad Erysipelas*, in metu Gangrænæ. v. g.

℞. *Lithargyrii* ℔ß.
Flor. rosar. r. m. ij.
Myrrhæ
Thuris
Mastichis aa. ℥ß.
Aquæ calcis vivæ rec. ℔iiij.
Aceti destill. ℔ iß.

Coquantur omnia, donec lithargyrium ferè est solutum, tunc circa finem Decoctionis adde *Camphoræ* ℥ß. & colatura detur pro fotu.

VI. Externis his pro adjumento combinentur *Diaphoretica*, potius tamen fixa, quam volatilia, absorbendi vi prædita, qualia sunt ♁. *Diaphoreticum, Oculi cancri, Mandibulæ lucii, Unicornu marini*, vel ex his compositi *pulv. Bezoardici*, utpotè *pulv. Anglicus, Bezoardicus sen.* &c. *cum opio*, circumstantiarum ratione maritata &c.

His & similibus *successiva fit discussio*, cum enim humoris stagnatio, sive stasis; successivè facta sit, hinc rationi haud consentaneum est, uno impetu resolvere velle materiam, quæ non nisi diuturno appulsu præterlabentis sanguinis, resolvi potest. *Propterea regimen impetuosè sudoriferum*, hic nil aliud agit, nisi quod *patientis vires præmaturè prosternat*, & sanguinis turgescentiam augendo, promtum ejus transitum potius impediat. Ante omnia ergò hic *caveatur præceps sudoris regimen, præcipuè si corpus existit plethoricum*, ubi *Venæ sectio* præcedat, subjuncto tunc regimine moderatè sudorifero, sed continuato.

Si tamen omni adhibita industria, inflammatio sedari nequit, sed ad suppurationem tendit, tum *detur opera, ut hæc blandè adjuvetur*, eundem in modum prout de abscessu fuit doctum. Plura huc spectantia vide de Gangræna, Erysipelate &c.

Labia Fissa.

I.

NOn raro vel *à frigore, aut calore, vel singulari acrimonia* particularum fluidarum labia nutrientium vel appellentium oriri solent.

II. *Cura*, si malum diuturnum est, *instituitur pro circumstantiarum ratione per purgantia, & serum salsum corrigentia & educentia*, quibus ☿*ius dulces* ubique copuletur, præcipuè si singularis acrimonia Lui venereæ aliàs familiaris, subesse hariolatur.

III. Externè prosunt blanda demulcentia, qualia sunt *mucilagines sem. psillii, cydon.* &c. cum parum *Sachari* ♄*ni, & camphora* remixta.

Sic & conducit *Unguentum de sevo hircino* aut *anseris axungia*, vel & *Ung. Pomatum, de cerussa cum camphora* &c. His alii præferunt *pinguedinem, quæ ex cochlearibus ligneis*, diuturno usu illâ imprægnatis, & igni admotis edestillat. Sic & expertum remedium paratur ex *oleo amygd. dulc. cum mastiche & cera*, in linimentum redacto. Non raro etiam fissuræ labiorum, *propriâ salivâ* illitæ, sanantur.

IV. *Labia Leporina* quod concernit, ea non nisi artificis manu curari solent, & quidem absque acuum adjutorio, solâ emplastrorum adstringentium, ritè genas adducentium, operâ, mihi cognitâ.

Circa quam operationem, totius rei cardo vertitur in eo, *ut extremitates labii fissi debitè excorientur & ita uniantur*, ut consolidari sibi invicem queant.

V. *Si labia exulcerantur*, ab acrimonia rodente, tum ego omnibus aliis præfero *Elixir Balsamicum meum usitatum.* Alii laudant *Unguent. Diapomphol. de Liquiritia* &c. Vel

℞. *Essent. myrrhæ*
Benzoi
asæ fœtid. aa. ℨj.
Elixirii vitæ ℨiß.
Olei ovorum ℨß.
savinæ gtt. v.
Camphoræ ℈ß. M. & diligenter his abluantur & humectentur, labia exulcerata.

Si desideratur ung. non tantum pro sanandis fissuris, sed & labiis simul tingendis.

℞. *Ung. Pomati recent. odorati* ℥ij.
Rad. Anchusæ q. s.

Bulliant leni igne vase clauso, donec omnis rubedo ex radicibus extracta est, tum colato Unguento adde *Olei ex corticibus recent. citri sine igne expressi*, ℨß. *Olei garyophyll. cinam.* aa. gtt. ij. *moschi, ambræ* aa. gr. ij. M. fiat Unguentum.

Lentigines, Sommer Flecken.

I.

SUnt maculæ sequiori sexui admodum exosæ, cum in facie ac manibus efflorescentes, non contemnendam puschritudini maculam affricare soleant.

Ex flavo verò vel rubescunt, vel fusci coloris, hinc lentibus colore & magnitudine non absimiles sunt. *Utplurimum verò plus faciem & manus defœdant, tanquam partes, Solis radiis magis expositas.*

Ab his non longe distant, *Maculæ Hepaticæ dictæ*, nisi quod hæ latius se extendant, & majores sint in ambitu, atque non rarò per totum corpus, aliquando cum pruritu molesto, dispersæ extent, ab exhalationibus magis crassis, in pororum, cutaneorum, & horum vasculorum plexibus subsistentibus.

II. *Causa* harum macularum utplurimum consistit *in rariori cutis textura*, unde, si æstate ex fortiori solis vel caloris motu, plures particulæ crassiores à sanguine avelluntur, quam per poros cutis exhalare possunt, fit ut crassioribus in poris hærendo, & novis semper insequentibus, sustentatæ, tales maculæ per æstatem producantur, volatilioribus avolantibus.

Si tamen fœdo colore præditæ sunt maculæ tales, utpote si vel livescunt, vel nigrescunt, circulantium humorum depravatam dispositionem innuunt.

Etsi interea maculæ tales sanitati haud officiant, tamen, cum pulchritudini contrarientur, earum cura non rarò anxiè quæritur, sed plerumque irrito cum

cum effectu, utpotè cum maculæ hæ sanis utplurimum accedentes omnia interna respuant, nec externis etiam auscultent.

III. *Tentari tamen solent varia Externa extrahentia*, sive resolventia, vel & poros cutis constringentia.

Ex his optimi usus esse prædicatur *phlegma* ☿li, quo facies vel partes aliæ lentiginibus defœdatæ, mane & vesperi abluuntur.

Vel ℞. *viride æris* ℥ij. *Aceti vini opt.* ℔j. destillentur ex arena, & phlegma primò exstillans servetur, eundem in usum.

Willis admodum commendat hoc Empiricum; v. g.

℞. ☿. *sublimati* ℥ß. ponatur tritus in vase stanneo & ei affundatur *Aquæ fontan. vel rosar. &c.* ℔iß. per 24. horas, cum spatula lignea subinde agitando, donec totus liquor nigrescit, qui tunc per chartam filtratus limpidus evadit. Hâc verò aquâ facies obducatur semel in die.

Vel sume *Aceti lithargyrii*, vel ex minio dulcificati q. l. adde *Olei* ♀*i per deliq.* ut in liquorem lactis instar albicantem præcipitentur, atque tali lacte bis in die laventur & fricentur facies & manus.

Vel ℞. *Lixivii è sale* ♀i minus saturati *per aquam Florum fabarum*, &c. facti ℥j. ☍ *amygdal. amararum* q. s. ut nimirum liquor lactescat, & ita perstet, quo cum mane & vesperi blandè fricentur maculæ. Vel

℞. *Saponis nigri* ℥ij.
Sulfuris vivi ℥j.

In petia ligata, suspende in *Aceti* ℔j. per novem dies, atque hoc bis in die fricentur maculæ.

Vel

Vel hoc *Agricolæ:*

℞. *☿. dulcis quater sublimati*
Sachari ♄ni aa. ʒiß.
Magist. marcasit. ʒj.
Fœcul. aronis
bryon. aa. ℈ij. M. fiat Pulvis.

Tempore usus cum *Aqua Flor. Fabar. aut Rad. Sigill. Salomon. vel Aq. rosar. alb.* &c. in pultem misceatur portio hujus pulveris, ac noctu cubitum eundo obducatur tali pulte facies, cavendo oculos, mane verò abluatur rursus dictis aquis; Hoc verò per octo dies continuato, maculæ cessant.

℞. *Aq. Flor. Fabar.*
Sperm. ranar. aa. q. l. instilla eis,

R. *Benzoes* q. s. ut aquæ lactescant, pro faciei & manuum leni ablutione & spontanea exsiccatione.

Pro ardore Solis avertendo. Fiat tale ceratum: v. g. *Sumatur subtile linteum Hollandicum*, extendatur in quadrato, *& humectetur cum recenti liquore Spermatis ranarum*, sexies vel septies, & sponte semper siccari sinatur. De hinc in patina argentea, solvatur supra aquam bullientem *ceræ albæ* ℔ß *Ung. Pomati* ℥j. quibus dissolutis porrò adde *Sperm. ceti rec.* ℥iß. *magisterii marcasitæ* ʒij. & si lubet, ultimo adde *ambræ* q. l. Cum hoc unguento inungatur linteum ex una parte, & si refrigeratum est, cum alio panno crudo poliatur terendo, & masquis adaptetur.

Si verò facies ab ardore solis vel alia ex causa admodum rubet, *cum Albumine Ovi, & Alumine fiat linimentum terendo*, ac eo facies mane & sero illinatur, vel obducatur per aliquot dies.

Vel

Vel ℞. *Olei ex Semin. 4. frig. maj. expressi*, vel in hujus defectu. ℴℴ. *Amygd. Amar.* ℥iß. inque eo leni calore dissolve

Mastichis elect. ℥ß. Dehinc adde

Sperm. Ceti. ʒij.

ℴℴ *Camphorae* ʒj.

Ligni Rhod. gtt, 25.

Spir. thereb. ʒß.

Cerae alb. ʒj.

Misceantur omnia probè, donec refrigescunt, atque his noctu facies illinatur. Mane verò abluatur *aqua Flor. Fab.* Vel *Sigill. Salom.* cui *Tinctura Benzoes* instillata fuit, sic & maculae, & rugae faciei cedunt.

Pro Tinctura Cosmetica conficienda

℞. *Bals. Peruviani* ℥j.

Storacis calam. el. ʒiij.

Benzoi ʒij.

Spir. vini rectificatiss. ℥vj.

Stent in infusione ad Tincturae extractionem usque, & servetur pro usu.

Lepra Arabum, Elephantiasis dicta.

E*St Impetiginis fortior gradus*; Quemadmodum enim ſcabies eſt quaſia via ad Impetiginem ſive Lepram Græcis ita dictam: *Sic Impetigo ſive Græcorum Lepra, eſt medium inter ſcabiem, & Lepram Arabum ſive Elephantiaſin*, utpote in quo malo, glandulæ cutaneæ à materia corrupta abundanti; & ſingulariter acri profundius exulcerantur, & cutis ita corrugatur ut elephantum cutem fere referat, præcipuè in pedibus, qui tumore tali cruſtoſo ſæpius afficiuntur.

Cura hujus mali plerumque irrito conatu inſtituitur: Plura hujus mali incipientis phænomena & curam, vide de Impetigine.

Lin-

Linguæ Asperitas & Fissura.

A singulari acrimonia lymphæ salivalis dependentes, *curantur per mucilaginosa*, qualis fit ex *Sem. Psillii, cydoniorum, cum Aqua sempervivi* &c. Vel *ex succo sempervivi, cum succo cancrorum expresso, & Sale armoniaco,* destilletur aqua, quæ egregia est ad os sæpius eluendum.

Sic & conducit *phlegma vitrioli*, cum Aqua sempervivi mixtum.

Nec minus efficax hic est *Tinctura rosarum cum lapide prunellæ*, in aqua sempervivi majoris dissoluto.

Sic & conducit *albumen ovi, cum mucilag. Semin. psillii, spodio, & oculis cancri,* commixtum &c.

Lippitudo aliis *Epiphora.*

EST oculorum vitium, *quando hi continuò lachrymas fundunt ferventes.* Aliis dicitur *ophthalmia humida:* cujus cura videatur de ophthalmia.

Lues Venerea.

I.

EST malum crudelè & rebelle, à quo etiam ossa corrumpi solent, propter singulare corrosivum humoribus per contagium plerumque impressum.

Cum verò *alia symptomata* comitari soleant malum hoc *in principio*, *alia in medio & fine*, hinc ex symptomatibus inquirendus est morbi hujus status; Cum aliàs *difficile admodum sit, in principio malum hoc cognoscere*, dum venenum hoc aliquando lentè admodum, aliquando etiam citius se prodit.

II. Aliquando verò *ab initio* statim, *Gonorrhoea, cancri venerei, vel bubones hoc malum indicant.* Secus accidit aliis, ubi Symptomata aliis etiam morbis consueta, nil certi docent.

In genere tamen veneno hujus mali infecti, evadunt lassi, tristes, cogitabundi, color faciei floridus in subflavum, vel ex flavo in pallidum mutatur, cum intumescentia quâdam; oculique fiunt concavi. *Malo ita procedente,* artus dolent, circa vesperam præcipue, in specie circa medietatem membrorum, *secus ac arthriticis, qui circa articulos suos*

potissimum sentiunt dolores. In illis etiam partibus, quibus venenum primo est impressum, oriuntur pustulæ & ulcuscula dolorosa.

Omnia verò hæc Symptomata, malo crescente, simul increscunt, & fiunt manifestiora. Pustulæ & ulcuscula se latius expandunt, circa frontem, supercilia, mentum, faciem non tantum defœdant, sed & alias corporis partes occupant, *præcipuè pudenda*, capilli quoque defluunt, anhelitus fœtere incipit, &c.

Dum verò malum summum attigit gradum, tum ossa simul infestantur, tophis & carie, in genere tamen præ aliis, *ossa nasi & palati eroduntur & perduntur,* undè loquela articulata perit.

III. *Causa* hujus mali *in genere consistit, in singulari lymphæ coagulo & acrimonia,* dum sanguinis pars lymphatica in genere, impresso Luis veneno invertitur & singulari viscididate imbuitur, adeò ut in cadaveribus hoc malo demortuis, post sectionem, venæ per totum corpus materia alba, viscida, sanguinem quantitate longè superante, repletæ, inventæ fuerint.

Ex hâc verò hujus mali causâ, symptomata supra enumerata facili opera explicari possunt.

IV. In curatione etiam, si malum hoc in principio constitutum est, coagulum tale citius solvitur rursus, quam si inveteratum est, ubi tam viscera, quam artus coagulo hoc infarcta jam sunt.

Sed cum *coagulum hoc singulari veneno introductum sit, hinc singularia huc requiruntur coagulum tale rursus destruentia & colliquantia:* sive specifica hujus Luis antidota, utpotè quæ sunt vel *sudorifera*

in spe-

in specie ex Ligno sancto & ejus cortice, Ligno sassafras, vel Radice Sarsaparillæ, &c. confecta. *Vel quæ ex Mercurio parata*, coagulum tale colliquando destruunt, & mediante salivatione per os rejiciunt & proscribunt.

Leniori vero, & securiori via coagulum hoc solvitur, per sudorifera, *quam severiori*, salivatione nimirum.

Antequam autem ad curam sudoriferam sit accessus, sæpe necessum est *primas vias prius evacuare*, propterea que in specie hic laudantur Purgantia cum ☿io dulci combinata. v. g.

℞. *Extracti Catholic.* ℈j.
troch. alhand. gr. vj.
Res. Jalapp. ℈ß.
☿. *Dulcis* gr. xxiiij. M. Fiant Pilulæ no. xxxiij. pro tribus dosibus.

Primis viis à ruditatibus vel visciditatibus salvatis, paretur tale sudoriferum. v. g. quale à *Zvvelffero* aliis præfertur, & hoc est:

℞. *Ligni Sancti* ℥iij.
Cortic. ejusdem ℥v.
Ras. Ligni Sassafr. ℥j.
Rad. Sarsaparill. ℥ij.
☿ *Vivi in petia ligati*.
♁. *crudi* ppr. *in petia ligat.* aa. ℔j.

Omnia incisa coquantur in Aquæ ℔viij. ad tertiæ partis consumtionem, & serveturad usum. Vel

℞. *Rasur. Ligni Sancti* ℔j.
Liquirit. ℥j.
Aquæ fontan. ℔xvj.

Stent in calore, infusa per noctem, tunc *coquantur*

tur in vase probè clauso ad consumtionem tertiæ partis, & colatura servetur.

De hoc vel illo Decocto singulo mane ægro calide propinentur ℥xij. & vel in lecto, vel arca sudatoria æger sudet, ab initio per dimidiam horam, sensim verò de die ascendendo ad horam unam & ultra, & continuando per triginta aut quadraginta dies vel ultra pro morbi pertinacia, intermediando quandoque purgans aliquod.

Aliquando vero loco sudoris, qui ægre obtinetur, *urina crassa excernitur*, quæ operatio tunc potius promovenda, quam restinguenda erit;

In genere verò in cura sudorifera persistendum est, donec omnia symptomata sunt fugata.

V. Sed si hoc medendi genere, humores nimimium viscidi reddidi, solvi haud posse videntur, *tum duriori modo fortior applicandus est cuneus.*

Salivatio nimirum, quippe hujus operâ, Viscditas talismodi veneno venereo introducta præ aliis resolvendi mediis, colliquatur, testante hoc non tantum ex recentioribus, *Cl. Sydenham*, sed & aliis quam multis, utpote qui huic remedii generi, primas deferunt, absque omni & Purgatione & Venæ sectione præmissa.

Ut verò Salivatio ritè instituatur, variæ inventæ sunt viæ, ex quibus tamen omnibus *inunctio ex Unguento ☿iali instituta*, vel & *☿ius dulcis* in substantia legitime exhibitus, præ aliis palmam præripiunt.

Pro inunctione, si hæc præ aliis placuerit, & è re esse videtur, saltem hoc simplex fiat linimentum. v. g.

℞. *☿ii vivi* ℥j.
Axung. porcinæ ℥ij.

Misce-

Misceantur omnia probè invicem agitando, donec nullus amplius ☿ius vivus ullo modo est conspicuus.

Hoc Unguento simplici ☿iali à *Sydenhammo*, tantopere commendato, singulis tribus noctibus inungantur omnes inarticulationes, excepto illis axillarum & inguinum.

Antequam verò tertia nocte fit inunctio, mane dentur *Turpethi mineralis* gr. viij. *cum conserva rosarum*: Sic post tertiam inunctionem salivatio incipit, quæ sensim atq; sensim absq; ulteriori vel inunctione, vel alterius exhibitione, increscit, ut intra diem & noctem æger quatuor libras materiæ viscidæ per salivationem rejiciat.

Si verò interea temporis symptomata aliàs molesta, mitigari incipiunt, tum mutentur indusia, & linteamina lecti, nesi forte ☿ius eis inhæreat, salivatio fortior excitetur.

Etenim si symptomata remittunt, salivatione licet moderatè se habente, tamen hæc supprimatur. *Sed si salivatio fatiscit, ante symptomatum remissionem*, tum illa, mediante ☿io dulci ad ℈j. dato, excitanda est, sic intra quatuordecim sæpè dies cura finitur; *imò singulis septimanis dosis ☿ii dulcis exhibenda est sæpe cum cathartico* longo tempore, licet æger omninò restitutus esse videtur; hunc in finem scil. ut dissolutoria actio lymphæ coagulatæ, continuetur ad perfectam sanitatem usque.

Sed si ex singulari humorum dispositione, vel alia ex causa, *salivatio intenditur*, ut æger periculum vitæ incurrat, ab inunctione continuata, tum hæc omittenda est, & post tempus inunctionis loco, *☿ius dulcis* bis, vel ter in septimana est exhibendus, ut sa-

livatio lenis saltem continuetur, ad symptomatum remissionem usque.

Quoniam etiam propter cutis diversam dispositionem determinari nequit, quantum ☿ii vivi se per poros insinuare queat, cum aliorum cutis poros nimis patulos, aliorum verò, magis arctos obtineat, hinc alii hanc operationem melius per ☿ium internè quam externè per inunctionem applicatum, obtineri posse credunt; proptereaque commendant inter alia, v.g.

℞. *☿ii dulcis* ℥ß.

Theriacæ q.s. M. fiant Pilulæ pro decem dosibus, quorum una mane, altera vespertino tempore propinanda est.

Et si salivatio haud convenienter & cito excitatur, patienti detur sudoriferum aliquod, sic mox excitabitur salivatio. *Sed si hac in tantum increscit, ut æger inde periclitari videatur*, tunc purgatio detur, ut Mercurius per alvum rursus proscribatur.

Et si æger extenuari incipit, prout talis conditio, lymphæ nimirum nutritiæ tanta colliquatio, & profusio, secum fert, detur ægro potus reficiens vel cerevisia dulcis bonæ notæ, & quidem calida, ut diaphoresis continuò foveatur.

Inter salivandum Os sæpius colluendum infuso Thee &c. ut saliva corrodens eluatur, & glandulæ tumidæ deobstruantur.

Interea tamen *non negligendum est Decoctum ex Guajaco*, & aliis huic malo appropriatis, ut mediante Diaphoresi simul plures partes à ☿io solutæ, per poros proscribantur.

Interim *reperiuntur subjecta, quæ tam ægrè purgantur*,

tur, quam ad salivationem difficulter perducuntur, adeò ut ☿ius exhibitus vix gingivarum exulceratio-nem efficere queat, *in his cavendum, ne salivatio ur-geatur*, cum inde loco salivationis, tormina ventris, dejectiones Dysentericæ, Dolores ventriculi, sudores frigidi, vel alia pessima symptomata excitata, ægrotantem ad interitum dedecure possunt.

Quam primum ergò tale symptoma, inunctionem succedit, tum desistatur ab inunctione, donec symptomata hæc remiserunt rursus.

Tunc verò lenius procedatur, & *☿ii dulcis* ℈j. semel vel bis in septimana exhibeatur, *cum Theriaca, aut Elect. Diascordii*, si ad Diarrhœam æger propensior est. Et licet hâc methodo salivatio ad plenum statum non pervenit: tamen si æger solito more copiosius exspuit, & fœtor, justæ salivationis comes se jungit, satis est, cum hæc indicent, humores talem attigisse alterationem, quæ concesso debito temporis spatio, sufficiens est malum debellare & expugnare.

VI. Sed *si æger præter Luem Veneream simul gonorrhœa laborat*, tum antè omnia methodo nunc præscriptâ Lues prius eradicetur. Post hæc si salivatio in totum evanuit, *Gonorrhœa est aggredienda per purgantia sæpius exhibita*, &c. dilucidiorem curæ hujus applicationem vide *in mea Praxi Medica*, nec non *chirurgia mea*.

VII. *Si Tophi in ossibus excrescunt*, illis applicetur Empl. de ranis cum ☿io duplici, &c. vel quotidie fricentur, guttula una aut altera *spir. fumantis Boylei*.

Si verò ossa carie sunt infecta, tunc tractentur, ut vulgo fieri solet radendo & mundificando, eisque

inspergendo pulv. *ex euphorbio, mastiche, iride flo-rent. aristoloch. fabacea & rotunda, thure, campho-ra*, &c.

Ulcera & pustulæ pus fundentes laventur *Aquâ ☿iali Fallopii.* Vel

℞. *Aquæ Calcis vivæ* ℥vj.
Sach. ♄*ni* ʒj.
Æruginis gr. vj. M.

Luxatio in Genere.

I.

QUando ossa, quæ per inarticulationes conjunguntur, sede suâ, sive acetabulo dicto, *excidunt integra*; ita ut motus istius artus arbitrarius impediatur, tunc *appellatur Luxatio.*

Sed si *aliqualiter saltem* è suo acetabulo os inarticulatum recedit, vel parum è suo loco dimotum est, vocatur vel *Dislocatio*, vel *subluxatio aut elongatio.*

II. *In causarum censum* numerantur *tam Externa, quam Interna.*

Inter Externas se sistunt, *Casus, ictus, luctatio, saltatio, extensiones graves, distorsiones*, &c.

Ex Internis humores vel lentè circulantes, vel subsistentes circa articulos, prout dolore Ischiatico laborantibus vel puerperis non rarò accidit, unde *ligamenta vel laxantur*, ut os è suâ sede excidat, *vel replendo contrahuntur*, ut ossium capita è suo acetabulo detrudantur.

Referenda huc veniunt *vitia hereditaria*, unde à claudicantibus claudi, à gibbosis gibbosi non rarò generantur.

III. Facilius verò luxantur ossa in pueris vel quorum ligamenta sunt mollia & debilia, ut in emaciatis & macilentis, quàm in aliis magis robustis & carnosis.

Sic item facilius luxantur articuli, qui ad plures motuum differentias compositi sunt, quàm illi, qui paucioribus motuum differentiis sunt destinati.

Articuli etiam qui unico ligamento continentur, facilius luxantur, quàm qui duplici obfirmantur.

IV. Facile verò, *& tactu & visu dignoscitur articuli* extra suum acetabulum *elapsus*, etenim *in ea parte in quam articulus excidit, tumor adest*;

In illo verò loco, è quo articulus prolapsus est, cavitas apparet, præcipuè si corpus magis macilentum quam crassum aut pingue est.

Et si os omnino è sua sede excidit, membrum illud abbreviatur, vel elongatur.

Propterea membrum affectum semper comparetur cum simili & cognomine sano, brachium nimirum affectum cum brachio sano, crus cum crure sano, & quidem in eodem homine.

Et cum *articulationes ossium factæ sint propter motum*, hinc si articulus è suâ sede excidit, necesse est ejusdem motum simul lædi. Unde si luxationis suspicio adest, motus tamen articuli non læditur, luxationem veram nondum factam esse concludendum erit.

In subluxatione verò, aut elongatione se omnia habent magis remissiora.

Quoniam etiam articulus è suâ sede elapsus, tendines & nervos ac musculos comprimit, simul dolor excitatur.

V. Restitutionem quod attinet, hæc *facilius quidem procedit in junioribus & macilentis*, sed difficilior est in suo loco conservatio & obfirmatio.

Luxatio etiam inveterata admodum difficilis est, in vertebris periculosa, capitis verò lethalis planè.

VI. Curantur vero, & *in locum debitum reducuntur* artus è suis acetabulis, vel inarticulationibus elapsi, *vel manibus, vel instrumentis aut vinculis*, & ex hisce tribus mediis eligatur magis conveniens.

Ut vero restitutio luxati ossis rite perficiatur,

qua

quatuor requiruntur Operationes, *Extensio* nimirum, *Repositio, Deligatio*, ac membri repositi *confirmatio & collocatio*.

Instituenda verò est *Extensio membri luxati statim post factam luxationem;* si verò chirurgo tardius vocato *inflammatio* accessit, tunc *hæc prius abigenda est*, dehinc extensio eo usque fieri debet, *ut inter ossa aliquid spatii relinquatur*, ne caput ossis, supercilia sinus tangat vel atterat aut frangat.

In extensione etiam observetur commoda membri figura, nec musculi distorqueantur.

Extensione sic sufficienter factâ, os in suam sedem compellatur, vitando capitis ossis circumrotationem, ne frangatur.

Reposito sic in suam sedem articulo, remittenda est intensio, & membrum ita firmandum, ne è sua sede prolabatur rursus.

Antequam autem instituitur deligatio, applicentur talia quæ inflammationem prohibent, & ligamenta relaxata contrahunt, *qualia vide de inflammatione.*

His ita ritè peractis, *membrum deligandum est per fascias & splenia*, prout de fracturis dictum. Et tandem membrum molliter & æqualiter collocandum, ne dolor excitetur: Ac nisi dolor vel pruritus &c. aliud requirunt, *membrum immotum servandum est, ad quartum vel septimum diem usque.*

Luxatio Specialis.

DIversimode fieri solet, pro partis singulari dispositione & loco.

I. *Maxilla* utplurimum *versus anteriora* luxari solet,

ſolet, niſi in junioribus, ubi interdum ab uno latere è ſuo loco dimovetur & facile rurſus reſtituitur.

Aſt *ab utroque latere* difficillime non tantum luxatur, ſed & ſi talis luxatio accidit, non tantum periculoſum eſt, ſed etiam lethale nonnunquam.

Rarius tamen accidit hæc luxatio à muſculorum debilitate, ſed potius ligamentorum laxitate. Nonnunquam etiam hujus partis luxatio oritur à nimio oris rictu.

Si luxatio hæc *ab uno ſaltem latere* accidit, tum dentes inferiores cum ſuperioribus non conveniunt vel concordant.

Reſtituitur hæc luxatio, ducendo maxillam verſus oppoſitam partem, atque ita in ſuum locum reponendo. Non rarò tamen luxatio hæc reſtituitur alapam impingendo.

Si luxatio *ab utraque maxillæ parte* facta fuit, ita ut tota maxilla antrorſum promineat, atque Os totum apertum maneat, tum proceſſus acutus in utroque latere altius prominet, & temporales muſculi utrinque ſunt expanſi.

Ut hæc luxatio reſtituatur, teneatur caput à miniſtro, aut contra parietem collocetur, atque ambobus pollicibus in os immiſſis, maxilla trahatur, primo deorſum, deinde retrorſum, & tandem ſurſum, ſic reſtitutio abſque ſingulari difficultate erit peracta.

II. *Scapula* prout rarò luxatur, ſic rarò etiam reponitur, quin non nihil protuberet, unde patiens poſtmodum manum ori aut capiti adducere vix poteſt.

Ut verò reſtitutio benè procedat, æger in dorſum procumbat, infra humerum verò ponatur lapis,

pis, aut aliud quid; tunc verò humerus extendatur antrorſum in illo nimirum latere, ubi luxatio facta eſt, ſic commodè ſatis reſtituetur.

III. *Os Humeri retrorſum nunquam luxatur*, raro etiam neque tam ſurſum quam antrorſum, *maximè verò deorſum.*

Cognoſcitur hæc luxatio, quando ſub axilla globoſa durities ſentitur, in ſuperiori verò parte cavitas manet.

Hoc in caſu *patiens decumbat*, *ſupra juncturam humeri viri cujuſdam fortis*, & ſic teneatur. Adſtans verò aliquis, brachium flectat deorſum & chirurgus ſuperiorem partem in acetabulum detrudat.

IV. *Si cervicis vertebræ luxantur*, patiens in humili ſede collocetur, deinde humerus deprimatur; & caput ambabus manibus ſurſum trahatur, & hinc inde commoveatur abſque tamen violentia; ſic motu hoc blando, reducentur vertebræ, & patiens caput pro lubitu movebit rurſus.

V. *Vertebris Dorſi luxatis*, patiens in ventrem decumbat, & duo miniſtri, omnibus viribus mediantibus vinculis, ab una parte ſub axillis, ab altera ſupra femora applicatis, eundem quantum poſſibile extendant, atque vertebras in ſuum locum reſtituant.

Ubi vero luxatio introrſum facta eſt, vix evadunt patientes tales.

VI. *Oſſis ſacri luxatio* reſtituitur, digito ano immiſſo.

VII. *Si Os coccygis luxatur*, id quod introrſum vulgo fit, tum intolerabilis excitatur dolor, &

non

non rarò Febris & convulſiones accedunt: Reſtitutio tentatur, digiti in anum intromiſſione, externè digitis ſimul applicatis.

IIX. *Coſtæ ſi luxantur*, tum ob gravia ſymptomata, mox ſupervenientia, *reſtitutio ſtatim inſtituatur.*

Et ſi hæ extra vertebras prominent, patiens brachiis ſuis de janua, quâdam pendeat, ut in ſuum locum coſtæ reducantur. *Si verò deorſum ſunt luxatæ*, tum patiens ſeſe deorſum curvando, manus genubus imponat, atque ſuo loco coſtæ reſtituentur. *Et ſi introrſum luxatio vergit*, mediante Empl. glutinante, extrahantur rurſus. Quod ſi verò operatio hæc ex voto haud ſuccedit, patiens vix evadit, quoniam manibus reductio fieri nequit.

IX. *Cubiti luxatio* diverſimodè fieri ſolet, *antrorſum & retrorſum, extrorſum & introrſum*, & nonnunquam ſequitur radius, vel manet; id quod palpando dignoſcitur.

Si antrorſum luxatio facta eſt, brachium evadit brevius, & cubitus flecti nequit, atque antrorſum prominet, retrorſum vero cavitas ſentitur.

Reſtitutio citò inſtituatur, alias mox ſuccedit inflammatio, dolor, febris, vomitus, & non rarò ipſa mors. Ut verò reſtitutio legitime procedat, Brachium tam diu & obliquè extendatur, ne oſſa ſe inter reponendum mutuò lædant. Et ſi manibus vires deficiunt, tunc applicentur vincula, mediantibus quibus brachium extendatur, & os retrorſum prematur, donec in ſuum locum reductum extat, manuum operâ.

Si verò luxatio cubiti retrorſum facta eſt, tum antrorſum cavitas, & antrorſum prominentia inſolita ob-

ta obſervabitur, Brachium itidem abbreviabitur, & flecti haud poterit.

Eadem ſigna aderunt, ſi vel introrſum vel extrorſum luxatio accidit, prominentia verò in eodem loco ſe exſerit, in quem os adactum fuit, cavitas verò, ex quo excidit.

Reſtitutio fit ut priorum, debitâ extenſione, modo luxationis taliſmodi reſtitutio recenter inſtituatur.

Eundem etiam in modum *luxatio radii* reſtituenda erit.

X. *Os Femoris* quod concernit, ejus luxatio plerumque *introrſum*, aliquando etiam *extrorſum*, & *antrorſum*, *rarò verò retrorſum* fieri ſolet.

Si intrὸrſum os hoc luxatum eſt, crus alterum altero longius fieri ſolet, ſed flecti adhuc poteſt. Genu verò extrorſum protuberat, & oſſis caput verſus inguina apertè conſpicitur.

Reſtitutio hæc adeò difficilis eſt, ut, licet reſtitutio ritè ſit inſtituta, tamen facilè rurſus excidat, unde crus facilè contabeſcit, & claudicatio inſequitur.

Repoſitio tamen tentetur ſequentem in modum; patiens nimirum ponatur ſupra medium tabulæ, aut ſcamni, & inter ipſius crura applicetur cylindrum ligneum firmiſſimum, linteo obvolutum, ut os femoris contra illud fortiter extendatur, atque ſic manu chirurgi reſtituatur.

Si luxatio extrorſum facta eſt, crus abbreviatur & introrſum torquetur, & licet patiens illud movere adhuc queat, tamen cum eo terram vix tangere poterit abſque claudicatione. Et licet luxatio hæc haud reſtituatur, tamen ſenſim dolor perit, & patiens, non abſque tamen fulcro, incedere poteſt.

Reſti-

Restitutio interim tentetur, methodo nunc traditâ.

Si antrorsum luxatio accidit, & os femoris prominet, inguen tumet, & nates sine carne, & rugosæ apparent; Crus tamen licet cum altero ejusdem sit longitudinis, flecti interea vix potest, atque simul accedit urinæ retentio.

Ut repositio, licet hæc difficilis admodum sit, ritè instituatur, patiens in latus sanum decumbat, & extensione legitimè adhibita os restituatur. Chirurgi genu adhibito, si manus vires non sufficiunt.

Posteriora versus factâ luxatione, patiens neque crus extendere, vel flectere, vel ambulare potest, quin in dorsum supinus prolabatur; imò crus altero brevius extat; in Inguine adest cavitas in natibus verò insueta prominentia.

Etsi verò repositio haud fiat, tamen dolores sensim evanescunt, & crus quidem flectitur, sed brevius manet & rectum.

Si repositio institui debet, æger decumbat in ventrem, & crus extendatur fortiter, prehendendo crus supra genu, quod à crure integro extrorsum trahitur, atque in acetabulum reducitur, in quo tamen vix manebit, nisi æger ab omni motu abstineat.

Ossa tibiæ luxata restituuntur eundem in modum, ut de cubito dictum.

XI. *Si patella* extra suum locum debitum adactum est, patiens stet erectus, atque in suum locum reducetur, ligatura interim tam firma adhibita, ne genu flecti queat patiens; atque sic licet ab initio gradum formicinum incedat, cum tempore tamen incedendo audacior evadet.

XII. *Non rarò Luxationes*, præter inflammationem,

nem, *supervenire solet Tumor œdematosus*, tunc verò propinentur *sudorifera*, & locus tumidus & luxatus illinatur *Oleo* ♀i *dest.* & ☍ *ossium human. cum CC. u-lo, vel calce vivâ, à suo fœtore rectificato.*

Ut verò pars reposita obfirmetur, applicentur *lintea vel sacculi, vino Decoctionis Flor. Hyperici, chamomillæ, stœchad. Arab. Rorismarini*, &c. impraegnati & calidi.

XIII. *Si coagulum gypseum* luxationis existit causa, illinatur pars *petrolæo, Spir. juniperi, ac balsamo Peruv. in vitello ovi soluto*, &c.

Caveantur autem in omni luxatione *Oleosa mucilaginosa*, poros obstruentia, & fibras laxantia, pruritumque & excoriationem instituentia.

Fugiantur etiam *Empl. & cataplasmata adstringentia*, & inflammationem promoventia.

E contra *applicentur Fomentationes ex herbis aromaticis & similibus facta*, &c.

Maculæ Hepaticæ.

Vide Lentigines.

Madarosis.

Quando post Febres malignas Cilia oculorum defluunt, vide Capillorum Defluvium.

Marisca.

Vide Ani Condilomata.

Meliceris.

Vide Atheroma.

Myrmecia.

Videantur Verrucæ.

Narium Polypus, Sarcoma Ulcus, &c.

I.

POlypus & Sarcoma narium, *sunt excrescentiæ carneæ, in illis enatæ;* Polypus tamen in eo differt à Sarcomate, quod in sua excrescentia certam quandam præ se ferat figuram, atque radicibus totidem, ceu multis pedibus exilibus adhærescat, & qui-

quidem superioribus nasi radicibus, undè in palatum sæpè propendet, vel &, in ulteriori progressu & accretione, tandem narium ora transgreditur & prominet, modò albicans, modò rubens aut livescens; ac respirationi tam, quam loquelæ non minimum infert detrimentum.

II. *Sarcoma* autem certam figuram neque habet, neque ut in ulceribus excrescere solet, nec etiam multipedum habet fundamentum, sed in inferioribus partibus nasi carnosioribus latius se expandit, & nares obstruit, cum notabili tumore sive protuberantia.

III. *Ulcus si nares infestat*, & neglectum vel malè curatum, *sordidum & fœtidum* evadit, tunc *Ozæna dicitur*, præcipuè, si pus acre & lividum exit, quod in simplici exulceratione prodit album.

Et si acrimonia increscit vel corrosiva evadit, tum in cancrum abit, sive Noli me tangere aut Lupum dictum, ob horrendam narium depastationem.

Non raro etiam Ulcus tale oriri solet à Polypo intempestivè vel malè curato, in nonnullis autem sponte enascitur.

IV. *Causæ* horum malorum *sunt læsiones præcedaneæ*, & inde enatæ exulcerationes, *item Coryza, Hæmorrhagiæ*, vel quando nares digitis sæpius & altius fodicantur.

V. Polypus verò & Sarcomata albicantia faciliùs adhuc curam suscipiunt, quam si rubent aut livescunt, & si in cancrum abeunt, difficulter vel nunquam curantur.

VI. *Ex Internis* quibus humorum acrimonia præ aliis temperatur, est *Decoctum ex Guajaco, Sarsaparilla*, &c. factum.

Inter Externa ad Polypum eradicandum, vel *instrumenta chirurgica, vel caustica* se sistunt.

Citius tamen eradicatio fit instrumento sive *forcipe extractorio cavo*, & in summitate denticulato, si verò tali forcipe Polypus est extractus, & separatus, atque fortior hæmorrhagia inde fuit concitata, tum applicentur *turundæ liquore styptico madidæ*, *vel vitriolum album* gossypio exceptum.

Ubi verò hæmorrhagia cessat, & non omnes reliquiæ vel radices fuerunt exemtæ, tum inurantur ferro per cannulam naribus immisso. Dehinc *fiat injectio ex Decocto hordei, Spir. vini & melle parata.*

Si hæc methodus severior esse videtur, *Polypi extirpatio tentetur per cauterium potentiale*, mediante pixide plumbeâ cavâ, pro nasi longitudine disposita; Cauterium potentiale magis expeditum hic est *lapis infernalis.* Alii *Unguentum Ægypt. miscent cum Oleo* ♁*li*, ad Unguenti ℥j. olei gtt. xx. sumendo, &c. his verò & similibus, *gradatim & per vices adhibitis*, ad separandam escharam immittatur *Ung. Basil.* ad ℥ij. *Elix. vitæ* ʒß. & *myrrhæ* ℈j. admiscendo,

Si mediante cultro polypus videtur esse separandus, tum specillo ad id apto utendum est, ut nares dilatari, & locus ubi polypus radicatur, investigari queat, & cultellus, cuspide globulo instructus, ad radices dissecandas, adigi commodè queat.

Si nares exulcerantur & Ozæna inde metuitur applicetur *Aqua viridis Hartmanni.* Vel

℞. *Ung. basiliconis* ℥j.
Gummi ammon.

Gum-

Gummi elemi aa. ℥ß.
Balſ. Peruv. ℈j.
Præcipitati albi gr. ij. M. fiat linimentum, quod cum plumaceolo applicetur.

Non minus etiam conducunt *ſuffumigia* ſæpius adhibita ex *ladano*, *maſtiche*, *gummi animæ*, *ſtorac. calam. ſandaraca*, &c. vel cum *therebintina* in trochiſcos formata ad ſuffumigandum.

Si Oſſa narium ſimul videntur eſſe *infecta*, cauterio actuali fiat inuſtio, & curatio prout de fiſtulis, &c. fuit doctum, &c.

Oedema.

I.

EST tumor mollis, laxus, frigidus, doloris expers, digito prementi cedens, *& in specie foveam per tempus post se relinquens*, & albicans, &c. Præcipuè verò in cruribus, & nonnunquam in manibus excitatus, *à lympha nimis gelatinosa, vel viscida*, lento gradu circulante, vel & in nonnullis tubulis stagnante, aut planè extravasatâ, exortus.

II. Malum hoc utplurimum *adultos, vel senes, rarò juvenes vel pueros infestat*, nisi potui nimio indulgeant; præterea verò *cachecticis, hydropicis, phthisicis, scorbuticis*, &c. frequens esse solet.

III. *Causa* hujus mali immediata ut in definitione, est *lympha nimis gelatinosa vel viscida*, in suo libero circulatorio motu impedita, superflua spirituali vigore destituta, &c.

Causam hanc utplurimum fovent *primæ digestionis vitia, ætas senilis*, corporis habitus mollior, laxior, vel & temperamentum vulgò frigidum & humidum dictum: Hisque velificantur *res non naturales*, utpotè non minimum addentes symbolum.

IV. Malum vero hoc, etsi *pro minus periculoso* haberi soleat, præcipuè *si reconvalescentibus accidit*, tamen si remediis legitimis haud cedit in principio, tum inveteratum, postmodum rarò curatur; sed temporis successu augetur, vel *anasarcam* aut *cachexiam* pro causa habet minus curabili, *& in senibus infallibilis Apoplexiæ* creditur esse *prodromus*.

V. *In curatione* conducunt omnia ea *quæ lympham attenuant*, ejus circulationem promovent, & spirituum vigorem restituunt.

E

Et cum *focus morbi, plerumque in primis viis* latitare & sanguini communicari soleat, hinc *si ventriculus plurima saburrâ viscida scatere hariolatur, hæc removeatur* prius, & quidem *mediante vomitorio.* Vel purgante alio ex *M. Pil. tartarear. vel vino medicato laxantè*, &c. Si hæc nil efficiunt, in usum veniant *jalapina, scammoniata, colocynthiaca, cum ☿io dulci combinata*, &c.

Dehinc *colluvies serosa* eliminetur porro *per Diaphoretica*, ex quibus hic præ aliis se commendant *Tinct. Bezoard. absque acido, Tinct. CC. succinata*, &c.

Nec *Diuretica* hic exulent, inter quæ aliis palmam præripit *℞. ♉. succinata, therebinthinata, vel cum Bals. Copaivæ*, maritata, &c.

Neque etiam hic omittantur illa *quæ Spirituum vigorem restituunt*, atque lympham corrigunt, vel attenuant, qualia vulgò sunt volatilia, spirituosa, absorbentia, attenuantia, &c. inter quæ aliis prævalent *Sal volat. oleosum aromat. cum spir. ✱ci saturatum, Ess. absinth. simpl. & comp. ℞. ♉. succinata*, &c. Nec minus efficacia hic sunt *martialia*, in specie *Sal meum ♂* & ♉. &c. Si enim post hujus salis usum motus instituitur corporis, & successu temporis laxantia blanda propinantur, & volatilia balsamica interponuntur, de successu optato non est dubitandum.

Inter Externa resolventi & colliquanti vi prædita, *optimi sunt Fotus calidi, ex lixivio forti, sarmentorum vitis; lixiv. benedicto. Mynf.* vel & ⊖e *comm. sale ♀i, nitro & alumine fortificati*, & cum linteis duplicatis applicati.

Nec Thermæ naturales vel balnea hic exulent, quorum defectum interea supplet *vapor partibus œdemato-*

matosis exceptus, & ex Decocto cum herbis emollientibus & aromaticis in vino coctis, & per silices candentes aut lateres ignitos, injectos, excitatus.

Non minimam etiam opem præstant *suffitus, ex succino, olibano, ladano, styrace calamita, sabinâ*, &c. ad partes œdematosas derivati.

Nec minoris efficaciæ hic est *cataplasma ex stercore caprillo cum urina ægri propria confectum*, & quam calidè tumentibus partibus applicatum. Ad fœtorem demulcendum potest addi *pulvis flor. meliloti. chamomillæ, cumini, bacc. lauri, juniperi*, &c.

Et si tumor talis reconvalescenti à longo morbo accidit, optimum est *chelidonium majus recens contusum & plantis pedum applicatum*: quem effectum etiam præstant *Folia hyoscyami* plantis pedum alligata.

Ex Emplastris optimum est illud *de baccis Lauri, Diaphor. M. Oxycroceum. de cicuta, de hyoscyamo* cum *oo petræ, succini, ♀i fœtido* malaxata, &c. Vel

℞. *Gummi Galbani*
Resinæ styracis aa. ℥ß.
Sapon. Veneti ℥vj.
Ceræ ℥v.
Resin. comm. ℥iij.
Camphoræ ℨiß.
Olei CC. dest. ℨij.
Terræ ℨj. M. fiat Empl.

Ompha-

Omphalocele.

Vide Hernia Umbilici.

Ophiacis.

Vide Alopecia.

Oris Fœtor.

I.

UT plurimum oritur *ex primis viis*, *chylo nimirum in putrilaginem fœtentem verso*, tum & *vermibus*, nec non *Iliaca passione*, &c. Non rarò tamen *dentes cariosi*, *gingivæ exulceratæ*, &c. causam sustinent; Aliquando etiam *pus in Pulmonibus delitescens* tetrum spirat odorem. Neque *Ozæna* hic est insons, &c.

II. *Si vitio digestionis primæ* malum exoritur, tum illo sublato, malum cessat; conducit verò hoc in casu *Elix. Propr. Ess. myrrhæ*, item *Decoct. Lignorum*, *infusum Thee*, vel & *acidulæ*, &c.

Interea verò emendetur oris fœtor, *Nuce Moschata*, *Heleni*, *Zedoaria*, *caryophyllis*, *cortic. citri*, *Rad. Irid. flor.* &c. masticatis vel in ore detentis.

Vel post pastum sumantur *trageæ stomachales*, *confectio cardamom. min. cinamomum*, *Nux Indica condita*. trochisci sublinguales cum moscho & ambra, &c.

III. Si Dentium caries causam fovet, dens evellatur, vel os ante & post pastum *eluatur aquâ, in quâ Salarmoniacum est solutum*. Vel denti cavo immittatur *massa ex gallia moschata, cum radice cyperi & mastiche confecta*, &c.

Ozæna.

Vide Narium Ulcus.

Panaritium, Paronychia, Reduvia, &c.

I.

E*St inflammatio circa unguium radices*, cum dolore gravi, igneo, rodente ac si à vermibus excitaretur, undè Germanis dicitur, der Wurm am Finger.

Ab initio tumore tantum levi se prodit, cum dolore, sed si tunc negligitur, & inflammatoria stagnatio, pedem figit, tum ab insequente humorum sensim sensim facta stagnatione, sæpè tota manus, & brachium ipsum, intumescit, atque sic consequenter in abscessum circa unguem abit.

II. *Causa ergò immediata* est *lymphæ nervinæ corrosivæ, sensim facta stagnatio.* Et cum periostium sit magis principale hujus mali, subjectum, hinc non mirum aliquando ipsa ossa simul corrodi. præcipuè si stagnans lympha acrior fit, unde non tantum malum increscit & procrastinatur, sed & ipsa gangræna sæpè accedit, & articulum digiti corrumpit; ut non tantum digitus, sed & brachium ipsum aliquando amputari necesse habeat.

Causæ remotiores potissimæ sunt aër frigidus, &c. unde est quod ancillæ, vel aliæ laboribus deditæ, & hyeme in frigore continuò degentes *manus* semper ferè habeant *præfrigidas, quas si ex improviso*, vel haud advertentes, *statim foco calido admovent, vel*

calefactas frigori, facilè accidit, ut ob inæqualem liquorum contentorum solutionem nonnullæ subsistant & obstruant, unde illæ lachrymæ.

Inter talismodi causas supersedemus alias ex nonnaturalibus huc recensere, utpotè quæ vario modo dispositiones addere possunt, huic malo viam sternentes.

Sic & contusiones, puncturæ vel festucæ digito intrusæ non raro occasionem addunt.

III. *Malum hoc statim ab initio sæpe levi opera superatur*; Sed si negligitur, & circa periostium propius subsistit, tum periculo haud caret, *secus si materia stagnans ab osse & periostio remotior, ac tumor magis conspicuus est, atque succi non sunt corrosivi, sed mites*, &c.

IV. In curatione ante omnia succi, sive humores circulantes, reddantur fluidiores, ut in halitus resolvantur, & acriores particulæ exspirando discutiantur, vel à suis vasis iterum recipiantur, atq; digitus calore, tumore ac dolore liberetur, vel ad suppurationem perducatur.

Præter interna humores stagnantes & corrosivos *edulcorantia vel absorbentia atque resolventia, utpotè Diaphoretica, absorbentia ex ♁io constantia*, &c. imò præter anodina dolorem demulcentia, *potissimam curam hic præstant Externa Topica.*

Hinc quamprimum malum hoc se prodit in digiti cujusdam extremitate, cum dolore, nocte & die molesto, tum digitus immittatur *Elixirio meo Balsamico; vel sale volatili oleoso, aut spir. ✱ci.* &c. vel *Ex Herb. scordii, rutæ Flor. chamomill. meliloti. farin. sem. lini fœnugræci, bacc. lauri*, &c. *in lacte vel vino coctis* fiat fotus digito diligenter quam calide applicandus.

Alii

Alii digitum *aquæ ferventi vel pani calido* intrudunt, quam calide ferre possunt, alii digitum *in aurem felis* immittere jubent, vel & *lumbricos vivos* à principio statim alligatos commendant: alii admodum laudant *asam fœtidam cum allio & album. ovi* in forma cataplasmatis applicatam, &c.

Sed si malum ab initio neglectum in abscessum abit, tum curationis methodum dabit titulus de abscessu; *Et si os cariosum evadit*, tum eundem in modum tractetur ut alibi doctum; *Vel si in spinam ventosam planè abierit malum*, tum instituatur incisio, ut os affectum vel scalpendo vel inurendo mundificari, & dehinc consolidari commode queat.

Si verò malum omnia præsidia eludere videtur, præsentissimum remedium erit *cauterium actuale*, vel *ipsa partis amputatio*.

Parctis.

Parotis.

ID quod *Bubo est* in conglobatis inguinum glandulis, *id Parotis audit* in glandulis parotidibus pone aures sitis, *neque differunt Bubo & Parotis* tam quoad causam, & fiendi modum, *quam loci ratione.*

Dolor tamen in Parotidibus inflammatis tumidis obstructis sæpè adeo sævit, ut ægri neque die & nocte quiescant, imò non rarò deliria vel convulsiones aut lipothymias incurrant.

In febribus malignis sæpe motu critico excitari solent fausto omine, declinante morbo; sed si ab initio morbi cum gravioribus symptomatibus accedunt pessimum est.

Curam hujus mali tradit titulus de Bubone.

Parulis.

Est exulcerata Epulis, vide Epulis.

Pernio.

ESt *tumor inflammatorius, cum rubore & dolore vel pruritu dolorifico, excitatus à summo frigore, in pedum vel manuum extremitatibus,* &c.

Facile verò exulcerantur Perniones, undè sanies ichorosa effluit, & difficulter sanantur. Vel licet hyeme cedente aliquando consolidantur; tamen hyeme adveniente cum pruritu sæpe dolorifico recidivant, *nisi pedibus in gelidam immersis frigus extrahitur.*

Cavendum verò ne pars à frigore corrupta calori acce-

accedat, ſed quam primum damnum hoc ſentitur, *pars nive fricetur, vel gelidæ immergatur.*

De hinc ſi pruritu moleſti ſunt Perniones ad ignem ſæpius illinantur *oleo therebinthinæ*, vel applicentur *rapæ coctæ in forma pultis*, aut *Unguentum ex rapis Mynſ.* &c.

Si in ulcus abierunt, curatio inſtituatur ad modum aliorum ulcerum. *Confer huc ea quæ de Gangrena ex frigore contractâ, commendata reperies.*

In genere verò frigus externum arceatur, quantum quidem poſſibile, utpotè in quo exulcerationis taliſmodi, curationis cardo vertitur. Propterea *applicetur pellis leporina, vel charta emporetica ſpir. vini madidâ.* ad frigus arcendum, &c.

Phi-

Phimosis; Paraphimosis.

I.

PHimosis penis vitium est, quando glans ejus præputio ita fortiter obtegitur, ut hoc reduci nullo modo queat.

II. *Paraphimosis è contra dicitur*, quando præputium ita retractum est, ut glandem tegere & reduci nullo modo queat, sed eandem quasi strangulare videatur.

III. Causa Phimoseos sæpè est mala conformatio, vel & inflammatio, & inde enatus tumor, glandem distendens &c.

IV. *Curatio* propterea *Externis potius quam Internis* institui solet: *fotibus nimirum calidis ex Flor. chamomill. meliloti, sambuci, herb. rorismarin. majoranæ, salviæ*, &c.

Si verò ab inflammatione hoc malum traxit originem egregiè conveniet *Elix. meum Balsamicum, Aquâ calcis vivæ, sperm. ranar. flor. sambuci*, vel & *spir. vini camphor. matricalis*, &c. ut & *lac in quo Flor. chamomillæ coctæ sunt*, pro fotu adhibitum.

Si verò malum nunc inveteratum existit, vel & ab utero sive nativitate originem habuerit, nonnisi manu chyrurgi tolli poterit; hunc in finem *ad latera præputii fiat rectilinea incisio forfice*, vel intra glandem & præputium adigatur scalpellus, ac ad glandis radicem usque præputium incidatur. Si verò unica incisio haud sufficit, fiat altera in latere opposito, & ad sanguinem sistendum applicetur stipticum aliquod.

Et si post factam incisionem præputium sua sponte

ſponte haud retrocedit, tum ſingulis diebus aliquoties ope digitorum, ſurſum & deorſum reducatur.

Si verò frœnulum ſolitò brevius, præputium contrahere videtur, tunc incidatur frænulum proxime præputio.

V. *Paraphymoſin quod concernit*, cauſa hujus mali vel *prava à nativitate conformatio, vel & inflammatio & tumor* à diſtenſione, inflatione, &c. eſſe ſolet; atque curatur iiſdem remediis, ac Phimoſis. Si verò à nativitate malum traxit originem, fruſtra adhibetur medela, etſi enim debita fiat inciſio præputii, nunquam tamen glandem teget.

Phygetlon, Phyma.

NIl aliud ſignificant niſi Bubonem, ſive benignum ſive malignum, quem vide ſuo loco.

Plica Polonica.

I.

INde nomen traxit, *quod Polonis magis familiaris ſit*, quam aliis gentibus.

Eſt verò malum, ubi capilli quaſi plicantur & in cirros abeunt, ut extricari nullo modo queant, noſtratibus dicuntur Hollen-Zöpffe / &c.

II. *Originem trahere videntur à nimia copia ſucci capillorum nutritii, & pororum tanta dilatatione, ut multi capilli ex unico prodeant poro*, unde illo in loco pili confunduntur & conglutinantur, & in tales plicas concreſcunt.

Et ſi

Et si inveterascit talis Plica, nullam admittit curam: sed cum præter deformitatem nil portendant mali, hinc plures tales tricas sive Plicas sibi servant incultas, & citra noxam, quam diu vivunt circumferunt, sibi persuadentes ab illis gravissimorum capitis affectuum materiam absorberi; resectis verò illis de vita actum esse.

III. Et cum malum hoc aliàs sit contumax, & optima eludat remedia, hinc curatio ejus negligitur, præcipuè cum pororum conformationem à naturâ semel factam, medicamentis corrigere, difficile omninò sit.

Si tamen ejus curatio est instituenda, instar Luis venereæ *per salivationem* ☿*ialem* curatio tentanda; Abscissio verò non temerè instituenda est.

Polypus Narium.

Vide Narium Polypus.

Priapismus.

I.

Est involuntaria membri virilis erectio, sive *convulsiva penis rigiditas, absque stimulo ad libidinem*, proveniens à spiritibus flatulentis crassis, spongiosos nervosi corporis penis meatus, distendentibus, &c.

Propterea malum hoc non facile curatur, ut affectus alii convulsivi, ac quandoque in Apoplexiam vel Epilepsiam abit.

II. Si tamen cura est instituenda, hoc eundem in modum fiat *ac de aliis morbis convulsivis dictum est*; Externè verò applicentur *Spir. vini camphoratus* ℥j *cum aqua plantaginis, sach.* ℔ni. Vel fiat *epithema ex aqua menthæ, rutæ*, &c, in quibus *camphora* fuit dissoluta, &c.

Pruritus.

I.

ESt ſymptoma moleſtiſſimum, præ quo ægri ſæpè nullâ quiete frui poſſunt per tot ſæpè dies & noctes. Et accidit, *quando materia* in poris cutis hærens, *mobilior ac tenuior*, partes cutaneas nerveas vellicat, & cum titillatione quâdam ſtimulat, ac ad ſcalpendum quaſi invitat, quæ etſi ab initio aliquid voluptatis habere videatur, tandem tamen per vehementiorem ſcalpturam unitate cutis dilaceratâ, utplurimum dolor ſequitur.

Diſſipatâ verò materia pruritum excitante *ſcalpendo, abſque continui ſolutione*, etiam pruritus abſque dolore ceſſare ſolet.

II. Utplurimum verò pruritus intenditur, dum in calore vel lecto partes exhalaturæ in poris cutis incaleſcunt & expanſionem moliuntur.

III. Difficulter verò curatur malum hoc, præcipuè in ſenibus, interim tamen non planè deſperandum, ſed *ſanguinem depurantibus*, *ſudoriferis*, *alterantibus*, vel & *ſanguinis miſſione aut ſcarificatione*, curatio tentanda erit.

IV. Proſunt propterea *Pilulæ de fumaria cum* ☿io *dulci*, *Tinct.* ♁. *Eſſ. Lignorum compoſ.* &c.

Externè conducit *Ung. refrig. Galeni*, vel *Ping. canis illita. Succus fol. ranunculi tenuifolii, menſe Majo expreſſus & illitus.*

Sic & conveniunt *Balnea ex radic. lapathi, fol. nicotianæ, pyrolæ, myrrha, ſulfure, & ſcoriis ferri ignitis* parata, &c.

Ptery-

Pterygium sive *Ungula Oculi.*

I.

E*St excrescentia quadam tunicæ conjunctivæ*, quâ pupilla, vel in totum, vel ex parte tegitur & quidem externè, dum exterius tunicæ oculi adnatæ, *membrana est affixa, vel tenuis ac albicans*, quæ unguis sive pterygium audit, *vel carnosior & rubicundior*, ac Pannus dicitur.

II. Membrana tamen hæc utplurimum ab angulo interno, aliquando ab externo, rarò verò ab alterutra palpebra protenditur, utplurimum verò pellicula hæc, tunicæ adnatæ asperæ adhærere solet.

III. Causæ hujus mali *vel internæ* sunt, *vel externæ; Internam suppeditat lympha nutritia crassior solitò*, dum hæc ad tunicam adnatam delata pelliculam excrescere facit, & oculo lucem præripit.

Externam aliquando addit *subtilissimorum vasculorum sanguinem vehentium læsio*, unde sanguis lymphæ admixtus membranam crassam rubicundam successu temporis efformat; à veteribus Panni nomine insignitam.

Etsi verò Ungula recens haud adeo difficulter curetur, *requirit tamen longum temporis intervallum* quoniam oculus affectus medicamentis acrioribus oppugnari haud debet. Facilius tamen curatur ungula alba & tenuis, quam crassior & rubicundior ac latior Pannus.

Inchoetur verò curatio unguis vel Panni, Venæ sect. scarificatione, setaciis, cauteriisque.

 Vel

Vel si humores vitiosi in corpore abundant, adhibeantur *Purgantia convenientia.*

Dehinc ad Externa, sive Topica fiat accessus, v. g.

℞. *Succi chelidon. maj.* ℥iß.
Fellis lucii piscis ʒij.
Sachari candi albi ʒß.
Aloes ℈ß.
Vitrioli cœrulei gr. iiij. M. fiat collyrium. Vel

℞. *Salis armon.*
Ossis sæpiæ aa, ʒj.
Sachari candi ʒß. M. fiat pulvis quotidie oculo insufflandus.

His verò vel similibus, de ophthalmia traditis, paulo acrioribus, nil efficientibus, *ad operationem chirurgicam fiat accessus, quam vide in mea chirurgia:* ubi tamen Cautio est habenda, ne cornea lædatur, & si sanguis inter operandum effluit spongia abstergendus est. Observandum etiam, ut membrana separata ita abscindatur, ne quid remaneat.

Ablata verò Ungula oculus deligatur albumine ovi, aqua rosacea, & camphora.

Oculus sæpe aperiatur, iterumque claudatur, ne cum palpebris coalescat. Tandem siccantia & cicatrisantia adhibeantur, ex *Aloe, Tutia, Thure, Trochiscis albi Rhasis*, &c.

Sarcoce-

Sarcocele.

Vide Hernia.

Sarcoma Narium.

Vide Narium Sarcoma.

Satyriasis.

I.

EST *admodum libidinosa penis distensio*, cum palpitatione & frequentiori ad coitum stimulo, quam aliàs in statu sano fieri consuevit: *ob singularem partis hujus inflammationem*, unde fibræ variè tenduntur & extenduntur vel irritantur.

Post coitum quidem aliquantisper remittere solet hæc irritatio, sed mox redit & sæpius affligit.

II. Et est malum satis periculosum, quoniam convulsiones facile accedunt; & vasa seminalia resolvuntur, nisi à medicamentis venerem stimulantibus affectus hic fuerit contractus.

Quo in casu applicetur *cataplasma ex foliis rutæ rec. contusis, cum flor. nymph. vel foliis hujus, sem. rutæ, agni casti, cumini, addita aqua solani, aut nymphea.*

Internè possunt propinari *Emulsiones refrigerantes*, &c.

Scirrhus.

I.

E*St tumor durus, renitens, indolens & absque inflammatione*, partes tam internas quam externas affligens, & à parvo initio de die in diem accrescens, modò livescens, modò pallescens, &c.

Ac dividi solet *in exquisitum, & nothum dolentem* vel simplicem, aut in cancrum degenerantem.

II. Causa est *singularis lymphæ, in parte quadam præcipuè glandulosa, induratio, ab acido singulari coagulante*, non raro etiam post inflammationem ex repellentium usu male curatam, excitata.

III. Curatio difficilis admodum est, ob pertinacem obstructionem, & intimiorem particularum crassiorum unionem, præcipuè si durities sensu expers est. Hinc melius adhuc, si scirrhus aliquali saltem dolore præditus extat.

Non verò ad suppurationem ansa detur, cum facilè in cancrum transeat.

IV. Curationi *statim ab initio* insistatur, cum postmodum, sui curationem vix suscipiat.

Hinc non tantum *Externis*, sed & *Internis*, omnes vires impendantur, ut lympha in glandulis certis indurata colliquescat rursus.

Conveniunt verò *inter interna* præprimis *♂ialia*, quale est *Sal martis & ♂ aperitivum, mihi usuale, Tinctura ♂*. &c.

Inter Externa præ aliis excellunt, *Fomentationes, Cataplasmata*, vel *ex gummi ammon. galbano, Bdellio cum therebintina*. &c. confectum malagma.

Vel & *Empl. de ranis cum ☿io quadruplici. Empl. de ci-*

de cicuta cum Ung. de arthanita, Empl. de Cicuta cum gummi ammon, de Cumino, Diachylon cum gummi, &c. Vel

℞. *Stercoris caprilli vel ovilli* ℥iij.
Cœparum coctar. ℥ij.
Sem. ſinapi ℥ß.
Camphoræ ʒij.

Ex omnibus contuſis & mixtis cum *Spir. vini*, vel *Spir. matricali, aut Spir.* ✱ci, &c. fiat cataplaſma.

Vel remanentia, âquâ Spir. frumenti edeſtillatus eſt, pro fotu diligenter applicetur. Vel *Oleum Terræ Petræ, juniperi*, &c. in quibus *tantum camphora* ſolutum eſt, ac in illis diſſolvi poteſt, diligenter infricetur & applicetur.

Scrofulæ seu *Strumæ.*

I.

DIcuntur illi *tumores scirrhosi, qui in glandulis conglomeratis præcipue colli, exoriuntur*, tunicâ propriâ contenti, & utplurimum doloris expertes, absque cutis decoloratione.

Hi vero tumores scirrhosi altiores agunt radices quam vulgares glandularum simplices tumores, sive bubones, & plerumque; utpotè in glandulis conglomeratis, uvarum in modum racematim sibi invicem cohærent.

II. Eadem verò causa, *lympha* videlicet ab acido singulari in glandulis, *in caseosum coagulum versa*, tam scirrhum, quam scrophulas generat, unde ob continuum nutrimenti appulsum, & in coagulum versum, sensim accrescunt, & in majorem molem elevantur, ortus ergò non adeò subitaneus est; Non raro affligit malum hoc puellas virgines, quibus menses prima vice orituræ sunt, & retardantur, ex lympha malè disposita. Præterea vero malum hoc *Incolis Styriæ, Valesiæ, Tyrolis*, &c. est familiarissimum.

III. Sunt verò *vel Benignæ, vel Malignæ*, cancrosæ, scil. pro lymphæ singulari dispositione magis minus acri vel corrosiva; Porrò pro glandularum situ sunt *vel mobiles & pendulæ, vel immobiles & fixæ*, ac aliis colli partibus magis intertextæ, vel *molles* vel *duræ*, *dolentes* aut *indolentes*.

Omnes verò, *qui* in nostris quidem regionibus *scrofulis affliguntur in collo*, plerumque *etiam glandulas mesenterii obstructas* & duriores acquirunt, ob lympham in genere coagulationi obnoxiam.

Qui

Qui differentias in hoc malo admittunt; *scrofulas* ex minoribus & pluribus glandulis conglomeratis salivalibus, *Strumas* ex carnosioribus majoribus & paucioribus, *Bronchocele verè* ex illis asperæ arteriæ glandulis sub mento sitis, conflatas esse volunt.

Lympha verò coagulata, *in materiam Steatomaticam* vertitur propria, ut dictum, tunicâ inclusam; & hoc quidem ex diuturniore lymphæ, sensim sensim accidente coagulo & stagnatione, unde durities sensim incrementum sumit,

Bronchocele tamen plerumque *in tantam excrescit magnitudinem*, ut totum collum occupet, & instar sacculi inflati de collo pendeat, unde respirationi aliquando tantum impendet nocumentum, ut suffocari velle videantur; vel deglutire libere haud queant, hoc malo affecti.

IV. In genere verò malum hoc admodum curatu existit difficile, *nisi statim ab initio aggrediatur*, & adhuc mobilis existat tumor. Quo magis etiam interiores colli glandulas occupat malum hoc, eo pejus; ob suffocationis metum, quoniam sensim auctæ, laryngem comprimunt.

Et quoniam *neque facile suppurantur, nec discutiuntur* ob lymphæ nimium coagulum, & indurationem, hinc & medentes & ægros admodum fatigant, præcipuè si in scirrhum exquisitum, & duritiem gypseam transeunt. Vel & exulcerantur, & in ulcera fistulosa cacoethica, cancrosa, &c. degenerant.

Et si in puellis mensibus advenientibus, non evanescunt, raro curari solent.

Aliquando Pulmonum glandulæ talismodi coagulo obsidentur, unde tussis sicca, purulenta sanguinolenta & tandem Phthisis exoritur.

V. In Curatione infinita ferè sunt, quæ commendari solent, ex quibus tamen sequentia aliis palmam dubiam reddunt, *Decoctum nimirum Sarsaparillæ cum ☿io dulci. Sal ♂. aperitivum, Tinct. ♃ii optima.* Necnon *pulveres ex spongia marina* pro specificis hic habiti; in specie *lapis spongiæ calcinatus*, specificum ad acidum, glandulis hisce infestum, absorbendum, &c. Vel

℞. *Lapidis spongiæ cum spongia combusta & calcinata.* ℥j.
Spin. viperar. pl.
Off. sæpiæ.
Arcani duplic. aa. ʒij.
Nuc. moschatæ.
Piperis long.
Zingib. aa. ʒj.
Sachari aa. ℥iß. M. fiat pulvis, cujus *decrescente Luna* singulis diebus detur ʒj. Vel

℞. Diebus aliquot ante plenilunium, *Caput lucii piscis* aliquot libras ponderantis, *cum spongia magna tophacea;* his ollæ novæ immissis, affunde tribus insequentibus mane, *urinam ægrotantis propriam*, tum ollâ bene clausâ, igni moderato appone, ut urina sensim evaporet, quo observato augeatur ignis ad calcinationem usque.

Tunc verò exime materiam calcinatam, & ei in vase idoneo *affunde vini optimi circiter mensuras duas.* Et de hoc vino tunc singulo mane bibantur ℥vj. cum pulvere; incipiendo statim post plenilunium & continuando ad novilunium usque.

VI. *Inter Externa* conducunt ea quæ optimè resolvunt, absque tamen singulari agitatione, qualem olea calidiora efficiunt; ne in cancrum, vel scirrhum indisso-

indiſſolubilem abeant tumores hi. Propterea in diſcutiendis his validum ſe exhibet *Empl. de ranis Vigonis cum* ☿io, ut & *Empl. de Sperm. ceti.* Vel

℞. *Empl. ſplenet. Auguſt.*
Galbani aceto ſoluti aa. ℥ij.
Sperm. ceti ℥j.
Ariſtol. rot. pl.
Sem. Sinapi.
urticæ aa. pl. ℥ß.
Scyllæ ppt. ʒij.
cinerum fagi ℥j.
Magnetis arſenicalis ℥ß.
Ceræ & thereb. aa. q. ſ. ut fiat Empl.

Sunt qui *Cochleas* in vineis reperibiles, *contuſas, & cum petroſelino* in formam cataplaſmatis redactas, in reſolvendis ſtrumis admodum commendant.

Sed ſi ad ſuppurationem ſtrumæ inclinant, non citò nimis ſunt aperiendæ, ſed cataplaſmata emollientia, & ſuppurantia, tam diu ſunt applicanda, donec lympha viſcida & indurata colliquata ſatis, & emollita extat. Et ſi ob ſingularem duritiem ad ſuppurationem nimis lentè obſervatur perduci, tum *imponatur aliquod corroſivum*; ulceri verò tunc *applicetur turunda, unguento baſiliconis & thereb. commun. illita*, & ad foramen eo melius apertum ſervandum, momento *croci metallorum*, aſperſa.

Ulcus verò ſemper probè mundificetur, *Balſamo* 🜍. *therebinth.* & tandem conſolidetur.

Si vero Cyſtidi propriæ incluſæ ſunt ſcrofulæ, manu chirurgi ſunt exſcindendæ, prout de atheromate vel ſteatomate doctum eſt.

Bronchocele etiam felicius & tutius manu chirurgi,

rurgi, incisione videl. curatur, quam aliâ ratione, *fit verò apertura in parte molli & declivi*, & quidem satis profundè instituta, cui tunc *spongia præparata* immittitur, desuper applicato *Empl. Diapalm.* Antequam verò talis instituitur apertura, prius per tempus applicentur discutientia & emollientia, v. g.

℞. *Cæpar. alb.*
Rad. lilior. alb.
altheæ aa. q. s.

Cum *oleo chamomillæ & sapone nigro*, redigantur in cataplasma per 12. dies calidè applicandum.

Serpi-

Serpigo.

Vide Herpes.

Sphacelus.

Vide Gangræna.

Spina Ventosa, Pædarthrocace, Wind-Dorn; Beinfresser.

I.

EST abſceſſus corruptorius, aut *ſphaceliſmus oſſium, præcipuè circa articulos exortus, eorundem ſubſtantiam prius, quam perioſtium affligens*, pueris potius quam adultis familiaris, & ab inflammatione initium habens, nonnunquam cum dolore inſigni, aliquando cum dolore obtuſo, colore oſſis mutato, nunc cum duritie, nunc cum mollitie oſſium, ſemper verò cum ſanie tenuiore, apparens.

Malum ergò hoc potius in oſſis corruptione, quam in carnis exulceratione conſiſtit, & antequam cognoſcitur, tota capitum cartilago; quâ membrum vertitur, imò os durum perforatum & corruptum exiſtit, quoniam *corruptio ab interiore oſſis parte initium ſumit*, & verſus exteriora progreditur, ac tandem etiam partes circumjacentes muſculoſas exulcerat & perforat.

II. *In principio ergò difficulter cognoſcitur*, ejuſque ſigna ita ſunt intricata ut peritiſſimum eludant; cum *ſymptomata ſe non manifeſtant prius, niſi quando*

os nunc

os nunc perforatum est, & perioſtium, ac partes exteriores os cingentes, nunc exulcerari incipiunt, & æger de pungente dolore nunc conqueritur.

Tunc verò partes exteriores ſimul intumeſcere incipiunt, & motu membri dolor non parum augetur; & febris ſe jungit nunc intenſior, nunc remiſſior.

Tandemq; malo ulterius radices figente & progrediente, muſculi ligamenta, membranæ & aliæ partes os cingentes corroduntur, & ſenſim in fiſtulas abeunt, ex quibus tenue & acre pus effluit.

Licet verò malum omnibus oſſibus circa articulos ſit commune, *præcipuè tamen oſſibus tarſi & carpi familiare eſt.*

III. Cauſa principalis hujus mali conſiſtit *in ipſa ſucci oſſium nutritii corruptela, acrimoniâ corroſivâ conſpicuâ*, oſſa corrumpente & corrodente, Remotiores plures ex rebus nonnaturalibus huic ancillantur, præcipue aer frigidus & pravus victus, unde ſanguis inquinatur & viſcera hujus depurationi dicata læduntur, ut particularum hæterogenearum laudabilis ſequeſtratio, & excluſio, haud fiat, nec conveniens in colatoriis organis ſeparatio contingat, unde ſanguis ſenſim ſenſim heterogeneis partibus ſivè ruditatibus cumulatur, *quæ ſucceſſu temporis acrimoniam corrodentem acquirunt*, tunc verò partes molliores carneas abſque læſione tranſeundo, in durioribus oſſium tubulis vim exſerunt, & ſtagnando inflammationem & exulcerationem ſive corruptionem inducunt.

Quemadmodum enim poſt inſignes inflammationes in partibus mollioribus producitur Gangræna, ita in durioribus, oſſibus ſcil. ab eadem inflammatione producitur Spina Ventoſa.

IV. Dif-

IV. Differt verò ſpina ventoſa non tam ratione diverſitatis cauſarum, quam ratione oſſis, in hâc vel illa corporis parte affecti, vel & in totum, aut pro parte ſaltem corrupti, & vel dolentis, vel indolentis, aut cum vel abſque ſanie fœtente:

Sic & Spina ventoſa differt ab oſſis carie in eo, quod, ut ante dictum, *ſpina ventoſa ab interiore oſſis ad exteriora verſus;* caries verò oſſis, *ab exulcerationibus externarum partium, verſus interiora progrediatur,* niſi & interiorem & exteriorem oſſis cariem ſtatuere quis velit, ubi *interior oſſis caries, cum ſpina ventoſa idem erit.*

V. Etſi verò *omnis ſpinæ ventoſitas* ſit *periculoſa & curatu difficilis*, tamen aliam aliâ magis minuſq; eſſe periculoſam & curatu difficiliorem experientia docet. Sic recentem & benignam minus eſſe periculoſam & curatu faciliorem, inveteratâ vel malignâ rationi conſentaneum eſt, &c.

Sanies etiam paucior, & tolerabilis ejus fœtor, minorem oſſis, & circumjacentium partium indicat corruptionem.

Sic & illa ſpinæ ventoſitas, in qua corroſa oſſa à ſuperjacente carne tam facile eximi non poſſunt, vel juxta quæ plures nervoſæ partes, nervi, tendines, magnæ arteriæ, &c. ſitæ ſunt; *curatu præ alia difficilis ſanè eſt;* id quod patet in pedum & manuum juncturis, & majorum oſſium capitibus, ſpina ventoſa afflictis.

Sic item ex majore oſſis corruptione late ſe diffundente, majus periculum ominatur. Quo dolor etiam vehementior exiſtit, eo humores exſudantes magis eſſe acres & mordaces, ac curam difficiliorem, certum eſt.

Et

Et si articuli spina ventositate afficiuntur, earum verò exemtio haud admittitur, nec admitti potest, malum omninò fit incurabile; quod aliàs forte curabile extitisset, si os corruptum fuisset exemtum.

Denique omnibus viribus irritò adhibitis ægri emaciantur vel ex cacochymia cachexiam incurrunt, & intereunt.

Ut breviter hujus mali historia paulo dilucidior extet; notandum est, *quod etsi omnis ætas & sexus, subjectum mali existat*, & quidem *Scorbutici, Melancholici atque Rachitici*, utpotè quorum humores effœti & acres, atque eorum partes solidæ, per quas transcolantur, *eam dispositionem nactæ sunt, ut labem hanc facilè concipiant* & alant; *magis tamen infantes vel pueri, parentibus mollibus, venere exhaustis, vel lue venerea, aut scorbuto vel rachitide affectis nati*, quam senes, hoc malo corripi soleant.

Et dum sui præsentiam manifestat malum hoc, *pars ossis affecta sensim incipit tumefieri*, & in altum elevari, absque singulari dolore; Dehinc attollitur pedetentim tumor, quasi vento sufflato, & *una squammula super aliam, in molem os extendit*, undè magis fungosum & asperum redditur, ac non raro de osse, in os multiplicatur.

Tunc verò vicina periostia, vasa ac caro musculosa, & quidem absque singulari dolore & inflammatione, intumescere incipiunt.

Tandemque aperiuntur, & ichorem mucosum acremque fundunt, sensimque pertinax fit fistula, quæ totam osseam substantiam eique partes vicinas, tardè licet consumit.

Causa verò hujus mali, vel soli, loco affecto inhæret, massa circulantium humorum nullâ labe contaminata,

vel

vel in humoribus delitescens, & in toto corporis ambitu dispersa, & singulari loco applicata se manifestat.

Prior, sola manu solerti, medicamentisque externis prudenter adhibitis, curatur; Posterior autem non nisi internis tollitur. Illa verò facilior, hæc autem curatu difficilior existit, licet utraque difficultatem maximam involvant.

Ossea interim compages destructa, *lamellæque exesæ & consumtæ, nunquam in integrum restituuntur.*

Et si minimum hinc inde relinquitur mali, in interioribus ossis recessibus. Vel & mollitie ægri, *aut incuria Medici ac chirurgi, humorum depuratio, negligitur*, tum resurgit & recrudescit malum vel incurabile omninò evadit. *Relictâ namque parvâ morbi scintillâ*, perniciosâ suâ vi, *ex cineribus quasi se extricat*, viresque reassumit, & fomitis instar tam sanas, quam alias partes incendit, & ulterius semper semperque eundo, totum tandem corrumpit os. Cujus detersio, vel & ipsa partium corruptarum à sanis separatio, & ossis curatio, multum difficultatis habet.

Et quo interior ac profundior est ossis abscessus, eò difficilior est ejus depuratio, quoniam malum in intimis abditisque ossium recessibus ac cellulis latet, quæ singulæ parietibus distinctæ difficilem præbent accessum.

Et si in intimis residet medullis corruptio, vix speranda, vel obtinenda erit curatio, nisi fortè *perforatione ossis ad cavum usque*, & ipsius medullæ corruptæ exscissione, ossis detersio, ejusque consolidatio fortassis expectanda foret, cujus periculum tamen vix cordatiores suscipiunt.

[Cc] VI. Quam-

VI. Quamprimum verò constat, malum hoc sedem sibi fixam firmasse, *statim sine ulla mora os detergendum est.* Et ut hoc ritè instituatur, nisi suâ sponte materia sibi ad exteriora viam fecerit, per partes molles, *ad superficiem usque, instituenda erit apertura vel incisio.*

Hæc verò pro varia ossis indole, planitie, scil. convexitate, rotunditate, diversimodè instituatur, vicinorumque tendinum, ligamentorum, nervorum, venarum arteriarumque magnarum habeatur respectus. Incisio tamen pro majori minorique magnitudine loci affecti ita fiat, ut commodè inspici queat.

Si verò nunc cum judicio instituta & facta est incisio, vulnus repleatur *carpia vel spongia sicca, in diem sequentem,* ut interim discissorum canalium hæmorrhagia sistatur, & inspectio ac exploratio eo certius & clarius fieri queat.

Tunc verò os probè examinandum est stylo, & inquirendum, *an durum, inæquale, spongiosum, spongiositas etiam profunda, lata & ampla existat.*

Ex quibus observatis tum facile judicandum, num malum curatu facile vel difficile extet.

Interim si incisio facta est, & os in conspectum venit, cariosum, corruptumvè, tum applicentur talia, quæ attenuant, & abradunt, quæque ulceribus luxuriantibus & pertinacibus erodendis conducunt, & sunt *Rad. Aristol. rot. Angelicæ, Gentianæ, Euphorbium, myrrha, thus, succinum, pumex ustus,* &c. utpote quæ exfoliationem, sive lamellarum, foliorum instar sibi appositarum, abrasionem præstant, & os sanum & vivum reddunt:

Si vero horum applicatio irrita deprehenditur, *tum*

tum locus affectus ferro apto scalpendus & radendus, vel & terebra exfoliatoria terebrandus est, donec color ossis, ex cœruleo albus apparet, sanguinisque effluxus os vivum manifestat.

Vel candente ferro inurendum est os tam profundè, ut ossis corrupti color immutatus esse deprehendatur.

Depurato verò & deterso ossi, applicentur hujus *restitutioni inservientia* sive catagmatica *Thus, myrrha, succinum, Benzoi*, &c. ut his nonsolum os defendatur contra aërem, qui frigore suo constringente os sanum in cariosum vertit; quâ de causa etiam *non nisi in loco calido, aut carbonibus ardentibus proxime appositis deligatio peragenda est.* Sed &, ne Unguenta & Emplastra unctuosa ulteriorem corrosionem adjuvent: Neque pus & sanies osseam substantiam depuratam, rursus exedant, & profundiore carie inficere pergant.

VII. *Si verò malum depravatam sequitur corporis temperiem, tum difficilius tollitur*, quoniam specifica quæ eam malorum causam vi propria ac singulari, corrigere possent, hactenus ignorantur.

Curatio tamen tentetur Mercurialibus, ita verò *ut non salivationem*, neque alvi laxitatem, *sed sudorem* & liquidi à liquido separationem *excitent*.

Hunc in finem

℞, ☿. *dulcis* gr. xij.
Theriacæ Andron. ℈iiß. M.

Tunc verò superbibendum est *Decoctum sudoriferum, calidè*, quale est illud *ex Sarsaparilla*, &c.

Hâc verò curationis methodo nil proficiente sequatur cura magis valida, *Salivatio* nimirum ipsa ope mercurii prudenter excitata. *Antequam verò*

propinatur mercurius, vasa diebus aliquot ante, *implenda sunt ptisanâ, dehinc quolibet bihorio, exhibeatur apta dosis mercurii dulcis*; & si exinde halitus fœtere, gingivæ dolere, dentesque vacillare incipiunt, desistendum ab ulteriore Mercurii exhibitione.

Et si hinc quolibet nycthemeri spatio, materia exspuitur ad ℔. iij. vel iv. satis est.

Si verò fluxus talis languet, eodem stimulo excitandus est. *Sed si major & validior existit*, quam vires ferre posse videntur, sistatur clystere, vel purgante, aut sudorifero.

Si verò vis mercurii ad alvum ruit, exhibeatur moderatâ dosi opium.

Et si os, gingivæ ad fauces tument & nimis dolent, applicetur blandum gargarisma.

Salivatio interim tam diu foveatur, donec omnia symptomata evanuerunt, id quod vulgò intra triginta sex dies fieri solet. Tunc verò subinde per alios triginta sex dies, propinetur mercurii dosis, ut salivationis saltem aliquale vestigium remaneat.

Quibus verò hæc curandi methodus nimis severa esse videtur, *Curam sudoriferam eligant*, specificis institutam, & in Laconico, *per accensum spir. vini* excitatam, &c. hâc tamen cum cautelâ, *ut ptisanâ copiose datâ*, liquida discussa, & in auras abeuntia restituantur, simulque acrimonia diluatur, & obstructiones solvantur, &c.

Stea-

Steatoma.

Vide Atheroma.

Strabismus.

Videatur de Infantum Morbis.

Strumæ.

Vide Scrofulæ.

Suffusio, der Stahr.

I.

HYpochyma, *Cataracta*, iidem sunt affectus, *Suffusio tamen & hypochyma, sunt incipiens cataracta*, & inter se saltem ut magis & minus differunt, & tempore & maturitate distinguuntur, *quod enim in suffusione adhuc molle est, illud in cataracta instar membranæ durum existit.* Differt etiam cataracta pro humorum ocularium colore, unde vel *alba, cinerea, vitrea aut flava magis apparet*, &c.

II. Locus ejus intra pupillam est, & tunicam corneam; Aliquando verò pupilla vel planè obvelatur, vel pro parte; & magis ad hunc, vel illum locum inclinat.

III. Causam hujus mali quod concernit, etsi plures numerari soleant; frequentes tamen sunt, *verbera, contusio, casus. Ictus, calor nimius ante focum*, nec non *lachrymæ frequentes*, &c.

Dum enim quis lachrymas effundit, oculi sæpè fricantur, quâ fricatione infantes non raro oculorum tunicas lædunt, unde humores confunduntur, & huic malo occasionem addunt.

Non rarò etiam post Febres ardentes hoc malum enascitur, ex humorum singulari crassitie, & subtilissimorum tubulorum, membranarum oculi, obstructione.

IV. Si verò oculus suffusione corripi incipit, tum visus fit obscurus, & sæpè ante oculos muscæ, culices, pili, reticula, &c. volare videntur: Incrementum vero sumente malo, & in cataractam abeunte, visus sensim sensimq; obscuratur, & confirmatâ cataractâ plane aboletur. *Tum si oculus fricatur & pupilla immobilis perstat, de cataractæ maturitate non est dubitandum:* Secus si oculo fricato pupilla adhuc aperitur, & in conspectum venit, quod signum est cataractæ nondum confirmatæ.

Ad maturitatem verò cataracta devenit, diverso tempore, sunt enim cataractæ, quæ sex menses, aliæ minus, aliæ plus temporis pro maturitate & perfectione requirunt.

V. Ad curam spei aliquid superest, si æger nondum omnino cæcus, & oculus ægrotans, cum pupilla adhuc sana, dilatari & constringi potest, & partes oculi adhuc mobiles existunt, *si scilicet malũ adhuc in statu suffusionis est, incipiens nimirum*, tum medicamentis internis aliquando fugatur.

Sed si cataracta nunc confirmata est, non curatur, nisi acu & manu chirurgi.

Quo proximior verò cataracta membranæ humoris crystallini adjacet, eo pejus est, quia difficulter deponi potest, absque ejus tunicæ læsione.

Sic

Sic & *cataracta nimis duræ, virides, nigricantes, flavæ*, plerumque sunt incurabiles.

Hæmorrhagia ab acu effluens, periculosa non est, quoniam per se rursus sistitur.

Curatio Duplex est, *Interna & Externa*, & quidem cataractâ vel incipiente, vel facta instituenda.

Interna, ab initio mali auspicanda est, mediantibus *attenuantibus*, *absorbentibus* & similibus, humorum crassitiem tollentibus, quibus & *Purgantia* adnumerantur ex *M. Pil. de succino. Diagridio, troch. alhand.* &c.

Non negligendum quoque est *Decoctum ex Ligno Guajaco, sassafras, sarsaparilla, euphrasia, fœniculo*, &c. ut eis sanguis fluidior reddatur, &c.

Si tamen hæc irrita esse videntur, *omnibus aliis palmam præripiet lenis salivatio.*

Inter Externa præferuntur collyria per crocum metallorum acuata, v. g.

℞. *Aquæ chelidon. maj.* ℥vj.
Croci Metallorum ʒj. Fiat infusio diebus aliquot. Vel

℞. *Aquæ chelidon. maj.* ℥ij.
Spir. ✱ci gtt. x.
Vitri ♁ii gr. iiij.
Camphoræ gr. vj. M. fiat collyrium.

De quibus interdum guttulæ nonnullæ oculo instillentur. Vel

℞. *Herb. chelidon. maj.*
verbenæ
fœniculi
Flor. chamomill.
meliloti

Flor. lavendulæ
thymi
anthos aa. pro l.

Decoquantur *in vino*, & vapor ferventis decocti oculo excipiatur. Postea verò pro fotu applicetur remanentia.

In usum etiam ducantur *vesicatoria, fonticuli, vel setacea.*

VI. Omnibus verò his & similibus, in vanum adhibitis, *expectetur cataractæ confirmatio, & perfectio*, ut illa tunc matura, acu, & chirurgi manu removeri aptè queat.

Id quod *tempore veris*, *vel circa autumnum* commodè fieri potest; ubi *tempus matutinum, & cœlum serenum* requiruntur.

Dum verò operatio nunc instituitur, *oculus sanus obtegatur, vel deligatur*, ne inter operandum se moveat, ac ægri caput ab adstantibus immobile teneatur.

Æger verò *oculum cœcum versus nasi angulum vertat:* & tunc operator, prompta agilitate acum per tunicam albugineam, in angulo oculi externo, *dimidium ferè straminis distantia à pupilla, ad medium cataractæ usque adigat*, & cataractam à superiori parte versus inferiorē sensim ac sensim deprimat, donec non amplius renititur, tunc verò acus sensim vertendo prudenter extrahatur; & oculus deligetur mixtura *ex ovi albumine, aqua rosacea & camphora* constante, ad symptomata inflammatoria avertenda, &c.

Notetur verò, ne operatione peractâ *acus* subitò, sed *aliqualiter saltem, neque totaliter extrahatur*, ut, si

ut, ſi cataracta fortè reſilire inciperet, hæc acu, intra oculum relictâ, deprimi rurſus queat.

Patiens porrò collocetur in lectum, capite nonnihil elevato, & quo quietius ſe gerit, eo melius. *Ambo etiam oculi ſint deligati & clauſi*, ac tertio quoque die reiteretur deligatio; patiens interea neque loquatur, neque cibos duriores manducet. Et licet inde oculus ſit reſtitutus, tamen oculus aliquot ſeptimanis maneat clauſus, & tunc ſenſim ſenſimque luci aſueſcat, vitando radios ſolares.

Tumores in Genere.

I.

SUnt affectus, in quibus partes corporis humani, *insolito majorem magnitudinem*, ac à natura ordinariè concessum est, elevantur, *vel Symptomaticè*, *vel Criticè*. Qui Critico motu enascuntur, vel Benigni vel Maligni sunt.

II. Causa in genere dependet *ab humorum circulantium crassitie*, & motu progressivo impedito, retardato; vel humoribus critico motu separatis, & hinc inde stagnantibus & obstruentibus.

Pro diversitate vero humorum peccantium, non solum, sed & *loci*, *imò partis*, *temporisque ratione*, &c. diversa enascuntur tumorum genera, & nomina.

In genere *duplicis generis tumores* dantur in corpore nostro, *vel partium mollium*, scil. *aut partium* magis duriorum vel *solidarum*.

III. Causæ, aliæ remotiores tumorum variæ esse solent, & vim exerunt vel in humoribus vel partibus solidis; & in genere dependent *ab humoribus variis à suo libero motu deturbatis:* Et hoc vel ab eorundem depravata dispositione, *visciditate, acrimonia*; vel & partibus solidis *Ictu*, *casu*, *contusione*, *ambustione*, *frigore*, &c. *indispositis redditis*, ut humores etiam laudabiliter constituti, extravasari, obstruere, & vario modo tumoribus occasionem addere necessitentur.

Prout juxta alphabeti seriem jam recensuimus varios inde enatos affectus, tumore conspicuos, v. g. *Abscessus*, *Apostemata*, *Atheromata*, *Cancrum*, *Erysipelas*, *Ganglia*, *Inflammationes*, & varias alias Extube-

tuberantias & excrefcentias, &c. *ex ſanguine lympha, ſero, chylo, lympha nervea*, &c. pro varia horum differentia, *incraſſatione, viſciditate, obſtructione, acrimonia*, &c. enatas.

IV. *In cura*, ſtagnanti humori reſtituatur motus naturalis, vel materiam obſtruentem reſolvendo, vel impedimenta externa removendo.

Et ſi hâc methodo tumor inſenſibiliter haud diſcutitur nec attenuatur, tum ad ſuppurationem à natura deducitur, & ſi tunc abſceſſus inde factus per ſe haud aperitur, *vel mediante ferro, aut cauterio, apertura maturatur*.

Quâ methodo verò ſuppuratio promoveatur, videatur de Abſceſſu.

Reſolventia interim *quæ viſciditatem attenuant & coagulum ſolvunt, vel emolliunt*, & poros partium penetrant, aut vi ſua acidum temperant, varia ſunt & diverſa, triplici modo diſtincta.

Prima namque ſunt Lenia, utpotè *malva, althea, parietaria, mercurialis, branca urſina, violaria, Flor. Lilior. alb. Semen fœnugræci, Lupinorum, malvæ*, & ex his paratæ *mucilagines*, item *axungiæ, pinguedines, Oo. amygd. d. Lilior. alb. Ung. de althea, reſumtivum*, &c.

Secundam claſſem conſtituunt mediocria, qualia ſunt *cepæ coctæ, cherefolium, verbaſcum fl. Sambuci, chamomilla, melilotus, apium, helenium: Adeps vulpis, urſi, ſevum cervinum, hircinum, Gummi tacamahaca, Elemi, therebintina, ſperma ceti, Oleum chamomillæ, Hyperici, anethi, Lauri, nicotianæ, Empl. de cicuta, de betonica, Diachyl. ſimpl. de Meliloto*, &c.

Ex tertia, ſe ſiſtunt magis Fortiora, qualia ſunt *cœpæ crudæ, bryonia, cyclamen, Herb. abſinth. nicoti-*

anæ,

ana, savinæ; *Semen lini, erucæ, cumini,* cum aceto trita; *Gummi galban. ammoniacum, bdellium, sagapenum, opoponax, resina pini, nidi hirundinum, stercora animalium, Spir. salis armon. urinæ, spir. vini camph. crocat. vapor aceti acerrimi: Oleum lateritium, lumbricorum, Petroleum, nicotianæ, therebintinæ, cera, Bals. sulfuris, Ung. martiatum; Empl. Diachylon. comp. Vigonis cum* ☿*io, Oxycroceum, Mercurius laminæ* ♄*ni illitus*, &c.

Vari,

Vari, Finnen; *Venus*-Blumen.

SUnt Tubercula dura & alba, materiâ caseosâ vel purulentâ repleta crassitie, *in glandulis cutaneis faciei stagnante exorta*, undè fibris cutaneis extensis calorem cum rubore circa tubercula sæpe producunt, & sensim in guttam rosaceam degenerant.

Cura videatur de Gutta rosacea.

Varices.

S*Unt dilatationes venarum extraordinariæ*, frequentius in cruribus quam aliis partibus à causa violenta tam interna qnam externa exortæ, & cognoscuntur ex tumore molli & livore, &c.

In gravidis potissimum notantur, *circa crura*, ex mole fœtus, venas iliacas pondere suo comprimente, ut sanguis in circulo suo, vel progressivo motu, tardius procedat: & nonnunquam venas, sive suos canaliculos circa valvulas ita extendat, ut sponrè rumpantur.

Cura eadem est ac Aneurismatis; nonnunquam Fasciis, palliativè diutius, sæpè supprimuntur.

Confer huc ea, quæ de tumoribus varicosis, inter Symptomata prægnantibus ultimis mensibus sæpè consueta, tradita sunt.

Verru-

Verrucæ; Wartzen.

I.

SUnt excreſcentiæ aliis carnoſæ, aliis potius nervoſæ, utpotè à cutis fibris nerveis productæ. *Pro varia & diverſa forma & figura, diverſis nominibus inſignita.*

Quæ cuti radicibus latis adhærent *Myrmecia* dicuntur; ad differentiam penſilium, quæ collo prædıtæ mobiles exiſtunt, & *Acrochordones* audiunt, quaſi per chordam vel filum cuti adhærentes, &c.

II. Cauſam magis proximam conſtituunt, fibrarum cutanearum nervoſarum læſiones quoquo modo inſtitutæ.

Proximiorem fovent ſuccus, ſive lympha nervea fibras dictas extendens, & excreſcentiam talem inducens, *non aliter ac in arboribus à ſucco ſuperfluo, fibras ſuas elongante, & extendente, nodos vel fungos excreſcere cernimus.*

Sic notamus pueros ſuperfluo ſucco nervorum nutritio, magis verrucis incommodari, quam ſenes.

III. Et licet ſanitati haud contrarientur, tamen cum cutem defœdent, earum cura, potius tamen à ſequiori ſexu, ſolicitè aliquando requiritur.

Non rarò tamen ex improviſo protuberant, ſed inadvertenter etiam evaneſcunt rurſus.

Si verò tendinoſis ſuis fibrillis, cuti profundius inhærent, prout Myrmeciæ vulgò ſolent, tum eorum tendinibus læſis facile inflammantur, vel in Gangrænam degenerant, unde cautè tractentur.

Quæ verò Lue Venerea affectis hinc indè accidunt, difficilioris ſunt curationis.

IV. Cu-

IV. Cura tamen Externis potiſſimum peragi ſolet, quoniam levi hoc malo incommodati, & potiſſimum ſani, internorum medicamentorum moleſtiis, ſe aliàs illibenter ſubmittunt.

Cardo verò curationis in eo conſiſtit, *ut verrucæ, demtâ lymphâ eas nutriente exſiccentur, & extirpentur.*

Præſtant hoc *tam cauſtica alcalina, quam corroſiva acida,* mitiora tamen.

Propterea verrucæ ſæpius, diu & fortiter fricentur, mediante *Spir. *ci cum calce viva deſtillato.* Vel infricetur *Oleum* ♀i per *deliq.* Aut *Sal armoniacum in aqua pluviali ſolvatur:* atque mediantibus linteis duplicatis applicetur.

His nil efficientibus in uſum trahantur acida, ex quibus præ aliis conducit *Spir. Nitri,* ſi cuilibet verrucæ unica hujus ſpir. guttula inſtillatur; Hoc verò reiteretur, donec verrucæ cedunt.

Eundem effectum præſtat *Lapis Infernalis ex Luna,* ſi, mediante hoc, verruca ſæpe tangitur.

Cautè tamen hiſce incedendum eſt, nè ex corroſione dolor ac inflammatio, vel ipſa Gangræna accerſantur.

Quod ſimplices verrucas concernit, *non raròper magnetiſmum curari ſolent.* Helmont hunc in finem commendat *Pomum tranſciſſum, cujus pulpam internam verrucis affricare jubet, ut intepeſcat,* tum religatis per filum medietatibus pomum aſſervetur, donec putredine conſumitur, intra quod tempus & verrucæ diſparent.

Alii

Alii pro experimento commendant, *ut verrucæ, vel aliæ excrescentiæ, tangantur manu demortui phthisici*, & quidem tam diu, ut frigere sentiantur, sic certò disparere asserunt.

Quod Pensiles verrucas concernit, hæ levi opera aliquando auferuntur *mediante seta equina, aut filo serico* sensim sensimque constringendo, donec exarescunt, &c.

De Verrucis, quæ circa anum non rarò observantur, *vide Ani condylomata.*

Ulcus in Genere.

I.

EST solutio continui; in quibuscunque partibus mollioribus, *cum substantiæ imminutione contingens*, *ab acrimonia erodente*, fibras carneas, membranosas, tendinosas, aliarumq; partium discindente oborta: & ob causæ intensionem, & partis singularem indispositionem, *difficulter vel nunquam consolidationem admittens.*

II. Solutio verò continui, quæ hujus mali primariam constituit causam, non ut in vulnere est recens, & sanguinolenta, sed saniosa & purulenta, & semper fit cum substantiæ imminutione; cutis scil. vel carnis deperditione, *nisi vulnus sit cum contusione junctum*, ubi aliquando purulentus vel saniosus liquor effluit, *& vulnus Ulceris naturam induit.*

Et licet *mali hujus subjectum*, *sint tam Internæ quam Externæ partes*, prout *Pulmones ceu internum vulgò observamus subjectum in Phthisicis*, imò ipsa quandoque ossa, carie affecta, *magis tamen Externas partes Ulceribus affligi observamus, in specie in cruribus*, quæ verò cum difficilis vulgò sint curationis, utplurimum nomen *Ulcerum crurum Antiquorum* sibi vindicant.

III. Causam mali immediatam quod concernit, *consistit hæc in singulari acrimonia corrodente sive acida, sive alcalina caustica, vel ex his ambobus enixa*, unde fibræ partium discinduntur, canaliculi & tubuli disrumpuntur, & alimentum proprium, in pus vel saniem corrodentem transmutatur.

Ratione hujus causæ *dantur Ulcera, & Benigna & Ma-*

& Maligna, cancrosa videlicet, vel *phagedæna*, aut *depascentia, sordida*, &c.

Dantur etiam quandoque ulcera, quæ etsi sincerum fundant pus, & quidem in pauca quantitate, neque adeò apparent deteriora, interim sanari haud possunt, ob perversam labiorum ulceris dispositionem, &c.

Tantæ verò acrimoniæ causam continent humores circulantes, sanguis scil. lympha sive serum, succus nervos nutriens ac oblinens, &c.

Et ex his vario modo alteratis, & in acrem, corrosivam, depascentem indolem transmutatis, *dependet pus* modò salsum, modò acidum, tenue, crassum, flavum, album, viride, fœtidum, &c.

Atque inde judicatur, Ulcerum vel benignitas aut Malignitas. Sic ubi pus effluit album, non fœtens, tum hoc ex materia chylosa crassa, alba constans, pro benigno reputatur signo.

Sed si loco puris effluit sanies, sivè sanguis aquosus, aut pus sanguinolentum, quod aciditatem redolet, & sapore salso præditum extat, *tum magis malignum existit ulcus.*

Prout & hoc, in quo *humor tenuis*, & flavescens, *ichoris nomine insignitus*, effluit.

Nec melioris indolis illud est, *si pus sordidum* ex materia viscida & tenaci labiis ulceris inhæret, & cum albedine *lardi in modum parietes ulceris obducit*, ac ulcus sordidum constituit.

Et si humoris effluentis acrimonia eò invalescit, ut depascendo partes adjacentes corrumpat, & cutem corrodat, tum *Virulentum* audit *Ulcus.*

IV. *Inter causas magis remotas* porrò occurrit *dispositio hæreditaria*, propter quam, alius alio magis

aptus

aptus existit ad ulcera longo tempore alenda, *Sennerto* teste, qui familias se nosse scribit, in quibus omnes fœminæ, etiamsi bene se habere visæ, Ulcera diuturna in cruribus habuerint.

V. *De causis aliis, ex rebus non-naturalibus*, huc symbolum conferentibus, res per se patet, undè ex perverso harum tam usu, quam administratione illegitimâ humores circulantes cum spiritibus, variis alterationibus, immutationibus, coagulationibus, obnoxii redduntur, & centum ac plus aliis qualibus, acrimoniâ scil. alcalicâ; causticâ, vel corrosivâ acidâ, & horum innumeris mixturis imbuuntur, & ulceribus aptum præbent pabulum.

VI. *Quid Res præternaturales* Ulceribus generandis contribuere queant, patebit, *si Inflammationes, Erysipelata, contusiones, Fracturas, Illisiones, Lapsus, Morsus, combustiones, tumores*, &c. respicimus: Et qualia *scorbutus, Lues venerea, Cancer*, &c. post se trahere solent ulcera inveterata, Authorum observationes loquuntur.

VII. Non omninò quoque hic excluduntur *Ulcera, mediantibus incantationibus sagarum introducta*, ex quibus variæ res mirandæ, *chartæ scil. lusoriæ, arenæ, vitra, lacertæ, ranæ, muscæ, pilorum fasciculi, convolutæ lodiculæ*, &c. prodire solent. Et licet à succis naturalibus diversimodè inter se mixtis, hæc ulcerum contenta nonnulli provenire credant; tamen alii à Diabolo, omnis doli fabro, inter deligandum, nemine advertente, hæc substitui, aut alio, nobis abscondito modo, in corpus ægri transfundi posse, credunt.

IIX. Ab invicem verò *Ulcera distinguuntur* vario & diverso modo, utpotè Tempore, Forma, Figura loci ac symptomatum ratione, &c.

Tempus ea distinguit in recentia & antiqua: *Forma*, vel magnum, parvum, longum, breve, latum, angustum, superficiale, profundum, sinuosum, fistulosum, &c. denotat.

Figura autem Ulcus vel rectum, flexuosum, rotundum, inæquale, &c. demonstrat.

Subjectum vel locum suppeditant partes corporis humani tam Internæ quam Externæ, nobiles & ignobiles v. g. cutis, musculi, membranæ, tendines aut vasa alia, &c.

Symptomatum verò respectu aliud Ulcus vel est cum dolore, vel doloris expers, vel & inflammatione, callositate, sinuositate, siccitate, vel cum sanie, carie, Gangræna, vermibus, &c. se prodit.

Facile hinc ex modò prægressis patet, quò nomine Ulcera debeant insigniri, an scil. magnum, parvum, putridum, fœtidum, sordidum, saniosum, sinuosum, cavernosum, fistulosum, scorbuticum, venereum, cancrosum, benignum, malignum, cum ossis carie, vel ex incantatione contractum, dici debeat, &c.

IX. *Inde etiam judicamus, quid spei ad hoc vel illud Ulcus curandum supersit*; Num curatu sit difficile, vel planè incurabile. Alia verò aliis esse magis sanabilia, experientiâ constat.

Etenim *pus laudabile fundentia, in corpore juvenili, aliàs sano, labiis non duris, sed mollibus prædita*, longè faciliorem curam spondent, quam quæ loco puris laudabilis, *saniem tenuem, ichorem copiosum, flavum, fœtidum, vel sanguinem fundunt*, vel *sicca* omninò sunt; Atque *circa articulos, musculorum capita, vasa majora, aut circa ossa*, & quidem profunda, cacoethica, phagedænica, existunt, *præprimis*

mis in corpore senili, debili, cachectico, scorbutico, &c.

Omnium verò *curatu difficilima* sunt *Ulcera nervosarum partium*, ut & in partibus glandulosis suborta.

Curationis verò spe omnino excidunt *Ulcera*. *Antiqua interna viscera perforantia*, nec non illa *quæ cum ossium carie* juncta sunt, nisi hæc ritè extirpetur. Sic difficulter omninò curam admittunt Ulcera Gangrænosa, sphacelosa, callosa, varicosa, sinuosa & similia.

Ex his namque plura Clientes ad mortem usque comitari solent, dum doloribus, vigiliis, febre lentâ tabificâ, &c. conficiuntur: aut dum ipsis gangræna & sphacelus superveniens finem vitæ ponit.

X. *In Curatione Ulcerum*, antè omnia trutinetur prius: *An conveniens sit, ea curare.* Cum enim in senibus Ulcera Antiqua curare velle non tantum difficile, imò periculosum sæpe sit, & si etiam possent, curari tamen debeant, *dum Fonticulorum instar*, cum insigni valetudinis commodo, *humorum vitiosorum colluviem*, sive circulationis dominio ereptas partes nutritias, *è corpore proscribunt, & à multis aliis malis præservant*, utpotè à cephalalgia vertigine tussi, dispnœa, cæcitate, erysipelate, &c. *imo ipsâ peste immunes reddant ægrotos.* Hinc probè prius pensitandum,

An Ulceris, Antiqui præcipuè, consolidatio, absque detrimento & vitæ periculo, admitti debeat.

Et si hoc permissum haud esse videtur, *tamen prospiciendum, ne malum nimis serpat, vel dolor, aut erysipelas*, &c. si adveniant, *mitigentur & præcaveantur.*

antur. Hunc in finem optimè convenire vidi hoc, v. g.

℞. *Ceruſſæ* ℔j. *cum ſ.q. cremoris lactis* fiat linimentum, additis ſimul *Spir. vini opt.* cochlearibus tribus vel quatuor. Sic nec *Empl. Diapompholigos* hic inconveniens eſt.

Ubi vero malum, *medicamentis convenientibus Internis*, debellandum eſſe, circumſtantiæ ſupra indigitatæ, ſuadent, tum antè omnia, ad curandos humores circulantes, omnis dirigatur intentio; hunc in finem *pro circumſtantiarum ratione præmittantur purgantia convenientia*, humores & quali & quanto peccantes ſive cacochymicos educentia, hunc in finem.

℞. *Herb. agrimon. Fumariæ* aa. m. j. *Flor. cent. min.* p. iij. *ſem. fœniculi* ʒij. *Cortic. aurant. citri* aa. ʒj. *Rad. Ariſtol. utriuſque* ʒvj. *liquirit. raſ.* ℥ß. *Jalapp.* ℥ß. *Rhabarb. opt. Agarici mundati* aa. ʒiij. *Fol. ſenæ ſine ſtipit.* ℥iß. *Crem.* 🜿*i* ʒij. Θ*is* 🜿*i* ʒj. *Paſſul. min.* ℥iiij. Groſſo modo conciſa atque contuſa, infundantur *in vini* menſuris ij. in cineribus calidis, tunc verò hujus vini laxantis mane ſumantur ℥v. vel vj. &c. Vel

℞. *Raſur. Ligni Sancti* ℔ß,
Sarſaparillæ
Rad. chinæ aa. ℥iiij.
Rhabarb. opt. ℥ij.
Fol. ſenn. ſine ſtip. elect. ℥iiij.
Agarici recenter trochiſcati ℥j.
Epithymi ℥ß.

Omnia groſſo modo inciſa & contuſa ſacculoque incluſa, imponantur *vini menſuris* decem, &c. & ſingulis alternis diebus mane ſumatur vini hujus bonus hauſtus.

Vel

Vel *ex Mercurio dulci*, ritè parato, *cum resina Jalappæ, ac pulv. viperarum*, fiant Pilulæ. Vel

℞. *Mass. Pilularum, Polychrest.* ℈ij.
☿ii dulcis ritè parati ℈j.
Bals. Peruviani gtt. v.

Fiant Pilulæ pro tribus vel quatuor dosibus.

Aut *si vomitoria* è re esse videntur, ea propinentur, debitô suo tempore.

Dehinc ad humores circulantes corrigendos admodum conducunt *Decocta Lignorum*, in specie illud *de Sarsaparilla cum ☿io dulci* paratum, vel simile ad Luem veneream usitatum, utpotè quibus succi acres, viscidi atque stagnantes corriguntur, resolvuntur, & è corpore proscribuntur.

Omnibus verò, his nil proficientibus, lenis salivatio, omnem sæpe absolvet paginam, præcipuè si aliquid venerei subesse hariolatur.

Antequam verò hæc instituitur, *humorum acrimonia prius mitigetur*, & ichor acris corrigatur, ne mercurius pejora post se trahat mala.

Hoc verò in genere præstant *Vulneraria vulgò dicta*, ex quibus nonnulla exsiccant, quædam abstergunt, quædam consolidant, & quædam per has vel illas vias evacuant, *in genere verò humorum acrimoniam demulcent, obtundunt, absorbent*; tenacitatem & visciditatem dissolvunt, vel serum ichorescens corrigunt, &c.

Sunt verò *Lignum Guajacum, Sassafras, Juniperin. Radix Chinæ, Sarsaparillæ, Aristol. rot. Enulæ, caryophyllat. Liquirit. Herb. Saniculæ, veronicæ, pyrolæ, hederæ terr. agrimon. cum toto, Fumaria, Card. bened. centaur. min. marrub.* &c.

His non malè junguntur Balsamica, utpote *Balſ. ♃. therebintinatus*, aut compoſitus alius.

Angli ad ulcera maligna & phagedæna, ob vim diureticam & vulnerariam admodum laudant *Aſellos præp.* cujus exemplum *Riverius* habet & alii.

Sic Alii *Viperinis* huncin finem miram ineſſe efficaciam contendunt, poſſet verò fieri ſeq. pulvis:

℞. *Milleped.* ppt. ℥ß.
Pulv. viperin. ʒij.
Elæoſach. citri ʒiß.
M. dividatur in 12 p. æq. Detur ſæpius doſis.

XI. Internis verò his ſimul *Externa combinentur vel jungantur*, quibus ulceroſa diſpoſitio & acrimonia aboleri & eradicari, Ulcus verò cicatrice ſurſus obduci queat.

Sunt verò hæc *Suppurantia ſive Digeſtiva*, quæ efficiunt, ut pus melioris conſiſtentiæ ac coloris generetur. His ſuccedunt *Abſtergentia ſive Mundificantia*, quæ acrimoniam penitus enervant, & deſtruunt, ulcuſque nitidum, ac carnem labiorum ulceris, ſanam & rubram præſtant.

Finem verò ſive Colophonem imponunt dicta *Sarcotica, Epulotica ſive Glutinantia*, quæ Balſamicâ ſuâ natura conſervando & roborando ac parietes labiorum Emplaſtica ſua vi firmando, ac in generatione carnis, naturam agglutinando adjuvant, ſuaq; blanda vi adſtrictoria impediunt, ne caro ſuperflua luxuriet, ſed in pelliculam condenſetur, &c.

Suppurantia & Digeſtiva vide de abſceſſu.

Inter detergentia verò præ aliis eminent; *Mel Roſarum, chelidoniæ maj. Ung. Baſiliconis, de Apio, Empl. Diachyl. cum gummi, Gummi Elemi, Therebint. vitellum ovi, Pix, Ærugo, Præcipit. rubr. Spir. ⊖li*, &c.

Horum

Horum enim usu quicquid demortuum est, abraditur, dum uno aut altero horum calefacto turunda inungitur & ulceri calidè inseritur, superimposito *Empl. Diapalm.* cum debitâ deligatione. Alii absque turundis, ulceri immissis, minori cum dolore sanationem spondent.

Quo verò magis sordidum existit ulcus, eo magis acria sunt applicanda, v. g.

℞. *Ung. Basiliconis*
Apostolor. aa. ℥j.
Præcipitati rubri ʒj. Misce.

Vel ut chylus in ipsis Fibris corrosis coagulatus, *& lardi in formam induratus expeditius* abscedat, lavetur ulcus *Aquâ viridi Hartm.* Vel *Aquâ divinâ Fernel.* Postea applicetur *Digestivum cum præcipit. rubro acuatum*, ut labia scirrhosa quæ magis temperatis non obediunt, emolliantur & mundificentur. Vel:

℞. *Ung. Apostolor.* ℥j.
Fusci Fel. vv.
Ægyptiaci
Gummi Elemi
Myrrhæ
Therebinth.
Colophon. aa. ℥ß.
Spir. ♁*li* gtt. x. Misce.

Et si ulceris circumferentiam *inflammatio* ambit, inungatur *Ung. Alb. camph.* Vel

℞. *Spir. vini* ℥v.
Myrrhæ ʒij.
Aloes ʒj. M. & fiat fotus.

Ulcere his & similibus *mundificato* in usum cedant *Sarcotica dicta.* Ex *Radic. Aristol. rot. Gen-*

 tian.

tian. Angelica, Consolid. maj. Herb. chelidon. maj. alchimilla, Agrimon. Pyrola, Veronica, Plantag. trifol. odorato, scordio, ruta, savina, Flor. Hyperici, &c. Quibus adnumerantur Balsamica, qualia sunt *Balf. Peruvianus, Copaivæ, Balsamus sulfuris thereb.* &c. *Gummi Animæ, bdellium, mastix, styrax liquida, therebinth. Resina Pini. Ung. Basiliconis, Aureum, Empl. Diachyl. cum gummi; Oleum Trifol. odorati,* &c.

Quò verò *Ulceri* tandem carne repleto, *cicatrix* concilietur. Applicentur siccantia, v. g. *Lapis calamin. Tutia, Minium, Lithargyrium; Plumbum ustum, Pompholix, cerussa, Terra ♄-li dulcis;* Vel ex his composita, *Ung. Diapompholigos, Album camph. Empl. de Minio, Gryseum, Opodeldoch,* &c.

Ex simplicibus supra enumeratis *quædam ab Autoribus* tantopere commendantur, quibus solis sæpè gravia ulcera fuerunt sanata.

Sic *Forestus* admodum extollit *Agrimoniam cum toto*, utpote quâ solâ bis in die imposita ulcus quoddam malignum intra 9. dies sanatum esse memorat. Idem prædicat *Ettmüll. in Schrœd. de Nicotiana, cujus folia viridia paulisper contusa*, ac mane & vesperi illigata, ulceribus tibiarum curatu difficillimis, mederi asserit.

Alii hoc observarunt *de cineribus Nicotianæ*, ulceri inspersis.

Alii *savinam in vino Decoctam* & pro lotione adhibitam, ulcera antiqua disepulotica, vermes simul extrahendo, curare testantur. Sic refert *Hier. Velsch* quod *solâ Aquâ Fol. Quercus* ulcera deplorata curata fuerint, &c.

XII. *Si Caries Ossis Ulcus comitatur*, tum

effluit *materia oleaginosa cum insigni fœtore*, & turundæ, ac Emplastra ulceri imposita nigredine inficiuntur.

Dependet verò caries talis, vel ab acrimonia ulceris externè adveniente, vel ab ipso osse initium capit, *prout in spina ventosa.*

Os verò corrosum & carie infectum esse, si ocularis inspectio deficit, *mediante specillo detegitur*, & ex ossis inæqualitate tangendo cognoscitur, vel si livescunt, aut nigredine, fragilitate, spongiositate, &c. corrupta extant.

Periculosa verò est ossis caries, si circa tendines, nervos, vel vasa majora accidit. Unde curatio admodum tarde procedit, vel & eandem raro integram admittit. Et si os adhuc dum desquamatur, & de novo exfoliatur, ulcus de novo recrudescit.

Melius tamen in osse duro, quam in spongioso, aut ossium capitibus curatio procedit.

Sed *quò profundior caries existit, eò curatu est difficilior*, præcipuè in cacochymicis & scorbuticis, quam sanis.

Ubi tamen Ulcus non satis est profundum, ut os possit detegi, tum corrodentibus est excavandum, ut in conspectum veniat os, cavendo tamen ne nervi tendines, vel vasa alia majora lædantur.

Ad ossis verò cariem auferendam præ aliis commendatur *pulvis euphorbii inspersus*, quoniam absque rosione cariem absumit. Vel hunc in finem,

℞. *Rad. Aristol. rot.* pl.
Euphorbii aa. ℥ij.
L. Guajaci pl. ℥j. M. fiat pulvis inspergendus.

His nil proficientibus, os, si non adeò profundè situatum est, *scalpris* ad id accommodatis scalpendo *mundificandum est.*

Vel

Vel si magis profundè situatum est os cariosum; tum vel *terebra exfoliatoria* caries auferatur, vel *ferro candente inuratur reiteratis vicibus*, utpotè quo fermentum corrosivum in osse residuum, optimè destruitur & mortificatur. Et hoc consuetum est *chirurgis audacioribus*, qui circa labia ulcerum dura & callosa, plus momenti in igne & ferro, quàm in medicamentis ponunt. *Severinus* etiam multa Ulcera chironia, nullis planè remediis sanabilia, *per solam sectionem* se domuisse confirmat in sua *Med. Effic.* Sic Ulcus hoc modo quasi fit recens, ut deinde quovis Digestivo facile carnem induat.

Præter hæc, ad Ulcera insanabilia, ubique commendata, non raro *ad Thermas fit appellatio*, & quidem non absque effectu, modò non cacoethica sint ulcera, ne putridus Ichor, à thermarum calore, majorem calorem & acrimoniam concipiat.

XIII. Tandem *ad Ulcera per Fascinationem inducta*, varia laudantur specifica, v. g. ex *Foliis Quercus*, *Filicis*, *Adiantho*, *Abrotano*, *Hyperico*, ideo fuga Dæmonum dicto, nec non ☿ *vivo*, *Asa fœtida*, *stercore humano*, &c.

Carrichter & alii hunc in finem admodum laudant *Unguentum de visco Corylino*; & *Mynsichtus* suum extollit *Empl. fœtidum*, &c.

XIV. In fine quoque hic antè omnia observentur ea, *quæ circa Res Nonnaturales observari convenit:* Ante omnia verò *arceatur Aer frigidus*, *nocturnus*, *humidus*, *præprimis sub deligatione ulceris*, cum his frigus semper inimicissimum sit deprehensum. Unde etiam ulcus semel tantum, vel bis de die saltem deligandum est, & quidem, ut hoc cito fiat, omnia ad deligationem necessaria prius parata sint, antequam Ulcus detegitur.

Qui-

Quibus pro Potu ordinario displicet Vinum cum Aqua fontana potum, vel cerevisia tenuis & laudabilis deficit. *bibant Decoctum Hordei cum C. C. Passulis*, &c. Vel ex *Rad. chinæ, Ligno Sassafr. ac Rasur. CC. cum parum cort. citri* fiat Potus ordinarius.

Reliqua ad Res Non-Naturales pertinentia ita dirigantur & moderentur, ne humoribus & spiritibus turbas creent. Circa quietem verò notandum, hanc præ motu conducere, ita tamen, ne pedibus ulcerosis diu insistat, vel diu pendulos teneat æger.

Vulne-

Vulnera.

I.

IN genere sunt partium humani corporis, sive cutaneorum, carnosarum vel musculosarum, fibrosarum, nervearum, aut aliarum mollium, tam Externarum quam Internarum unitatis sive continui solutio. Proptereaque *quot partes corporis tam Externæ, quam Internæ læduntur*, tot vulnerum *differentiæ & nomina* inde emergunt.

II. Quæ externis infliguntur partibus, oculis patent, neque signis aliis indigent: *sed quæ interioribus partibus accidunt*, non nisi judicio Medici eruuntur, & per anatomiam, ac partium læsarum actiones perturbatas, innotescunt & distinguntur.

Sic, *si capite Vulnerato, Cerebrum & ejus membranæ læsæ existunt*, sanguis per nares vel aures effluit; sequitnr vomitus biliosus, sensus obtunduntur, & oculi quasi resolvuntur, ac tertio vel quinto die accedit delirium, vel adest dolor capitis gravis, &c. ac utplurimum subsequitur mors.

Cor si vulneratur, & sanguis cum impetu erumpit, subitò vires labascunt, sudores frigidi cum faciei colore pallido erumpunt, sensimque externa omnia frigent, & inevitabilis interitus subsequitur.

Hepate Vulnerato, sanguis copiosè profunditur, & præcordia ad spinam reducuntur, sequunturque dolores pungentes ad jugulum usque, æger pallet febricitat & tussit, nonnunquam etiam accedit vomitus biliosus, aut urina redditur cruenta, &c.

Ventriculus si vulneratur, sequuntur singultus & bilis vomitus, aut si quid cibi vel potus inest, rejicitur:

jicitur: Animus deficit, & extremæ partes frigent.

Et si thorace vulnerato, Pulmones magis minus læsi existunt, tum spirandi difficultas adest, sanguis cum tussi rejicitur, & ex plaga spiritus cum sono erumpit.

Vulnerato autem Septo transverso, præcordia sursum trahuntur, spina dolet, & respiratio fit cum gemitu & dolore, atque præcordiorum anxietates cum rejecto sanguine spumoso sæpè adsunt.

Si spinalis Medulla percussa est, nervi resolvuntur, aut distenduntur, sensus perit, & urina vel alia excrementa involuntariè excernuntur.

Intestina si vulnerantur superiora, duodenum scil. tum cibus & potus per vulnus exeunt; Præcordia intumescunt, & aliquando bilis vomitu rejicitur: Si Inferiora, tum stercus vel odor ejus, hoc produnt.

Vesica Vulnerata inguina dolent, & ex vulnere urina, vel hujus loco sanguis effluit; atque stomacho per consensum affecto accedit singultus, vel bilis vomitus, & tandem subsequente frigore, succedit mors.

Aspera Arteria si vulneratur, parum sanguinis quidem fundit, sed dolor versus dorsum gravis est, & fauces sanguine replentur, subsequitur vox rauca & linguæ ariditas.

Renibus vulneratis, urina difficulter redditur, atque cruenta mingitur, dolorque ad inguina & testiculos usque se extendit.

Liene Vulnerato, sanguis erumpit nigrescens & præcordia cum ventriculo versus sinistrum latus, indurescunt, dolor vero ad jugulum usque se extendit, & sitis urget.

Ex

Ex his ergò enumeratis ſymptomatibus & ſignis facile patet, quæ pars corporis interna, & in quantum fuerit vulnerata; Abſentibus verò taliſmodi ſignis, etiam affirmare haud poſſumus illas eſſe læſas.

III. *Cauſas Vulnerum quod concernit*, omnia ea inſtrumenta eſſe poſſunt, quæ vel ſcindendo, ſecando, aut pungendo continuum ſolvunt, vel contundendo dilacerant, aut ictu bombardæ perfodiunt, &c.

Ex his verò varia emergunt vulnera, ſaltem ratione inſtrumenri vulnerantis *diverſa*, & diſtingui poſſunt in *vulnera ſcindendo vel pungendo, aut ictu bombardæ introducta, aut contundendo facta, vel morſu inflicta.*

Inſtrumenta varia poſſunt eſſe, & vulgò quidem ſunt *Gladius, Haſta, culter, ſagitta, ſclopetorum globi, dentes animalium*, & alia innumera.

IV. *Prognoſin* vulnerum quod concernit, ſi in ullo corporis malo hæc requiritur, certè in vulneribus erit; *cum multum interſit ſcire*, etiam adhuc vivente vulnerato, *an Vulnus periculoſum*, vel lethale ſit; item *an ſimpliciter & ſemper, vel ex accidenti ſaltem lethale; vel & an ſanabile aut lethale exiſtat.*

Accidunt verò non raro vulnera, quæ etſi lethalia haud ſint, ſanari tamen haud poſſunt.

Diſtinguendum etiam eſt *inter lethalitatem, quæ accidit ratione partis vulneratæ, & eam quæ accidit ratione perſonæ.*

Non raro enim propter conſtitutionem vulnerati, antecedentem morboſam accidit, ut leviſſimum vulnus, in corpore ſano facile curandum, taliſmodi male conſtituto ex improviſo & ſubitò mor-

mortem inferat. *Sic aliquos ex colapho accepto, brevi post demortuos esse*, varii Authores consignarunt; Id quod potius *ex subitanea animi consternatione, spirituumque animalium suffocatione vel fixatione contigisse* certum est, cum nulla inde capitis contusio lethalis, nec vasorum ruptura, aut cerebri compressio lethalis introduci potuerit, licet ille, qui alapam accepit, in instanti mortuus fuerit.

Antequam ergò lethalitas certò statuatur, oportet, ut constituantur certi fontes, inter quos primo loco se sistit *pars læsa*, II. *Vulnus ipsum*, III *Ipsius vulneris instituta cura*, & IV. *Vulnerati constitutio.*

In Parte verò læsa præprimis trutinetur, quænam illa sit, *An nobilis*, ad vitam simpliciter necessaria, nec ne? *An majora vasa sint læsa*, Et An, vel An non læsa sint.

In vulnere ipso observetur, quo instrumento fuerit inflictum, An venenatum vel non? An cæsim, punctim vel quo modo inflictum; item an ratione profunditatis vel situs, graviora symptomata, & quidem inevitabiliter post se trahat; utpote *hæmorrhagiam nimiam, dolorem exquisitum, subitaneam inflammationem, Gangrænam*, &c.

Dehinc *Cura trutinetur*, An remediorum adsit applicandi possibilitas, nec ne, An chirurgus peritus in promtu adfuerit, ac ille cum Medico nil auxilii omiserit, aut inter operandum, aliquid erronei commiserint ambo.

Tandem *circa Vulnerati Personam observandum*, An antè vulnus acceptum sanæ fuerit constitutionis nec ne, An post acceptum Vulnus nullum in Diæta commiserit errorem, Et an ex præscripto Medici vixerit.

Ex his infallibiliter patescit, & secerni certò poterit, *An Vulnus per se, aut ex accidenti vel minus lethale existat;* Etenim si vulnus parti principaliori profundè inflictum existit, manus verò admotionem haud admittit, quis tale vulnus ex necessitate lethale esse negaverit? & contra.

Atque indè patet, *Hoc vulnus*, ex necessitate, vel simpliciter & *absolutè lethale existere, quod partem nobilem ita penetravit, ut nulla arte humana, nullisque remediis curari queat*, neque vita ullo artis consilio servari vel prolongari possit.

Illæ autem partes omninò, & ad vitam simpliciter necessariæ sunt, in quibus actiones nobiles fiunt, & sine quarum ope & officio, vita tueri nequit. Unde etiam statim patescit, *quare Cor* cum suis vasis, *cerebrum* cum spinalis medullæ trunco, *Pulmones* cum sua aspera arteria, *Diaphragma*, *ventriculus* cum Oesophago & intestinis, item *Mesenterium*, *Renes & Vesica*, *ad vitam simpliciter necessaria sint*; Et cur, si in horum uno aut altero, *gravia & profunda* contingunt vulnera, hæc ratione partis, necessario, simpliciter & absolutè lethalia habenda sint.

Ad Gravia ergò & nimis profunda vulnera partium nobilium saltem respiciendum erit, v. g. Si cerebrum est læsum, læsio talis propterea non statim per se lethalis pronuncianda; sed tunc demum, si vulnus profundius existit, vel pars cranii fracta sub cortice cerebri latentes ventriculos intimius penetravit. Hinc etsi *Hippocrates* nullum capitis vulnus contemnendum esse velit, tamen ideò non omnia cerebri vulnera per se simpliciter & absolutè lethalia sunt pronuncianda, experientiâ hoc abunde demonstrante.

Non

Non verò ſolum graviora vulnera *immediatè, externo inſtrumento facta*, pro ſimpliciter lethalibus habenda ſunt, *ſed etiam ea, quæ mediatè fiunt*, ubi nimirum à gravi contuſione, cranium aliquoties fractum, fiſſum, depreſſum, & indè cerebrum violentiſſimè concuſſum fuit; Quoniam talem capitis graviorem concuſſionem ſimul, concuſſio cerebri, vaſorum diſruptio, ſanguinis extravaſatio, hinc impedita circulatio, conſequenter ſpirituum animalium ſuppreſſio, omniumque ſenſuum privatio, aphonia, & ſubitanea mors ſequi ſolet.

Spectant huc *Medullæ ſpinalis, ceu cerebri prolongati, Vulnera*, quando *hæc diſciſſa*, aut in ſuo trunco, parte ſcil. ſupra thoracem, *gravius vulnerata*, mortem neceſſario infert. Id quod etiam ſtatuendum *de graviori hujus medullæ ſpinalis læſione, quando hæc in vertebris infra thoracem, per tranſverſum eſt abſciſſa*. Ubi aliàs leviora hujus vulnera in partibus ſcil. ſub thorace ſitis, non ſemper ſunt lethalia, licet indè ſenſus & motus partis pereat, vitâ tunc miſerrimâ ſuperſtite.

Cordis Vulnera quod concernit, etſi levia hæc & ſuperficialia ſaltem ſint, tamen tot obſervationibus conſtat, hæc omninò lethalia exiſtere. Multo magis ea citam & ſubitaneam inferunt mortem, quæ ventriculos penetrant, cum inde unà cum ſanguinis & ſpirituum effuſione, vita ſimul deficiat.

Idem certum eſt *de vaſis majoribus cordis, arteria magna, vena cava, & majoribus aſcendentis arteriæ magnæ, & venæ cavæ ramis, ſubclaviis nimirum, jugularibus internis, & carotidibus*, quibus vulneratis, ſequitur hæmorrhagia immedicabilis, undè ex denegata ſanguinis, ad omnes corporis partes diſ-

 tributio-

tributione & propulsione subitanea irruit mors.

Diaphragma sive septum transversum, etsi duplici gaudeat substantia, carnosa scil. & membranosa ex amborum tamen læsione, vulneratus periclitatur, & quidem ex membranosa parte læsa, simpliciter & per se interitus succedit.

Diaphragma namque respirationem & circulationem non parum adjuvat: Atque ex ejus vulneribus, vehementissimus non tantum exoritur præcordiorum dolor, atque cordis anxietas, sed & insignis respirationis læsio, inflammatio, circulationis inhibitio, Febris, delirium atque convulsiones, vulneratum adoriuntur, atque eundem brevi interimunt.

Pulmonum Vulnera, nisi vasa majora, circulationem brevem in illis absolventia lædantur, per se lethalia non sunt, cum passim exempla prostent, frustorum etiam grandiorum Pulmonis, unciarum aliquot, scil. abscissorum, ægro rursus convalescente.

Ventriculi quod concernit *Vulnera*, hæc etiam leviora, periculo haud carent, *præcipuè orificium superius attingentia*, quod, si verò enormior sit læsio, & transfossio, tum vulnus tale simpliciter lethale erit, quoniam cessante chylificatione, aut chyli in intestina protusione, sanguificatio, nutritio, spirituum generatio plane cessant, è contra virium lapsus, defectus & mors presso pede sequuntur.

Intestinorum tenuium præprimis, & inter hæc *Jejuni vulnera*, licet leviora sint, periculosa omninò sunt, graviora verò, & per transversum inflicta, simpliciter sunt lethalia; quoniam chylus in venas lacteas propellendus, per vulnus elabitur, & in abdomi-

dominis cavitatem defluit, unde sanguificatio & nutritio cessat, & mors indubitatò succedit. Sic *intestina ipsa ratione suæ substantiæ ad gangrænam sunt proclivia*, neque chirurgi manum admittunt.

Idem judicium subeunt *Epar & Lien* etenim horum vulnera leviora, periculosa quidem, sed lethalia non sunt; *Ubi verò ad vasa nobiliora penetrant*, & hæc dilacerant, tum simpliciter lethalia sunt renuncianda.

Quod tandem *Vesicæ vulnera* attinet, distinguendum est *inter vulnera corporis, & cervicis sive colli vesicæ*; Illius vel superficiaria sunt, vel ad cavitatem usque penetrant; Superficiaria autem periculosa quidem, sed non omninò lethalia sunt, sed si in cavitatem usque abeunt, lethalia & insanabilia sunt; Quæ verò collum perfodiunt consolidationem aliquando admittunt.

Vulnera verò in genere considerata, si punctim inflicta sunt, plus periculi alunt, quam si cæsim facta sunt.

Sic & vulnus intensâ Febre, inflammatione, dolore, ac motibus convulsivis stipatum, monstri quid alit.

Et si nervus, vel vena, aut arteria, in totum est abscissa, minus periculi habet, quam si ex parte saltem est recisa.

In subjectis cacochymicis, æstivo tempore, etiam exiguum vulnus haud superficialiter est tractandum.

Et quò diutius vulnus aëri exponitur, eò facilius sphacelatur.

Vulnera quæ sclopeto infliguntur, utplurimum plus damni inferunt, quam alia, non ob imagina-

tam ambuſtionem, ſed ob variarum partium dilacerationem & contuſionem, propterea omninò cecidit æſtimatio arcanorum contra ambuſtionem vulnerum ſclopo inflictorum, neque amplius æſtimantur, die Pulver-Leſchungen.

V. *In Curatione Vulnerum obſervetur, ut*

1. Omne extraneum quod vulneri ineſt eximatur.
2. Ut adductis labiis puris generatio promoveatur.
3. Graviora ſymptomata arceantur, &
4. Conſolidatio inducatur.

Ut primæ indicationi ſatisfiat, omne illud quod vulneri immiſſum eſt, *ſive ſit telum, glans vel ramenta, aut pili, vel aliud quid peregrini*, ſtatim extrahatur, modò non obſtet largior ſanguinis profuſio, *& ut citra majorem partis vulneratæ injuriam id tentare liceat.* Etenim ſi æger ob hæmorrhagiam in vitæ verſatur periculo, antè omnia ſanguinis fluor reprimendus eſt, vulnere probè deligato, ut tum ſedato ſanguinis fluxu, eò tutius ſcopus aſſequatur; *Et hæc non ſolum de Vulneribus ſclopeto inflictis, ſed & de illis in quibus grumi ſanguinis deliteſcunt, intelligendum eſt*, utpotè qui in primo acceſſu nunquam vi ſunt extrahendi, ne de novo excitetur hæmorrhagia periculoſa futura.

Hoc ita ritè peracto *obſerventur ea, quæ circa deligationem ſunt peragenda, & quomodo pars vulnerata collocari commodè debeat.* Ut verò his ſatisfiat; apparatus requiritur, *ſplenia ſcil. ferulæ, faſcia, Emplaſtra glutinatoria, fibulæ, acus, fila*, &c. quæ videantur in mea chirurgia.

Dehinc *Puris generatio promoveatur*, per Digeſtiva mi-

va mitioribus glutinantibus temperata, qualia sunt *Therebinth. Resina, Cera, Gummi Elemi, Mastix, Thus, Myrrha, Vitellus ovi, Balsam. de Peru, ♃, ovorum, Hypericonis*, &c. Vel ex his factum *Balsamum Mindereri*, v. g.

℞. *Therebinth. Cypr.*

Olei Hyperici aa. q. l. Liquefactis adde

Gummi Elemi seorsim liquefactum quantum ad debitam consistentiam requiritur, tum refrigeratis omnibus adde *Olei ceræ dest. parum*; ut fiat s. a. Balsamum, turundis applicandum, superimposito *Empl. Opodeldoch*, &c.

Si verò graviora symptomata, utpotè Hæmorrhagia, Inflammatio, Dolor, Spasmus & Febris, sive primis statim, sivè ultimis diebus adveniunt, omnes curæ ad symptomata hæc urgentiora dirigantur, ne ægrum in præsentissimum conjiciant vitæ discrimen.

Ad compescendam verò Hœmorrhagiam alii commendant fortiorem ligaturam, sed licet hæc nonnunquam voto respondeat, negari tamen nequit eam sæpius plus damni quàm commodi attulisse; quoniam hâc methodo non tantum vasa sanguiveha, sed plura alia cum nervis constringuntur, undè tam humorum, quam spirituum motus progressivus impeditur, & vulnerata pars facile Gangræna corripitur.

Melius est, si situ vasis sanguinem fundentis explorato, *labia ejus digito occluduntur & comprimuntur*, ut impetuosior sanguinis effluxus retardetur.

Si verò plura vasa sunt lacerata, ut unius hominis digiti impares sint, occludendis tot aperturis, Tum *accersantur Stegnotica* dicta. Inter quæ primo loco

se sistit *Fungus exsiccatus*, quo vulneris cavitas repleatur. Vel applicetur sequens *Pulvis Stegnoticus Ronhuysenii*, v.g.

℞. *Farinæ volat.* ℥ij.
Boli armen. ℥j.
Sang. Dracon. ℥vj.
Colophon.
Gypsi aa. ℥ß.
Alum. usti
Vitrioli albi aa. ʒij. M. fiat Pulvis.

Expertum etiam stypticum præbet *Calx viva* vulneri applicata, Nec non *Vitriolum album, albumine ovi subactum*, & mediante stuppa cannabina applicatum.

Aliis placet *famosus ille Liquor stipticus* ex ♁lo, *Alumine, phlegmate* ♁li, & oleo ♁li paratus, cum verò expectationi haud semper satisfaciat, hinc *ferrum candens alii præferunt*, hoc enim vasorum orificia cum carne & sanguine ita adurit, ut quasi aggere facto sanguinis effluxus cohibeatur.

Sed cum & hoc non semper sit fidum, nec sanguinem semper sistat, hinc alii omnem spem locant in *Spiritu Vini rectificatissimo*, ceu optimo liquore stiptico.

Alii in *pulvere sympatetico*, cujus tamen loco sufficit *vitriolum calcinatum, cum albumine ovi mixtum*, & in linteo vulneri applicatum, &c.

Observandum tamen hic est non statim omnem hæmorrhagiam esse sistendam, cum sæpe Febrem, inflammationem & dolorem inhibeat.

Hinc nisi spiritus enormiter exhauriat, hæmorrhagia non curanda est, ubi aliàs optima Stegnotica citò sunt applicanda, *præmissa, si nil obstet, Venæ sectione*,

ctione, utpotè quæ aliquando præsentissimum edit effectum.

Inflammationem quod concernit, huic obex ponatur *per Venæ sectionem*, *Diætam refrigerantem*, & alia de Inflammatione commendata.

Dolor mitigatur Anodinis tam Internis quàm Externis, ex *mica panis albi cum lacte & vitello ovi* remixtis, vel *ung. anodin.* cum parum *croci* mixto & tepide circumlito.

Spasmus verò tollitur per cinnabarina, *succinata*, vel externè per *Balsamum Spasmaticum*, *Ung. Nervinum*, *oleum junip. petræ*, *succini*, *ping. castor.* &c. tum parti affectæ, tum spinæ dorsi, &c. illita, fotibus nervinis superimpositis.

Febris verò demulceatur, præter Venæ sectionem *per absorbentia*, *præcipitantia*, *salina*, *alcalica*, &c.

Tandem omne id removeatur, quod consolidationem impedire potest, tam ratione constitutionis sanguinis, quam vulneris ergo; Utrum absolvitur *per potiones vulnerarias*, quæ sanguinis discrasiam corrigunt, & chylum laudabilem vulneri inferunt, v. g.

℞. *Radic. Symphyti*
Rubiæ tinct.
Aristol. rot. aa. ℥j.
Herb. Millefolii
consol, sarracen.
veronicæ
alchymill.
saniculæ
pyrolæ
Beton.
Flor. Bellid min. Hyperici aa. m. j.
Nucis Moschatæ ʒij.

Incisa coquantur in s. q. *Aquæ com. & vini* q. s. Et colatura, quantum pro dosi sufficit, semper paulisper edulcoretur cum *syr. de symphyto Fernelii*, &c.

VI. Aliquando tamen *pro naturæ partis affectæ medicamenta quoque variant.*

Sic *Vulnera capitis omnia pinguia & oleosa*, imo unguentum ipsum Digestivum respuunt, è contra summi usus sunt *sacculi paregorici* ex plantis nervinis cum vino cocti, & calidè continuò applicati.

Sic & *Oculorum Vulnera, pinguia haud ferunt*, tum & oculo uno læso, alter etiam obligetur, & capitis positio sit erecta, ac in cataractæ depositione fieri solet.

Et si humor aqueus effluxit, is restituitur per *Aquam chelidoniæ majoris*, ex tota planta destillatam, & *pauxillo camphoræ acuatam.*

Deligatio vero fiat *cum albumine ovi, alumine & camphora.*

Si Pulmones sunt vulnerati, tunc Internè dentur *Potiones vulnerariæ cum Ess. Bals. de Peru, Bals. Copaivæ, Balsam. sulfuris*, &c.

Et *si in Vulneribus Abdominis omentum foràs propendet*, statim est reducendum; Si vero ab aëre sphacelatum apparet, tum quod corruptum extar, abscindendum est. Si verò nondum corruptum, sed refrigeratum saltem existit, tunc calefaciendum prius mediante lacte calido, &c. deinde demum reducendum est.

Idem tentandum *si Intestinum propendet;* sed si vulnus nimis est angustum, ut repositio difficulter procedat, tum vulnus in tantum est dilatandum, ut repositio fieri queat, deinde vulnus *Balsamo Copaivæ* illinendum est, &c.

In

In Ventriculi, Hepatis, Lienis, Vesicæ & Uteri vulneribus, quoniam manu chirurgi tractari haud possunt, nec Empl. externè applicata quid efficiunt, hinc *Internis Balsamicis*, utpotè *Bals. de Copaiva, Peruviano, therebinth.* &c. sunt medicanda.

Vesicæ collum per lithotomiam dissectum, ab initio digestivo, deinde Balsamis vulnerariis deligandum est.

Nervorum, Tendinum, Membranarum, Ligamentorumq; Vulnera periculosa magis sunt, quam partium aliarum, *præcipuè verò illa quæ pungendo infligun-tur*, unde dolores immanes, inflammationes, imò spasmi & convulsiones vulgò exoriri solent.

Sed *Abscissio vel secundum fibrarum ductum facta incisio minus periculi habet*, quam si transversim saltem sectio facta, quæ reliquæ parti adhuc partim cohæret.

Si Dolor est intolerabilis, applicetur *cataplasma ex mica panis albi, lacte, croco,* &c.

Dehinc adhibeantur talia, quæ calefaciunt & siccant, qualia sunt ℴℴ *thereb. Petræ, castorei, Bals. de Peru. Opobals. Ung. Nervinum,* &c. non tantum parti vulneratæ, sed & spinæ dorsi illita, superimpositis fotibus nervinis.

Si tendo haud in totum est abscissus, tum periculosa symptomata, modo dicta supervenire solent, propterea reliquum tendinis etiam est abscindendum; Sed si vulnus non est magni momenti, & symptomata levia vel pauca adsunt, tum tendo prius est consuendus, antequam dissectio fit; Sutura verò dimidii digiti latitudine à tendinis dissecti extremitatibus est facienda, & si tendo non satis est denudatus, tum caro removeatur, atque tunc membro benè locato, tendinis extremitas prehenditur forcipula, altera verò extremitas acu, duobus filis cera litis cum nodo in extremitate, ab exteriore parte versus interiorem, & ab interiore versus exteriorem perfodi-

foditur, ut exactè sibi jungantur, tunc verò acu remotâ, sumitur compressula lintea, duobus in locis perforata, ut ambæ fili extremitates pertransire possint, & ut simplex fieri queat nodus, cui alia *compressula imponitur, spiritu vini humectata.*

Peracta sutura primo die *irroratur, oleo & spiritu vini*, dehinc applicetur *Balsamum ex therebinthina, vel Tinctura Hyperici.*

Applicari etiam possunt *cataplasmata ex scordio absinthio, ruta*, &c. loco lintei carpti verò supra nodum *cera* est imponenda.

Quot præterea *vulnera membranosarum vel nervosarum partium* concernit, *in illis major solet esse sordium copia, atque acor in illis deprehenditur magis subtilis & penetrans*, quam in vulneribus partium sanguïnearum sive carnosiorum.

VII. *Vulnera tandem à Venenatis animalibus inflicta*, v. g. *Viperarum morsus*, qui citam mortem inferre solet, promptam requirit medelam, per valida *sudorifera Bezoardica*, atque *scarificationes cum cucurbitulis* loco commorso applicatas, ut venenum extrahatur.

Tum imponatur *cataplasma ex theriaca, cepis, stercore hominis, Spir. Theriacali*, &c. vel & candendi ferro locus inuratur.

Apum vel vesparum punctura, à quibus pars intumescit, atque admodum dolet cum rubedine sive inflammatione ad Gangrænam facile properante, sanantur in instanti, *applicato meo Elixirio Balsamico*, vel *Vesicatorio imposito* & mox rursus remoto: Sic ob breve temporis spatium non excitat vesiculas, & intra horæ quadrantem Venenum extrahit.

INDEX

INDEX MORBORUM.

Numerus paginam, lit. a, *partem priorem*, b. *posteriorem notat*.

Eſſeræ

Cancer 241

præ-

FINIS.